91

91-1-4

1.150

R.A.P.AC FRATRIS

EMMANUELIS PEREZ DE QUIROGA,

ORDINIS MINORUM,

REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINCIÆ

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS,

LECTORIS BIS IUBILATI, EX-DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINCIÆ,

PATRIA VALLIS-OLETANI.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ SELECTÆ,

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS,

IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS OCTAVUS.

CVM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISV SVPERIORVM.

VALLIS-OLETI: Apud viduam IOSEPHI A RVEDA, anno 1716.

QUAESTIONES

DE

QUODLIBETO

IOANNIS DUNS SCOTI

PATRIA AVALLONENSIS

LECTORIS BIS IONIATA EX-DIFFINITORIS

CONCEPTIONISTA

PROVINCIAE

REGULARIS OBSERVANTIAE

ORDINIS MINORUM.



NIHIL TAM OCCVLTVM, ET OBSTRVSVM, QVOD

PERSPICAX SCOTI INGENIVM NON PENETRAVERIT, ET E TENEBRIS

ERVERIT, NIHIL DENIQVE TAM NODOSVM,

QVOD ILLE NON DISSOLVERIT. IOANNES PITSEVS DE REBVS ANGLICIS. Pag. 314

ILLMO AC RR. D. D.

EMMANUELI FRANCISCO

A NAVARRETE LADRON DE GUEVARA,

MAIORIS SANCTÆ CRUCIS COLLEGIJ OLIM ALUMNO, Palentinæ Eccleſiæ meritiſsimo Magiſtrali, in Abbatiam de Santander optimo iure elevato, poſteàque ad Mindonienſem Epiſcopatum evecto, & nunc digniſsimo Metropoli Burgenſi Archiepiſcopo.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS.

EN, Præclariſsime Antiſtes, lucubrationum mearum in vniverſam Scholaſticam Theologiam iuxta mentem noſtri Coryphæi Subtiliſsimi Doctoris, ordine, & methodo labor poſtremus; dignitate tamen, & Scopo herculè verè primus, qui meditabunda cogitatione, non qualicumque certè, ſed quadam certè, vt innata anxietate tuas iam advolet aras. Vix prodit in lucem, cum Helotropij inſtar, beneficium circumcirca ambit, inſuperque aſpicit ſolem. Te (inquam) tot annis phœbeo in templo Domini lumine corruſcantem, atque in ſummæ Eccleſiæ Cœlo, hinc, inde fulgentem, vt olim de Simeone, filio Oniæ Encomiaſtes Sacer concinuit: *Et quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Domini.* *Eccleſiaſt. cap. 50. v. 7*

Non alitèr tu, præſtantiſsimè Præſul, immò ſpendidiùs, Sacratas Mindionenſem primum, poſtea Burgenſem ſpheras, ſcintillantibus vndequaquè Religionis zelus, integritatis, iuſtitiæ, ſapientiæ, omnigenarumque virtutum, irradiaſti fulgoribus, exindeque, vt Lampas rutilans, perluſtras Vrbens, & Orbem. At quod laudabilius eſt, eructabit cor meum (dico namque opera mea tibi.) Quid enim mihi optabilius certè, quam quod illuminans tu mirabilitèr à montibus ſupernis dignitatum, tum Epiſcopalis, tum Archiepiſcopalis, excelſum Ordinis Seraphici firmamentum tot ſanctitatis Syderibus, quot ſcientiæ luminaribus coruſcum, luce viviſica impleſti? Qua adeò in præſentiarum pulcreſcit, & flagrat, vt luculentiùs de illo Claudianus tropologica videatur phraſi ominari, dum cecinit:

Lumina floruiſſe: florentia lumina flammis. *Claudian.*

Quid niſi flameſcit, niſi quia refloret? ſiquidem inde floreat, vnde ardeat.

Ergo ne ingratitudinis nota inurar, conſequentèrque ne aliquo deformi nævo perlucida, ac ſpecioſiſsima mei Seraphici firmamenti facies appareat fæda, vel nubila, vnum præ cæteris à munifica tua Dominatione beneficijs in nos iugiter congeſtis, ſilentio premere, aut diſimulare nequibo, à Seneca diſſertè præmonitus: *In acceptis beneficijs* (ait) *ingratus eſt, qui diſſimulat; ingratus eſt, qui non ſolvit.* Nihilominus tamen etſi ingentia omnia; quia innumera reticeam: maximum duntaxat recenſeam. *Senec. de benefic.*

Nihil equidem nobis æſtimabilius, nil prætioſius, quam in publicum orbis litterarij commodum, & honorificum noſtræ Scotiſtarum Scholæ, nulli ſecundæ, fulcimentum, & propagationem hiſcemet diebus ſumma omnium gratulatione, plauſu, & fœlicitate in Pinciæ Academico Muſæo nova Theologiæ Cathedræ inſtitutio, proprijs ſumptibus erectæ, ac in ævum amplius redditibus indeficientèr ſuperſtitis, vt noſtri Subtilis Proto-Magiſtri vbique gentium perenet Numen, & Nomen.

O verè tanti Doctoris generoſus Alumnus, Strenuus Athleta, & Fidus Achates, qui Scoticos latices, quos vſquè ad ſummum plenos tibi iuvenili labio lautiſsimè propinaſti, ac virili ore poſt ſitibundus omnino ſatiùs hauſiſti, hos nunc iam arata fronte in alios eructas, faciſque prodigo facultatum impendio in Scientiarum teathro exuberantes erumpi in fontes, è quibus aquarum voce grandiloqua cum Iſaia invitas, & provocas ad bibendum gratis, & amore ſolummodo Subtilioris doctrinæ, quæ in Seraphicis Lycæis ſatis abundè abſque auro, & argento, & abſque vlla commutatione omnibus ſcatet,

Isai. capit. 55. v. 1. scatet, effluit, & elargitur. Sic intonas anxius: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate:::emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.*

Quam ob rem, Clarissimè Pontifex, in tesseram gratitudinis, & æterni monimentum amoris totius meæ Seraphicæ Religionis, quod nec lethi vndis obrui, nec temporum iniurijs valeat oblitterari; hiecine octavus selectarum quæstionum tomus, quem aliorum septem, iam prælo excusorum, pro coronide examussim concinavi, non devius in aliquo à recto tramite mentis profundæ, & Cœlestis acuminis nostri Doctoris Subtilis, vtpotè, septennis voluminibus fideliter explicui, & pro viribus propugnavi: Tibi iam à me, non pro libito, sed ex debito, fas erat Sacrari, vt quem nunc temporis nostra Scotica meruit Minerva habere vnicum Promotorem, iure optimo deberem mearum Selectarum seligere in vnicum Mœcenatem, de quo altiori numine, quam Horatius, decantare non renuam:

Horat. od. 1.

Mœcenas nitidis edite Patribus
O! & præsidium, & dulce decus meum.

Ex diuturnis equidem meorum in Theologiam studiorum laboribus, & operibus optimam tibi, inclite Archi Sacerdos, partem elegi; quoniam Astræa in Minervæ subsellio residens, optimum tibi de industria servandum adiudicaverit. Accipe igitur optimum.

Primo: quia in exacta eius absolutione plus impensum est temporis, ac laboris; quod primis eloquentiæ Principibus valdè arridet. *In rebus omnibus* (advertit Cicero) *difficile esse optimi absolutionem.* Cui assonat Quintillianus: *nihil rerum*, ait, *ipsam naturam voluisse magnum citò effici: proposuisseque cuique operi difficultatem, quæ nascendi quoque hanc, fecerit legem, vt maiora animalia diutiùs visceribus Parentum continerentur.*

Cicer. de Clar. Orat. Quintill. lib. 10. capit. 3.

Secundo: quia octavum adimplet numerum; licèt enim apud Ethnicos teste Virgilio: *Numero*

Virgil.

Deus impare gaudet;

Apud Orthodoxos tamen etiam suppare, nempè, octavo, maximè delectatur, quatenus cuiuslibet imperfectionis experte, & indice perfectionis completæ. Sententia est D. Hilarij: *Octonarium convenientium in se vndique partium perfectum esse.*

D. Hilar. apud Enig. numeric.

Tertio: quia cætera omnia, quæ in septem alijs Commentarijs ordinatissimè, & formaliter sunt apprimè exagitata, & discussa, in hoc octavo eminentèr complectuntur, ac bimatissimè elucidantur iuxta illud tritum Philosophicum axiome: *Summum in aliquo genere continet perfectiones illius generis.* Et quarto tandem: quia ex Subtilioribus apicibus sublimis valdè Scoti intelligentiæ quæque optima hic medullitùs enucleantur, & ad singulare certamen Scholastice protrahuntur, vt cum Propheta Regio proclamare liceat: *Holocausta medullata offeram tibi.*

Psalm. 65. v. 14.

Proterea, Mistagoge Sapientissime, hac tantummodo prætiosiori, immo, & prætiosissima victima tua deberem altaria cumulare, vt optimis redoleant aræ vaporibus; siquidem est quodam chimico Theologicum odoriferum extractum ex fragantioribus Scientiæ Scoti speciebus, subtilibus plusquam Panchæis aromis. Faxit Deus, vt tui potentissimi patrocinij aspirante favonio spirent mei balsamica odoramenta holocausti in Asseclarum doctrinæ Scoticæ vtilitatem, delectamentum, & gaudium. Ita Seraphica Franciscia dum auguratur Familia tanti benefici Promotoris, Tutelaris, & Advocati confisa suffragijs.

Quare, & sine quare, Illustrissime Domine, esto propitius oblationi, respice ad clientem, vt nullis vnquam Zoylorum inficiar venenatis afflatibus. Tuo iam fabore prosequere; tua potentia tuere; tuis suppetijs, & auspicijs opitulare, ac denique, vt brevi concludam antiphrasi, vivito, vt indesinenter foveas; faveto, vt in æternum vivas, quod supplex numina precor. Interea tamen verba Davidica vsurpo: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine:::Adiutor, & Susceptor meus es tu, & in verbum tuum super speravi*, illudque, quod de magno sumpsi Poeta, etiam permite, & simul accipe:

Psal. 118. v. 108.
Ibid. v. 114
Ovid. Eleg. 3. de Ponto.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed vtilitas, obsequiumque tuum.

In hoc Vallas-Oletano Seraphici, & Crucifixi Patris semper nostri Divi Francisci Observantiæ Cœnobio Regali.

Illustrissime, & Reverendissime Princeps, Domine mi.

Addictissimus, & obsequentissimus cliens, & servulus humillimus Dominationis tuæ Illustrissimæ.

Frater Emmanuel Perez à Quiroga.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM SELECTARUM, ET PARAGRAPHORUM.

QUÆ IN HOC OCTAVO TOMO CONTINENTUR.

Littera P. *designat Paginam.*

EX TRACTATV

DE DEO VNO.

QVÆSTIO PRIMA.

An hæc propositio : Deus est, *sit per se nota?*

§. I.

Necessaria ad quæstionem supponuntur. *Pag.*1.

§. IJ.

Referuntur sententiæ, verior eligitur, & authoritate probatur.*Pag.*3.

§. IIJ.

Rationibus probatur conclusio.*Pag.*5.

§. IV.

Argumenta ab authoritate solvuntur.*Pag.*6.

§. V.

Pontij argumenta solvuntur.*Pag.*9.

§. VI.

Aureoli argumenta solvuntur.*Pag.*10.

§. VIJ.

Cæteris argumentis occurritur.*Pag.*12.

QVÆSTIO SECVNDA.

An existentia sit prædicatum quidditativum Dei?

§. I.

Quibusdam certis præsuppositis,referuntur sententiæ.*Pag.*15.

§. IJ.

Resolvitur quæstio,& Scoti authoritatibus probatur.*Pag.*16.

§. IIJ.

Rationibus nostra stabilitur conclusio.*Pag.*18.

§. IV.

Argumentum contra conclusionem ab authoritate Patrum solvitur.*Pag.*22.

§. V.

Argumenta ab authoritate Scoti contra conclusionem solvuntur.*Pag.*23.

§. VI.

Argumenta Scotistarum à ratione contra conclusionem solvuntur *Pag.*26.

§. VIJ.

Argumenra ex Scoto contra nostram rationem solvuntur.*Pag.*30.

§. VIIJ.

Argumenta à ratione contra rationem conclusionis solvuntur.*Pag.*32.

§. IX.

Solvuntur varia argumenta contra conclusionem.*Pag.*34.

QVÆSTIO TERTIA.

An singularitas sit prædicatum quidditativum Dei?

§. I.

Statuitur conclusio,& probatur.*Pag.*37.

§. IJ.

Argumentis in contrarium occurritur.*Pag.*41.

QVÆSTIO QVARTA.

Quodnam sit Dei constitutivum Methaphisicum?

§. I.

Aliquibus præsuppositis,status difficultatis aperitur.*Pag.*47.

§. IJ.

Opiniones Scotistarum proponuntur, & refelluntur.*Pag.*48.

§. IIJ.

Argumenta Scotistarum solvuntur.*Pag.*50.

§. IV.

Aversæ,& Arriagæ opinio refutatur.*Pag.*52.

§.V.

§. V.
Reiicitur opinio Gonet,& aliorum.*Pag.*53.
§. VI.
Sententia Jesuitarum impugnatur.*Pag.*58.
§. VIJ.
Declaratur nostra sententia.*Pag.*61.

EX TRACTATV
DE MODIS INTRINSECIS DEI.

QVÆSTIO QVINTA.
Quomodo modus intrinsecus distinguatur à re, cuius est modus?

§. I.
Quæ certa sunt, declarantur, & opiniones referuntur.*Pag.*62.
§. IJ.
Statuitur conclusio,& probatur.*Pag.*64.
§. IIJ.
Argumenta Scotistæ prædicti solvuntur.*Pag.*66.

QVÆSTIO SEXTA.
An æternitas, provt dicit præcisè carentiam principij,& finis, possit communicari creaturæ?

§. I.
Certa declarantur,& sententiæ referuntur.*P.*68.
§. IJ.
Statuitur nostra conclusio, & rationibus probatur.*Pag.*69.
§. IIJ.
Solvuntur argumenta contrariorum.*Pag.*71.

QVÆSTIO SEPTIMA.
An Immensitas,vel Vbiquitas possit demonstrari?

§. I.
Aliqua supponuntur,& sensus difficultatis aperitur.*Pag.*72.
§. IJ.
Declarantur sententiæ.*Pag.*74.
§. IIJ.
Prima conclusio ponitur,& stabilitur.*Pag.*75.
§. IV.
Statuitur secunda conclusio,& probatur.*Pag.*78.
§. V.
Argumento ex authoritatibus Scripturæ occurritur.*Pag.*81.
§. VI.
Argumenta Gonet solvuntur.*Ibid.*
§. VIJ.
Occurritur argumento Caietani.*Pag.*85.
§. VIIJ.
Argumenta Jesuitarum solvuntur.*Pag.*86.
§. IX.
Alia argumenta solvuntur.*Pag.*87.
§. X.
Statuitur tertia conclusio,& argumenta solvuntur.*Pag.*88.

EX TRACTATV
DE VISIONE DEI.

QVÆSTIO OCTAVA.
An Visio Dei sit possibilis intellectui creabili?

§. I.
Relatis sententijs, statuitur prima conclusio , & probatur.*Pag.*91.
§. IJ.
Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.*93.
§. IIJ.
Statuitur secunda conclusio,& probatur.*Pag.*97.
§. IV.
Argumenta contraria solvuntur.*Pag.*98.
§. V.
Conclusio responsiva quæstionis proponitur, & firmatur.*Pag.*100.
§. VI.
Solvuntur argumenta.*Pag.*103.

QVÆSTIO NONA.
An Visio Dei sit saltim connaturalis intellectui elevato?

§. I.
Relatis sententijs,statuitur conclusio.*Pag.*104.
§. IJ.
Argumentis in contrarium occurritur.*Pag.*107.

QVÆSTIO DECIMA.
An sit possibilis de potentia Dei absoluta substantia supernaturalis creata?

§. I.
Sententia negativa probatur.*Pag.*109.
§. IJ.
Argumentis contrariorum occurritur.*Pag.*111.
§. IIJ.
Solvuntur aliqua specialia argumenta.*Pag.*114.

QVÆSTIO VNDECIMA.
An Lumen Gloriæ sit quid habituale?

§. I.
Aliqua certa statuuntur , & opiniones declarantur.*Pag.*118.
§. IJ.
De mente Scoti resolvitur difficultas.*Pag.*119.
§. IIJ.
Resolvitur difficultas in se.*Pag.*121.
§. IV.
Solvuntur argumenta contrariorum.*Pag.*123.
§. V.
Resolvitur difficultas de mente Concilij.*P.*126.

QVÆSTIO DVODECIMA.
Quæ sint numera Luminis Gloriæ?

§. I.
Relatis sententijs , statuitur prima conclusio. *Pag.*130.
§. IJ.
Lumen Gloriæ non esse speciem impressam,pro pri-

prima conclusione statuitur. *Pag.*131.

§. III.

Lumen Gloriæ non deservire ad recipiendam visionem, pro secunda conclusione statuitur. *Pag.*134.

§. IV.

Lumen Gloriæ non requiri, vt dispositio, ad vnionem Divinæ Essentiæ, statuitur por conclusione tertia. *Pag.*139.

§. V.

Singulare placitum Vulpij examinatur, & quarta conclusio statuitur. *Pag.*141.

EX TRACTATV

DE SCIENTIA DEI.

QVÆSTIO TERTIADECIMA.

Quæ formalitates ad intellectum spectantes sint in Deo constituendæ?

§. I.

Status difficultatis apperitur, & certa supponuntur. *Pag.*143.

§. II.

Prima difficultas in primo sensu resolvitur. *Pag.*144.

§. III.

Prima difficultas in secundo sensu resolvitur. *Pag.*145.

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.*147.

§. V.

Resolvitur secunda difficultas. *Pag.*150.

§. VI.

Resolvitur tertia difficultas. *Pag.*152.

QVÆSTIO QVARTADECIMA.

An Omnipotentia cum possibilibus necessariò connectatur?

§. I.

Supponuntur necessaria, & opiniones referuntur. *Pag.*155.

§. II.

Opinio Rivadeneiræ reijcitur. *Pag.*156.

§. III.

Nostra conclusio ponitur, & probatur. *Pag.*157.

§. IV.

Vlterior probatio nostræ conclusionis. *Pag.*158.

§. V.

Firmatur conclusio specialitèr contra Jesuitas. *Pag.*159.

§. VI.

Solvitur duplex argumentum Rivadeneiræ. *Pag.*161.

§. VII.

Argumenta Quiros solvuntur. *Pag.*163.

§. VIII.

Alia argumenta Jesuitarum solvuntur. *Pag.*166.

§. IX.

Occurritur cuidam argumento difficili. *Pag.*167.

EX TRACTATV

DE SCIENTIA FVTVRORVM Contingentium.

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

An Deus certò, & infallibilitèr conditionata contingentia cognoscat ante decretum liberum suæ voluntatis?

§. I.

Aperitur difficultas, & referuntur sententiæ. *Pag.*173.

§. II.

Aperitur mens Scoti. *Pag* 174.

§. III.

Opinio Jesuitarum impugnatur Philosophicè. *Pag.*175.

§. IV.

Opinio Jesuitarum impugnatur Theologicè. *Pag.*178.

§. V.

Jesuitarum argumentis occurritur. *Pag.*181.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

An Deus conditionata contingentia cognoscat in decreto libero suæ voluntatis, concomitante veluntatem creatam?

§. I.

Referuntur sententiæ, & decretum concomitans explicatur. *Pag.*186.

§. II.

Authoritate Scoti reijcitur decretum concomitans Scotistarum. *Pag.*187.

§. III.

Rationibus impugnatur decretum concomitans Scotistarum. *Pag.*189.

§. IV.

Fundamentalitèr, & specialitèr impugnatur decretum concomitans Scotistarum. *Pag.*193.

§. V.

Solvuntur Mastrij argumenta. *Pag.*195.

EX TRACTATV

DE VOLVNTATE DEI.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

An detur in Deo libertas contradictionis, ita, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa?

§. I.

Certa declarantur, & referuntur opiniones. *Pag.*198.

§. II.

Vera sententia eligitur, & probatur. *Pag.*200.

§. III.

Aliæ rationes pro conclusione assignãtur. *P.*202.

§. IV.

Solvuntur argumenta Antonij Perez. *Pag.*209.

§. V.

§. V.
Argumenta aliorum Scotiſtarum ſolvuntur. *Pag.*215.

EX TRACTATV

DE PRÆDESTINATIONE.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

An permiſsio peccati ſit in electis effectus prædeſtinationis illorum?

§. I.
Relatis ſententijs, ſtatuitur concluſio, & authoritate firmatur.*Pag.*217.
§. IJ.
Ratione firmatur contra Bazquez noſtra concluſio.*Pag.*220.
§. IIJ.
Argumenta Vaſquij ſolvuntur.*Pag.*224.

QVÆSTIO DECIMANONA.

An electio efficax ad gloriam ſit ante, vel poſt meritorum prævisionem?

§. I.
Declaratur ſtatus controverſiæ.*Pag.*229.
§. IJ.
Doctrina ſpecialis Scoti,& Scotiſtarum declaratur.*Pag.*231.
§. IIJ.
Sententiæ referuntur.*Pag.*233.
§. IV.
Statuitur prima concluſio,& Scripturæ authoritate probatur.*Pag* 234.
§. V.
Solutiones adverſariorum impugnantur.*P.*236.
§. VI.
Ex D.Aug.probatur concluſio.*Pag.*241.
§. VIJ.
Ratione,& paritatibus ad hominem contraScotiſtas, Thomiſtas, & Maſtrium probatur concluſio.*Pag.*254.
§. VIIJ.
Argumenta ex Scriptura,& Patribus proponuntur.*Pag.*255.
§. IX.
Secunda concluſio ſtatuitur, & authoritatibus probatur.*Pag.*259.
§. X.
Ad hominem contra Maſtrium, & Thomiſtas quibuſdam paritatibus probatur concluſio. *Pag.*260.
§. XI.
Ratione ex Scoto deducta probatur concluſio contra Maſtrium.*Pag.*264.
§. XIJ.
Probatur concluſio deſtruendo prꝛcipuumMaſtrij fundamentum.*Pag.*268.
§. XIIJ.
Solvuntur argumenta Maſtrij.*Pag.*270.
§. XIV.
Variæ ſolutiones ad hanc rationem.*Pag.*272.
§. XV.
Aſsignatur vera ſolutio, & ad hominem contra Maſtrium firmatur.*Pag.*273.
§. XVI.
Vtraque ſimul probatur concluſio, & tertia ſtatuitur.*Pag.*276.

EX TRACTATV

DE TRINITATE.

QVÆSTIO VIGESIMA.

An in Diuinis ſint tantum quinque notiones?

§. I.
Certa ſupponuntur, & referuntur ſententiæ. *Pag.*280.
§. IJ.
Statuitur prima concluſio,& argumenta contra ipſam ſolvuntur.*Pag.*284.
§. IIJ.
Secunda concluſio ſtatuitur,& probatur.*P.*289.
§. IV.
Reſponſiones adverſariorum proponuntur, & refelluntur.*Pag.*290.
§. Vltimus.
Solvitur argumentum contrariorum.*Pag.*298.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

An Verbum Divinum procedat ex cognitione Attributorum,& Perſonarum?

§. I.
Prioritas, & poſterioritas in Divinis reperta, declaratur.*Pag.*299.
§. IJ.
Senſus difficultatis aperitur, & referuntur ſententiæ.*Pag.*307.
§. IIJ.
In ſenſu proprio reſolvitur quæſtio.*Pag.*309.
§. IV.
Ratione probatur concluſio, & argumentis occurritur.*Pag.*314.
§. V.
In ſenſu Maſtrij reſolvitur quæſtio.*Pag* 316.
§. VI.
Probatur concluſio de Spiritu Sancto.*Pag.*323.
§. VIJ.
Probatur concluſio rationibus ſpecialibus, præcludentibus evaſiones Maſtrij.*Pag.*327.
§. VIIJ.
Argumenta Maſtrij ex Scoti authoritate ſolvuntur.*Pag.*328.
§. IX.
Solvitur argumentum Maſtrij à ratione deductum.*Pag.*337.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

An diſtinctio realis perſonalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab eo non procederet, ſit confirmior Concilijs, Patribus, Scripturæ, Anſelmo, & communi Theologorum axiomati?

§. I.

§. I.
Motivum quæstionis declaratur, & prima conclusio statuitur. *Pag.* 343.
§. IJ.
Argumenta ex Concilijs solvuntur. *Pag.* 347.
§. IIJ.
Statuitur secunda conclusio. *Pag.* 352.
§. IV.
Argumenta Patrum solvuntur. *Pag.* 354.
§. V.
Statuitur tertia conclusio. *Pag.* 360.
§. VI.
Quarta conclusio statuitur. *Pag.* 364.

EX TRACTATV
DE INCARNATIONE.

QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.
An purus homo de condigno satisfacere possit pro suo peccato mortali?

§. I.
Supponuntur aliqua, & referuntur sententiæ. *Pag.* 370.
§. IJ.
Statuitur conclusio, & rationes aliquorum reijciuntur. *Pag.* 372.
§. IIJ.
Reijcitur ratio Vasquij. *Pag.* 375.
§. IV.
Nostra conclusio duplici ratione ostenditur. *Pag.* 378.
§. V.
Argumenta Mastrij, & aliorum solvuntur. P. 379

QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.
Quomodo actiones sint suppositorum?

§. I.
Referuntur sententiæ, & declarantur. *Pag.* 381.
§. IJ.
Quæ certa sunt, supponuntur. *Pag.* 382.
§. IIJ.
Resolvitur quæstio de suppositis creatis. P. 383.
§. IV.
Resolvitur quæstio de suppositis Divinis. P. 387.
§. V.
Solvitur commune argumentum ex Philosopho, & Concilio deductum. *Pag.* 391.
§. VI.
Argumenta ex Misterio Incarnationis, & Trinitatis solvuntur. *Pag.* 392.
§. VIJ.
Solvitur argumentum ex axiomate Philosophico deductum. *Pag.* 395.
§. VIIJ.
Duo solvuntur argumenta. *Pag.* 396.

FEE DE ERRATAS.

FOl. 104. num. 74. *nostri*, lege *nosti*. Fol. 182. num. 46. *effectis*, lege *effectus*. Fol. 247. num. 87. *diluatis*, lege *diluantur*.

He visto este Libro intitulado: *Quiroga. Quæstiones Selectæ, tom.* 8. y con estas erratas corresponde con su original. Madrid, y Diziembre 14. de 1715.

Lic. Don Juan Antonio de Albalà Iñigo.

TASSA.

DON SANTIAGO AGVSTIN RIOL, DEL CONSEJO DE SV MAGESTAD, SV SECRETARIO, Oficial Mayor de la Secretaria del Consejo Real de Castilla, y del de la Camara, en lo tocante à Justicia, y Agente de su Magestad para las Bullas, y Negocios de Roma, tocantes à su Real Patronato.

CErtifico, que aviendose visto en el Consejo vn Libro, que con su licencia se ha impresso, intitulado: *Quiroga. Quæstiones Selectæ*, escrito por el Rmo. P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, del Or[illegible]n de N. P. S. Francisco, tasso à seis maravedis cada pliego; y respecto de tener noventa y nueve sin principios, ni tablas, à este precio monta quinientos y noventa y quatro maravedis, al qual mando se venda, y no mas, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Libto, para que se sepa. Y para que conste doy la presente en Madrid à 16. de Enero de 1716.

Don Santiago Agustin Riol.

AD

AD LECTOREM.

IAm, Chariſsime Lector, omnes mei laboris elucubrationes, quas tomo primo *in 1. Sent.* edere in lucem ſpopondi, in octo habes diviſas. In ſeptem primis methodum, ordinem, ſeriemque, quam in ſuis ſeptem tomis ſervavit vir præclariſsimus, Ill. & RR. D. D. Fr. Petrus Godoy, ſervatam, vt à me promiſſam, videbis. Fuit quidem in animo, Theologiam ad mentem Subtilis mei Doctoris Scoti non ſolùm explanare, ſed pro viribus adverſus quam plures in illam oppugnationum novitèr inventas rationes tueri. Quam plura ad hoc argumenta, quę involucris ſubtilitatis nimię mei Subtilis Doctoris quaſi obſcurata in ſpatioſo ſinu antiquitatis involuta iacebant, deterſa vetuſtatis fulligine, illuſtrare, & quaſi ſuſcitare curavi, noviſque rationum fulcimentis roborare, in animum duxi. Hinc vltrà progrediens, Divino numine fretus, clypeoque ſemper Scoticæ doctrinæ munitus, animum erexi non ſolum ad hoſtilia tella debellanda, ſed in oppugnatores ipſos regerenda. Hoc totum felicitèr eventurum, & ad proficientium deſiderũ vtiliùs, fructuoſiùſque futurum auſpicabar, ſi in peculiare certamen deſcenderem, ſeu ad modum certaminis in lucem proderem meas elucubrationes cum prædicto præclariſſimo Ill. viro; ipſe enim in Angelici Doctoris doctrina propugnanda Angelicus, in percallendo Scoti fundamenta, illa ad vires ſolvendo, & impugnando, Subtilis ſe prodit. Sic iure proclamant Angelici; ſic iure fatentur Subtiles. Hoc igitur fuit in primordijs mearum elucubrationum inſinuatum intentum & pro hoc intento habes iam (candide Lector) ſeptem tomos Sententiarum, correſpondentes alijs ſeptem prælaudati præclariſsimi Ill. viri. Habes etiam octavum, qui eſt præſens, in quo quam plura, quę altiorem in alios exigebant indaginem, altiùs illa tangere contra illos, ad hunc diſtuli octavum. Hic fuit animus. Hoc bellum in primo tomo promiſſum. Bellum (inquam) purè intellectuale, in quo eſt pax ſumma, ſumma animorum concordia, veneratio debita, & illibata amicitia. In hoc ſenſu diſſentire volui, bellumque gerere, tantum præclariſsimum virum impugnando. Si autem in meis ſcriptis aliquid inveniatur, quod huius ſcopi metas tantillum excedat, pro non dicto haberi & teſtor & oro. Si verò aliqua ex parte ſapientium & proficientium deſiderio fuerit in illis ſatisfactum, gratulabor valdè & gratias Deo, Maximo, & bonorum omnium largitori, ex præcordijs rependam. Etſi illi deniquè beneplacitum fuerit, vitam, & qualemcumque ſanitatem mihi prorrogare; alias Scholaſticas etiam elucubrationes, quarum compoſitioni intentus iam ſum, & quibus inceſſantèr incumbo, hilaritèr tibi offero. In quatuor diviſas tomos, in animo eſt, illos in lucem prodere. Primi epigraphe, ſeu titulus: *Domeſtica bella Philoſophica*, in quo vltra quæſtiones Principes, maximè inter noſtrates belligeratas, varia, & quam plura proferã argumenta, tùm, oppugnantia; tùm, propugnantia, tàm exteras, quàm domeſticas opiniones. Secundi titulus: *Bellum de Sanguine Chriſti*, in quo intentum principale, imo, & vnicum erit, quod de Chriſti Sanguine ſemper viſum fuit difficilius, exponere, & propugnare. Titulus tertij: *Varia argumenta Theologica*, in quo argumenta erunt in triplicis Scholæ opiniones, per omnes Theologiæ tractatus divagantia. Quarti deniquè titulus: *Vera Axiomatum explicatio*, in quo tot axiomata, quæ labore acquirere valeã, eorumque dextram intelligentiã, claritate ſolita, & brevitate, vt expedit, explanare conabor. Ex his autem duo primi proximi iam ſunt, vt prælo excudentur. Vale igitur iam, Amiciſsime Lector, & vt omnes præ inſinuatus labores quam totius pro mere poſsim, ne valetudo deſit, nec Altiſsimi deficiat auxilium, ſupręmũ numen exora.

QUÆS-

QUÆSTIONES SELECTÆ.

EX DIVERSIS THEOLOGIÆ TRACTATIBUS.

EX TRACTATU DE DEO UNO.

QUÆSTIO PRIMA.

An hæc propositio : *Deus est*, sit per se nota?

Num. 1

HAnc difficultatem in Ill. Godoy tractavimus *tom. 1. in 1. Sent. disput. 2.* ibique *num.* 20. promisimus contra alios eam disputare; quod nunc adimplere aggredior, & ad exactè adimplendum, aliqua ex ibi suppositis, nunc supponere, ita est necessarium, vt aliter ferè sit impossibile, perfectam notitiam prestare. Liceat ergo hæc pauca repetere, nè lectores cogantur, hunc, & illum tomum habere pro perfecta huius quæstionis intelligentia.

§. I.

Necessaria ad quæstionem supponuntur.

2 *Ex quo oritur propositio per se nota.*

SVppono primò: quod propositio per se nota ortum habuit ex primitate, & immediatione requisita in præmissis demonstrationis propter-quid; nam ob earum primitatem, & immediationem sunt à priori indemonstrabiles, & se ipsis sine medio à priori cognoscibiles, quare per se notæ dicuntur, vt docetur in Summulis.

Suppono secundò: quod propositio per se nota sic diffinitur: *Est illa, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem evidentem.* Sic Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Quoniam*; & explicatur. Dicitur *ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius*, quia solum proprij, & speciales termini faciunt propositionem per se notam. Dicitur, *vt sunt eius*, quia secundum illam rationem, secundum quam sunt termini eius, determinatur intellectus, apprehendens illos terminos, ad cognoscendum, quod illa propositio sit evidens.

3 *Diffinitio propositionis per se notæ.*

Ex qua Scoti diffinitione manifestè infertur, quod solum illa propositio, cuius prædicatum est de subiecto à priori indemonstrabile, nulloque indiget addito ad explicandam essentiam rei, seu est proprium, & speciale rei, est rigorosè per se nota, quia solum hæc tantum indiget ad sui cognitionem perceptione terminorum eius, scilicèt, subiecti, & prædicati. Huius generis sunt propositiones, quibus diffinitio prædicatur de diffinito, vt hæc: *Homo est animal rationale*, & in

4 *Quæ, & sola sit propositio per se nota.*

quibus prima passio prædicatur de diffinitione, vt hæc: *Animal rationale est risibile*, & in quibus per explicationem terminorum vocalium tota claresceat audienti propositio, *vt quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte*, quæ prima principia dicuntur. In his itaquè propositionibus conditiones ad propositionem per se notam reperiuntur.

5 *Subinfertur 1.* Ex hoc subinfertur primò: quod nulla propositio, quæ, vt cognoscatur, prædicatum conuenire subiecto, indiget probatione illativa à priori, per se nota est; quia non ex terminis eius apparet. Quod autem indigeat propter ruditiem intellectus probatione à posteriori, non obstat, vt per se nota sit; hoc enim non destruit, propositionem esse ratione terminorum notam ex se.

6 *Secundò.* Subinfertur secundò: quod nulla propositio, in qua prædicatum accidentaliter, vel contingenter enuntiatur de subiecto, est per se nota, etiam si intuitivè per experientiam sensuum cognoscatur, vt *Ignis est calidus*; *Nix est alba*. Primò: quia quælibet est à priori demonstrabilis; verè enim in igne datur causa caloris, & in nive albedinis. Secundò: quia nulla ex his cognoscitur ex apprehensione terminorum, sed cognitione sensitiva experimentali; quare non per se, sed per aliud cognoscitur. Tertiò: quia ex vi terminorum tantum apprehenditur inhærentia accidentalis, quæ non causat in intellectu evidentem veritatem. Quartò: quia quælibet est propositio contingens. Quintò: quia nulla est necessaria. Potest tamen dici: prædictas propositiones esse per se notas, quatenus primo à sensibus percipiuntur; sed de hoc non quærimus.

7 *Tertiò.* Subinfertur tertiò: quod nulla propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto: vt *Homo est risibilis*, per se nota est; habet enim medium, per quod à priori demonstretur, scilicèt, diffinitio eius. Hoc est expressum in Scoto *citat. §. Quoniam, & Vlterius*, dicente: quantum ad propositionem per se notam alius terminus est diffinitio, & alius diffinitum, quia potest accidere, quod posito diffinito pro subiecto propositionis, propositio non sit per se nota, vt constat in allata; benè verò posita diffinitione pro subiecto, vt in hac: *Animal rationale est risibile*.

8 *Quartò.* Subinfertur quartò: quod nulla propositio, in qua pars diffinitionis generica confusè prædicatur de diffinito, vt hæc: *Homo est animal*, per se nota est; benè verò omnis propositio, in qua pars differentialis constitutiva de diffinito prædicatur, vt hæc: *Homo est rationalis*; quia in prima propositione prædicatum est commune; nō verò proprium, & speciale, quod requiritur ad propositionem per se notam ex eius diffinitione. E contra est in propositione secunda.

9 *Quintò.* Subinfero quintò: quod nulla propositio, in qua prædicatum commune, vel transcendens prædicatur de aliquo, vt commune tantum, est per se nota, nisi illud prædicatum sit notum secundum se; v. g. hæc propositio: *Homo est ens, substantia, vivens, &c.* non est per se nota, nisi ens, substantia, vivens, &c. sint secundum se nota. Quo dato de omnibus de quibus prædicentur, per se nota erunt. Ratio est: quia quando aliqua propositio communis ratione terminorum est per se nota, propositiones particulares participantes totam rationem eius, etiam per se notæ sunt, v.g. quia istæ propositiones communes: *Homo est animal rationale. Quodlibet est, vel non est*, per se notæ sunt, etiam istæ particulares: *Petrus est animal rationale. Deus est, vel non est*, propositiones per se notæ sunt; quia in illis reperitur ratio propositionis per se notæ particularizata.

10 *Quid sufficiat ad propositionem per se notam.* Suppono iam tertiò: quod quando termini propositionis per se notæ plures habent conceptibilitates, non requiritur, vt propositio sit per se nota, quod clarè à cognoscente cognoscatur secundum omnes suas conceptibilitates; sufficit namque, quod clarè, & distinctè percipiatur secundum illam conceptibilitatem, secundum quam in tali propositiotione causat per se notitiam evidendem. Sit exemplum in hac propositione per se nota in Geometria: *Linea est longitudo sine latitudine*. Termini eius plures habent conceptibilitates; linea enim est ens accidentale, quantitativum, & mensurabile in longum, non in latū, nec in profundum. Vt verò talis propositio in Geometria sit per se nota, non est necesse, quod Geometer cog-

Exemplum

nos-

noſcat clarè lineam ſecundum omnes ſuas conceptibilitates, ſed ſolum ſecundum illam, ſecundum quam cauſat notitiam evidentem in propoſitione Geometrica, ſcilicèt, ſecundum menſurabilitatem longam.

11 *Tollitur quædã Scotiſtarũ controverſia.*

Hoc firmitèr eſt tenendum, vtpotè, verum, quod docuit Scotus *citat. §. Ex duobus*, & quo ſic intellecto, tollitur inter Scotiſtas controverſia: An ad propoſitionem per ſe notam requiratur clara terminorum cognitio, vel confuſa tantum ſufficiat? Pro cuius maiori declaratione, ſuppoſitio prædicta alio corroborarur exemplo.

12 *Exemplum*

Hæc propoſitio: *Totum*, ſcilicèt domus, *eſt maius ſua parte*, ſcilicèt cubiculo, eſt omnibus per ſe nota; atqui non omnes concipiunt clarè, & diſtinctè terminos ejus ſecundum omnes ſuas conceptibilitates, ſcilicèt, quod domus ſit ſubſtantia materialis, corporea, &c: ergo ſufficit, quod terminus cognoſcatur clarè ſecundũ illam conceptibilitatem, ſecundum quam cauſat notitiam evidentem. Sufficit igitur ad propoſitionem per ſe notam clara cognitio terminorũ, vel quoad nominis, vt in primis principijs vniverſalibus, vel quoad quid rei, pertinentis tantum ad illam propoſitionem, vt formalitèr in ea enuntiantur, licèt confusè aliæ terminorũ conceptibilitates cognoſcantur.

13 *Triplicitèr ſumi poteſt propoſitio*: Deus eſt.

Deniquè ſuppono: quod hæc difficultas: An *Deus eſt*, ſit propoſitio per ſe nota? Triplicitèr poteſt intelligi. Primo: ſic, quod prædicatum enunciet de Deo ipſam Deitatem, vel illud ſpeciale, quod Deum conſtituit, & hoc modo certum eſt, prædictam propoſitionem eſſe per ſe notam ex Scoto *citat. §. Ex his ad quæſtionem*, & iuxtà dicta *num.* 4. Sumi poteſt ſecundo: ſic, quod prædicatum enunciet de Deo aliquid, quod in confuſo continet, ſivè ſit prædicatum tranſcendens, ſivè modale, ſivè attributale; & hoc modo prædicta propoſitio non eſt per ſe nota ex dictis *num.* 9. conſtatque ex Scoto *citat. §. Dico, quod nulla talis*, cuius ratio iam eſt ſupra tacta. Tertiò poteſt accipi, ſic, quod prædicatum enunciet de Deo ſolum id, quod ſonat, & clarè explicatur ſine alio addito, ſcilicèt, exiſtentiam, & hoc modo quæritur: An hæc propoſitio: *Deus eſt*, ſit per ſe nota?

Hæc ſunt valdè neceſſaria ad reſolutionem quæſtionis; alia autem videnda relinquo in tomo ſupradicto, vbi plura manent ſuppoſita, & ad difficultatem reſolvendam progredior. Pro cuius deciſione. Sit.

Vide tom. 1 in 1. Sent. diſp. 2.

§. II.

Referuntur ſententiæ, verior eligitur, & authoritate probatur.

14 *1. Sentent. Albertus. Averſa. Joan. à S. Thom.*

PRima ſententia, quam tuentur Albertus, Averſa, & Ioannes à S. Thoma, tenet: prædictam propoſitionem eſſe per ſe notam Sapientibus, non verò omnibus. Secunda, quam defendunt D. Thomas, Caietanus, Capræolus, Gonet, cæterique Thomiſtæ, aſſerit: propoſitionem prædictam eſſe per ſe notam ſecundum ſe; non tamen nobis viatoribus; cuius opinionis vtriuſque ſecunda pars impugnata manet *tom. citat. diſp. 2. §. vltimo*, vbi ex profeſſo contra Ill. Godoy reiecimus diviſionem propoſitionis per ſe notæ in per ſe notam ſecundum ſe, & per ſe notam quoad nos. Prima verò pars ex probationibus noſtræ concluſionis refutabitur.

2. Sentent. D. Thomas. Caietanus. Capræolus. Gonet.

15 *Tertia. Albertinus D. Bonav. Alenſis. Aureolus.*

Tertia ſententia, quam habent Albertinus. D. Bonaventura, Alenſis, Aureolus, affirmat: prædictam propoſitionem eſſe abſolutè per ſe notã, pro qua citatur Scotus *in 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. §. Ex his ad quæſtionem*, quem ſecuntur Lichetus, Pontius, Smiling, Faber, etſi iſte *in 1. diſt. 2. quæſt. 5. diſput.* 14. poſt ſolutionem argumentorum teneat: exiſtentiam ſecundum eſſe formale, non eſſe de quidditate Dei.

16 *Quarta. Scotus. Mayron. Bargius. Trombeta.*

Quarta ſententia, quam tenet Gabriel, Arriaga, & alij, negat: eſſe per ſe notam ſuprà poſitam propoſitionem. Pro hac opinione ſtat Scotus omnibus locis, quibus ait: exiſtentiã non eſſe de quidditate Dei, & locis, ex quibus noſtram probabimus concluſionem. Scotum ſequuntur Mayronus, Bargius, Trombeta, & alij antiqui diſcipuli eius. His itaquè relatis, cum Scoto, & contra omnes Scoticæ opinioni adverſantes. Sit.

17 *Concluſio.*

Concluſio: hæc propoſitio: *Deus eſt, prædicatum enuncians de Deo exiſtentiam ſine aliquo addito, non eſt per ſe nota.* Sic Subtilis Doctor *citat.* & citandus, cum quo Authores pro

quarta ſententia relati. Hæc concluſio mihi videtur probabilior, ipſamq; ex Scoto *in 1. diſt. 2. quæ. 2. §. Dico, quod nulla talis*, probavimus *tom. & diſput. citat. num. 21.* & quod ad eam reſpondere valent adverſarij, per ſequentia manet impugnatum. Nunc autem ex alijs locis probanda venit, vt conformior ad eius principia videatur, quidquid dicant Lichetus, Pontius, Faber, Smiſing, alijque valdè ingenioſi Scotiſtæ in manu ſcriptis.

18 *Probat. 1. ex Scoto.*

Probatur itaquè primo concluſio ex Scoto *in 1. diſt. 8. quæſt. 3. §. Sed ſi arguas*, dicente: *Vt quaſi per prius intelligatur aliquomodo infinitas eſſe modus entitatis per eſſentiam, quam ipſum intelligatur eſſe hoc*: ergo ſingularitas non eſt conſtitutiva Dei Conſequentia patet: nihil enim, quod convenit rei, vt quaſi poſterius modo intrinſeco, eſt conſtitutivum illius, cum iam præſupponatur res ante omnem modum conſtituta.

19 *Infero.*

Infero nunc: ergo nec exiſtentia eſt conſtitutiva Dei. Probatur: exiſtentia in ſententia probabili Scotiſtarum ſubſequitur ſingularitatem; imò hoc inſinuat Scotus *in 1. diſt. 2. quæſt. 2. §. Ad quæſtionem*, dicens: *Eſſe, & eſſentiam Divinam, vt eſt hæc*, & clariùs, *§. Dico, quod nulla talis*, dicens: *Eſſe autem primo convenit huic eſſentiæ, vt eſt hæc.* Item *in 2. Poſter. quæſt. 4. §. Intelligendum tamen eſt*, dicens: *Eſſe exiſtere non conſequitur primo eſſentiã, ſed primo conſequitur individuum.* Similiter *in quæſt. 6. §. Item*, his verbis: *eſſe exiſtere primo conſequitur individuum*; atqui ſingularitas, quia infinitatem ſupponens, non eſt Dei conſtitutiva: ergo nec exiſtentia vtrumque ſubſequens.

20 *Infero amplius.*

Infero amplius: ergo hæc propoſitio: *Deus eſt*, non eſt per ſe nota. Probatur conſequentia: omnis propoſitio per ſe nota eſt immediata; ſed hæc propoſitio: *Deus eſt*, non eſt immediata, ſubſequitur namque, vt dixi, eius prædicatum ad infinitatem, & ſingularitatem: ergo hæc propoſitio: *Deus eſt*, non eſt per ſe nota.

21 *Reſpondent Lichetus, & Smiſing.*

Dices cum Licheto, & Smiſing: Scotum loqui ſecundum imperfectũ noſtrum modum loquendi, quia priùs concipimus in Deo id, quo à creaturis differt, quam id, ratione cuius convenit. Hoc eſt exiſtentia, illud verò infinitas. Solutio hæc refutata manet ex dictis *tom. & diſp. citat. à numer. 22.* Vltra quæ. Contra: hæc expoſitio ſpontanea, & ſine fundamento eſt: nulla ergo. Probatur antecedens: Scotus ibi loquitur de eſſe, vt convenit Deo, non vero vt à nobis concipitur: ergo expoſitio hæc ſpontanea, & ſine fundamento eſt. Probatur antecedens ex verbis Scoti, ait namque: *Ens autem, vt convenit Deo, ſcilicèt, ens per eſſentiam, eſt ipſum eſſe infinitum, & non aliquid, cui tantum convenit ipſum eſſe, & ideò ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum, vt quaſi per prius intelligatur aliquomodo infinitas eſſe modus entitatis per eſſentiam, quam ipſum intelligatur eſſe hoc*: ergo Scotus ibi loquitur de eſſe, vt convenit Deo, non verò vt à nobis concipitur.

22 *Probat 2. concluſ.*

Probatur ſecundo concluſio ex ipſo *in 2. diſt. 3. quæſt. 9. §. Ad quæſt. num. 7.* Vbi tribuit Angelo notitiam abſtractivam Divinæ eſſentiæ diſtinctam. Et *quodlib. 7. artic. 2. §. Quod probatum eſt, num. 8.* dicẽte: *De Deo poteſt haberi notitia diſtinctiſsima*, & hoc de viatore loquendo; atqui ex Scoto *citat.* poteſt dari hæc notitia Dei ſine tendentia ad eius exiſtentiam; ait namque paulo infrà: *Quod intelligo ſic, quod ipſa exiſtentia non neceſſariò requiritur, vt actualiter conveniens obiecto, ſcilicèt Deo*: ergo exiſtentia non eſt de quidditate Dei: ergo propoſitio, in qua exiſtentia prædicatur de Deo, non eſt per ſe nota. Probatur hæc conſequentia: prædicatum propoſitionis per ſe notæ, ad minus debet eſſe de quidditate ſubiecti, vt vniverſaliter, (Pontio excepto) fatentur omnes: ergo propoſitio, in qua exiſtentia prædicatur de Deo, non eſt per ſe nota.

23 *Dices.*

Dices: Scotum his locis ſolum affirmare, poſſe dari notitiam abſtractivam diſtinctiſsimam, abſquè cognitione exiſtentiæ reduplicativè, vt conſtituit notitiam intuitivam. *Contra.* Contra: Scotus concedit notitiam abſtractivam diſtinctam viatori; ſed ad hanc notitiam exiſtentia non requiritur ex Scoto *citat.*: ergo vel Scotus, talem notitiam eſſe ſine tendentia ad exiſtentiam, adhuc ſpecificativè: mala ergo Scoti explicatio.

24 *Probat. 3. concluſ.*

Probatur tertio concluſio ex eodem *quæſt. 3. de rerum princ. numer. 19.* dicente: *Sicut ſe habet eſſentia in Deo ad eſſe, ſic voluntas ad velle*; atqui

pro-

propositio, in qua velle prædicatur de voluntate, non est per se nota: ergo nec propositio, in qua esse prædicatur de Deo: ergo hæc propositio: *Deus est*, non est per se nota.

25 *Dices.* Dices: Scotum hic paritatem formare, vt probet, voluntatem Divinam, eiusque actum esse æqualis ambitus, seu perfectionis, quod erat Scoti intentum, vt patet ex ipso contextu, & explicat Scholiastes; non verò, vt paritas teneat in præsenti. *Respondeo.* Concedo, intentum Doctoris esse supra dictum, sed nego paritatem in præsenti non tenere. Ratio est: nam Scotus reddendo rationem paritatis, ait: *Quia esse est actus entis, & velle actus voluntatis.* Ex quibus verbis sic efformo argumentum: omnis actus præsupponit essentialitèr constitutum id, respectu cuius est actus; sed ratione huius præsuppositionis propositio, in qua velle prædicatur de voluntate, non est per se nota: ergo propter eandem præsuppositionem, propositio in qua *est* prædicatur de Deo, non est per se nota: ergo hæc propositio *Deus est*, non est per se nota.

26 *Probat. 4.* Probatur quartò ex eodem 2. *Posterior. quæst. 4. §. Ad quæst. num. 4.* dicente: *Quod esse existere non est de essentia.* Item in eodem §. ait: *Hæc patet similitèr, quia essentia abstrahitur ab esse, fuisse, & fore, sicut ergo fuisse, & fore, non sunt de essentia, ita nec esse.* Item *quæst. 6. §. Ad primam rationem, num. 3.* distinguit triplex *esse*. Hæc sunt verba eius: *Triplex est esse. Esse essentiæ, & esse, quod est actualitèr essentiæ, & esse existere*; atqui de secundo *esse* asserit, *in hac quæst. 6. §. Ad quæst. num. 2.* quod non est de essentia entis, *quia tale esse est modus essentiæ*: ergo multo minus tertium *esse* erit de essentia. Totum est Scoti. Infero: ergo existentia non est de quidditate entis: ergo propositio, in qua existentia prædicatur de Deo, non est per se nota. Claret hæc consequentia ex dictis *num. 9.*

§. III.

Rationibus probatur conclusio.

27 *Probat. 5. concluſ. ratione.* PRobatur iam quinto conclusio ratione fundamentali: hæc propositio: *Deus est*, nec est à priori indemonstrabilis, nec est propositio, in qua prima passio prædicatur de diffinitione subiecti, nec est primum principium, sic, quod percipiatur, terminis eius auditis: ergo non est propositio per se nota. Consequentia claret ex *num. 4.* Antecedens pro secunda parte est certum: nam per existere convenit Deus cum alijs, quod primæ passioni adversatur, vt constat de qualibet; & quando esset, de diffinito, scilicèt, Deo, prædicatur, non verò de diffinitione subiecti, quod ad propositionem per se notam requiritur ex *num. 7.* Antecedens pro tertia parte etiam constat: nam hæc propositio: *Deus est*, non est ita per se nota, sicut hæc: *Deus est, vel non est*; sed hæc est per se nota ratione illius principij: *Quodlibet est, vel non est*: ergo ratione huius principij, non erit per se nota ista sola: *Deus est.* Confirmatur hoc in hac propositione: *Homo est*, respectu huius: *Homo est, vel non est*, eadem nanque est in vtraq̃ paritas.

28 *Antecedēs pro 1. parte probat.* Antecedens autem pro prima parte, in qua est difficultas, probatur, suppositā distinctione virtuali, quam cum pluribus Thomistis admittit Ill. Godoy, inter essentiam, & existentiam Dei. Existentia Dei, in hac suppositione, est in Deo à priori demonstrabilis: ergo hæc propositio: *Deus est*, non est à priori indemostrabilis. Probatur antecedens: quidquid virtualitèr ab essentia alicuius rei distinguitur, illamque præsupponit in re, potest à priori demonstrari per talem essentiam de illa re; sed existentia in dicta suppositione distinguitur virtualitèr ab essentia Dei, illamque supponit in re: ergo existentia Dei in hac suppositione est in Deo à priori demonstrabilis. Maior patet in qualibet proprietate cuiuscumque rei. Minor est certa. Consequentia infertur.

29 *Confirmat. & augetur difficultas.* Confirmatur, & augetur difficultas: nam quia attributa virtualitèr distinguntur ab essentia, illamque, vt priorem, supponunt, sunt in Deo à priori demonstrabilia: ergo suppositā distinctione virtuali existentiæ ab essentia, de Deo per essentiam erit à priori demonstrabilis existentia: ergo hæc propositio: *Deus est*, est à priori demonstrabilis: ergo non est per se nota secundum se. Quod ad hanc rationem respondere potest Ill. Godoy, dictum, & retorsum manet *tom. & disp. citat. à num. 29. vsque ad 36.*

30 Ad confirmationem respondet Ioannes à S. Thoma: attributa de-

Reſp. Ioan. à S. Thom.

monſtrari a priori, quia ob diverſos conceptus, quos de attributis, & eſſentia formamus, vnum attributum ex alio demonſtrandum diſcurrimus; exiſtenria autem à priori non poteſt demonſtrari, quia non eſt aliud attributum prius exiſtentia, adhuc noſtro modo concipiendi.

31 *Contra 1.*

Contra primò: etſi exiſtentia ſit primum attributum, ſupponit eſſentiam ſub conceptu eſſentiæ; ſed hoc ſufficit, vt à priori demonſtretur de Deo, vt claret de quocumque primo attributo, & prima paſsione cuiuſcumque rei: ergo etſi exiſtentia ſit primum attributum, erit à priori demonſtrabilis per eſſentiam Dei. *Contra 2.* Contra ſecundò: ratio naturæ intellectualis, ſecundum communiorem ſententiam Thomiſtarum, non ſupponit aliquod attributum prius; ſed quia ratione noſtra virtualiter ſupponit immaterialitatem priorem in Deo, de Deo ſecundum Thomiſtas à priori demonſtratur per talem immaterialitatem: ergo licèt exiſtentia ſit primũ attributum, erit à priori demonſtrabilis per eſſentiam Dei.

32 *Probat. 6. concluſ. cõtra Thom.*

Probatur ſextò concluſio contra Thomiſtas, non concedentes exiſtentiam abſolutam in Deo, ſed tantum relativam: propoſitio, cuius prædicatum non eſt de eſſentia ſubiecti, non eſt per ſe nota; ſed in hac propoſitione: *Deus eſt*, exiſtentia, quæ eſt prædicatum, non eſt de eſſentia Dei, qui eſt ſubiectum: ergo hæc propoſitio: *Deus eſt*, prædicatum enuntias de Deo exiſtentiam ſine aliquo addito, non eſt per ſe nota. Probatur minor: de eſſentia Dei non eſt exiſtentia relativa: ergo exiſtentia, quę eſt prędicatum, non eſt de eſſentia Dei, qui eſt ſubiectum. Conſequentia patet: quia ſecundum iſtos, non eſt alia à relativa. Probatur antecedens: de eſſentia Dei non eſt incommunicabilitas, ſed exiſtentia relativa ſubſiſtentia eſt, & conſequentèr incommunicabilis: ergo de eſſentia Dei, non eſt exiſtentia relativa.

33 *Quodam corollariũ.*

Ex præiactis probationibus liquet, quod hæc propoſitio: *Deus eſt*, nec nobis, nec beatis, nec ipſi Deo, eſt per ſe nota, quia non eſt nota ſecundum ſe, vtpotè, prædicatum eius, ſcilicèt, exiſtentia, nec eſt tota diffinitio Deitatis, nec pars ſpecialiſsima Dei conſtitutiva, nec prima paſsio, & hoc dato, non de diffinitione, ſed de diffinito prædicatur, quod obeſt propoſitioni per ſe notæ; nec denique eſt primum principium. Ad hæc itaque tria genera tantum propoſitiones per ſe notæ reducuntur ex dictis *num.* 4. Hoc totum intellige de exiſtentia ſecundum id, quod ſonat, vel clarè explicat, vel ſecundum ſe abſque addito. Aliam duplicem probationem vide *tom. & diſput. cit. num.* 36. *&* 37. Vid. *tom.* 1 *in* 1. *Sent. diſp.* 2. *n.* 36. *&* 37.

§. IV.

Argumenta ab authoritate ſolvuntur.

ARguitur primò: plures Patres tenent: notitiam Dei eſſe hominibus naturaliter inditam, à natura habitam, neminemque poſſe ignorare *Deum eſſe*; ſed talis notitia eſt cognitio immediata rei per ſe notæ: ergo hæc propoſitio: *Deus eſt*, eſt per ſe nota. Confirmatur: Patres aſſerunt: *Deum eſſe*, eſſe apud omnes notum, & omninò evidens: ergo hæc propoſitio: *Deus eſt*, eſt per ſe nota. 34 *Arguit.* 1. *ex Patrib.* Reſpondeo primò ad argumentum ex Scoto *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. *§. Dico, & Ad primum, numer.* 8. *Reſpond.* 1. Patres loqui, non de cognitione actuali, formali, ſed de virtuali, radicali, vel habituali, quia omnibus inditum eſt naturaliter aliquid, vndè cognitio Dei poſsit deduci, ſcilicèt, potentia cognoſcitiva, lumen rationis, organa ſenſuum, & alia. Et quod hæc ſit propria mens Patrum, deducit Scotus ex Damaſceno *lib* 1. *de Fide, cap.* 1. dicente: *Nemo novit eum, niſi in quantum ipſe revelavit* Similiter reſpondeo ad confirmationem. Imò argumentum probat: *Deum eſſe*, eſſe per ſe notum quoad nos, quod Thomiſtę negant, quarè, & ipſi ad ſolutionem tenentur.

Reſpondeo ſecundò ex Pontio curſu Theologico negando minorem: nam vt cognitio Dei ſit naturaliter inſita, non requiritur, quod ſit per ſe notum *Deum eſſe*, ſed ſufficit, quod conſtet, vel per demonſtrationem ex creaturis, vel per diſcurſum, ſaltim moraliter certum, vel per fidem humanam, quibus modis Deus eſt à nobis cognoſcibilis. Similiter reſpondeo ad confirmationem, & hoc liqueat exemplo. Ita certum, & notum eſt, hominem eſſe riſibilem, vt nullus ignorare poſsit, & tamen per ſe notum non eſt, ob defectum conditionum ad propoſitionem per ſe notam requiſitarum: ergo licèt om- 35 *Secundò.* *Exemplum*

ni-

ninò certum, & notum sit, *Deum esse*, vt nemo ignorare possit, non tamen est per se notum, ob prædictum defectum. Simile fac argumentum de prædicato quidditativo, & transcendenti, & erit fortissima retorsio.

36 *Dices.* Dices: si cognitio per se nota Dei, non esset hominibus naturaliter insita, posset dari invencibilis ignorantia de Deo; sed hoc est falsum: ergo cognitio per se nota Dei est hominibus naturaliter insita. Pontius, Arriaga, & alij affirmant: posse dari invencibilem ignorantiam existentiæ Dei; quare cum his negando minorem, ruit argumentum. Cæterum, quidquid sit de hoc, nego maiorem: nam ad tollendam ignorantiam invencibilem de existentia Dei, non requiritur, quod illa sit propositio per se nota, sed sufficit, quod per aliquem discursum facilem, & ex rebus communiter cognitis, cognoscibilis sit. Sit exemplum: ad hoc, vt ignorantia invencibilis de malitia homicidij nequeat dari, non requiritur, quod sit per se notum; sufficit namque, quod facilitèr ex principijs naturę cognoscatur. Cum enim *Deum esse*, sit ita facilitèr ex ordine rerum vniversi cognoscibile, ideo, etsi per se notum non sit, prædicta ignorantia de existentia Dei, non dabitur.

Respondeo.

Exemplum

37 *Arguit. 2. ex Scoto.* Arguitur secundò ex Scoto *in 1. dist. 2. quæst 2. §. Ex his ad quæstionem*, dicente: *Hæc propositio*: Deus est, *est per se nota, per se primo modo, ex terminis evidens, & immediatissima, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitèrcumque concepto*: ergo hæc propositio: *Deus est*, est per se nota. Hæc est Scoti authoritas, in qua valdè fidunt Scotistæ; ipsam maximè ponderant, & non vident ipsos, ipsam solvere teneri. Quod sic probo: Plures Scotistæ, in hoc adversi, tenent: existentiam esse modum intrinsecum Dei; a ij, esse tantum prædicatum quidditativum, & licèt alij pro constitutivo Dei existentiam assignent, nemo vcusquè dixit: existentiam sub conceptu tantum explicito existentiæ, esse Dei constitutivam. Sed hoc probant Scoti verba ab ipsis allata, & in quibus ipsi maximè fidunt: ergo ipsi ipsam solvere tenentur. Respondeant Scotistæ huic retorsioni.

Retorq. 1.

38 *Retorq. 2.* Amplius retorqueo contra ipsos: Scotus *cit.* habet hæc verba: *Propositio illa est per se nota quæ coniungit istra extrema: esse, & essentiam Divinam, vt est hæc*: ergo coniungit Scotus existentiā cū Deo, vt singularis est, vel cum singularitate. Cōsequentia patet ex verbis Scoti. Infero: ergo propositio, in qua existentia prædicatur de Deo, vt singularis est, vel de singularitate, est per se nota. Etiā claret hæc cōsequentia ex verbis Scoti. Sumo nunc: atqui propositio, in qua existentia prædicatur de Deo, vt singularis est, vel de singularitate, nec est per se nota, nec ipsi Scotistæ, vt talem agnoscere possunt: ergo solvere tenentur authoritatem, quam tanto ponderant.

39 *Probatur sussumpta.* Probatur sussumpta: Scotus *citat.* ait: hanc propositionem: *Deus est, esse per se primi modi, & immediatissimam, ad quam omnes aliæ reducuntur*; sed talis non est propositio, in qua existentia prædicatur de Deo, vt singularis est; vel de singularitate, vt omnibus claret: ergo neque erit per se nota. Probatur consequentia: si talis propositio esset per se nota vi verborum Scoti, esset per se primi modi, & immediatissima, ad quam resolverentur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitèrcumque concepto; sed non est per se primi modi, & immediatissima, ad quam resolventur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitèrcumque concepto: ergo neque erit per se nota.

40 *Respond. 1.* Respondeo iam directè explicando Scotum primò: hæc propositio: *Deus est*, ly *est*; enuntians de Deo ipsam Deitatem, vel speciale illud, quod Deum constituit, est per se nota, concedo; ly *est*, enuntians de Deo id, quod sonat, scilicèt, existentiam, nego. Et quod hoc modo loquatur Scotus, claret primo ex verbis ipsius in argumento positis. Secundò ex ipso, dicente: *Sivè Deum, & esse sibi proprium*. Ecce loquitur de esse Deitatis, quod est proprium Dei, per se primo modo, & immediatissimum, ad quod omnia alia reducuntur. Tertiò ex ipso *quæst. 2. Reportator.* vbi ait: *Deus est*, potest dupliciter intelligi: *Vel sub propria ratione Divinitatis, vel secundum conceptum potentialem nobis. Primo modo dico: quod est per se notissima, sed nos ita non cognoscimus.* Vide Scotum accipientem ly *est*, pro ipsa essentia Dei, non verò pro existentia.

Ex-

41 *Secundò.* Explico secundo Scotum dicendo: loqui de existentia radicali, vel, vt ait Faber *citat. §. ante Subsect.* 2. loqui de existentia secundum suum esse reale, quomodo est idem, ac essentia; non verò de existentia formali, vel de existentia secundum esse formale. Primo modo est per se nota prędicta propositio; non verò secundo modo. Hæc explicatio eadē ferè est, ac præcedens.

42 *Dices.* Dices contra vtramque: Scotus *citat. ¶. Sed si quæritur*, inquirit: An propositio, in qua *est*, prædicatur de conceptu, quem nos de Deo concipimus, scilicèt, de ente necessario, infinito, vel summo bono, sit propositio per se nota? Et *§. Dico, quod nulla talis*, negativè resolvit. Atqui Scotus hic loquitur de existentia secundum id, quod explicat de existentia formali, vel secundum suum esse formale; non verò de existentia radicali, vel secundum suum esse radicale; alioquim essent propositiones per se notæ, in quibus *est* prædicatur de ente necessariò, infinito, vel summo bono, quod negat Scotus: ergo sic loquitur Scotus in argumento *citat.*

43 *Respondet.* Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Cuius ratio colligitur fundamento, ex ipso Scoto vtrobique citato; nam in argumento ait Scotus: propositio hæc: *Deus est*, est per se primo modo, & immediatissima, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitèrcumque concepto: ergo loquitur Scotus de esse radicali, quod est ipsa Deitas. Scotus autem in dices *citat.* sic ait: *Dico, quod nulla talis est per se nota propter tria: Primo, quia quælibet talis est conclusio demostrabilis etiam propter quid*: ergo loquitur hic Scotus de existentia formali, & secundum suum esse formale, quia sic tantum est demonstrabilis propter quid: ergo ex ipso cum fundamento colligitur, Scotum loqui de existentia formali, & secundum suum esse formale.

44 *Confirmat.* Confirmatur hoc: Scotus in *§. Dico, quod nulla talis*, hæc habet verba: *Esse autem primo convenit huic essentiæ, vt hæc*: ergo ex Scoto hic, existentia supponit essentiam: ergo loquitur hic, de existentia formali, quæ tantum potest supponere essentiam; non verò de existentia radicali, quia cum hæc sit essentia, essentiam supponere nequit. Sumo nunc: atqui Scotus in argumento *citat.* loqui de existentia radicali, nulli potest esse dubium: ergo cum fundamento colligitur ex ipso Scoto vtrobique *citat.* loqui de existentia formali, & secundum suum esse formale. Imò ob hanc rationem ex Scoto *§. Dico, quod nulla talis*, meam primo probavi conclusionem *tom. & disput. citat. num.* 21. vt in hac quæstione dictum manet *num.* 17.

45 *Respond. 3.* Respondeo denique: Scotum esse problematicum, quod sentire videtur Pontius *in Commento hic*, ex eo, quod in Scoti verbis non nitatur, imo, & Faber *citat.* Et quod hoc sit verum, firmitèr stabilitur. Scotus namquè *quodlib.* 1. *§. Respondeo*, videtur dicere: singularitatem esse primam entitatē; ait enim: *Et aliquam vnicam primam*, vbi per ly *vnicam*, singularitas exprimitur; sed Scotus in argumento *citat.* asserit: existentiam esse primam entitatem, aliam priorem, non exigentem, vtpotè, immediatissimam: ergo Scotus est problematicus.

46 *Firmat. 1.* Ampliùs firmatur: Scotus *in* 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *in responsione ad primam quæst. §. Quantum ad* 1. *artic. ¶. Tertia conclusio, infrà num.* 16. Et *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. *§. Sed si arguas, num.* 29. Et *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 2. *ad vltimum*, asserit: Infinitatem esse priorem existentia; sed Scotus in argumento *citat.* docet omnino oppositum: ergo est problematicus. Item: Scotus omnibus in locis pro me adductis, tenet: hanc propositionem: *Deus est*, non esse per se notam; sed Scotus contra me citatus, videtur dicere: esse per se notam: ergo est problematicus.

47 *Secundò.* Firmatur denique: nam ex eo, quod Scotus *in* 1. *distinct.* 10. *in fine*, sic dicat: *Posse dici, quod in illo priori signo originis, ante quam intelligatur Spiritus Sanctus spirari, Patèr, & Filius cognoscunt Spiritum Sanctum*, dicunt Basolus, Tartaretus, & alij Scotistæ, fuisse Scotum problematicum in quęstione: An verbum procedat ex cognitione personarum; atqui ex Scoto pluries *citat.* colligitur: hanc propositionem: *Deus est*, non esse per se notam: ergo cum in argumento *citat.* videatur dicere, esse per se notam prædictam propositionem, problematicus est Scotus.

§. V.

Pontij argumenta solvuntur.

48 *Arguit. 1.* ARguitur primò ex Pontio *in Commento, hic num.* 29. etsi existentia non sit de essentia Dei, imò esset modus intrinsecus ipsius, potest existentia Deo convenire in primo modo: ergo esset per se nota. Probatur antecedens: posset existentia ab alia formalitate priori non emanare: ergo etsi existentia non sit de essentia Dei, imò esset modus intrinsecus ipsius, potest existentia Deo convenire in primo modo. Probatur antecedēs: etsi singularitas non sit de essentia rei, non pullulat ab alia formalitate priori: ergo similitèr: etsi existentia non sit de essentia Dei, imò esset modus intrinsecus ipsius, potest ab alia formalitate priori non emanare. Sic Pontius.

49 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: etsi existentia non sit de essentia Dei, imò esset modus intrinsecus ipsius, potest existentia Deo convenire in primo modo, vt essentialitèr constituens nego antecedens; in primo modo, non sic constitutivo, sed à Pontio imaginato, omito antecedens, & nego consequentiam; quia hic primus modus conveniendi non sufficit ad propositionem per se notam ex dictis. Respondeo secundò negando primum, secundum, & tertium antecedens: implicat enim, quod prædicatum sit extra essentiam rei, imò, quod sit modus intrinsecus ipsius, & quod ab alio ipso priori non dimanet; supponit namquè quodcumque tale prædicatum essentiam rei, quæ est radix quorumcumque subsequentium, vt claret instantia cuiuslibet rei.

Secundò.

50 *Arguit. 2.* Arguitur secundò ex eodem: existentia, vel est prædicatum essentiale Dei, vel modus intrinsecus, vel attributum; sed quomodocumque, qui habet distinctam aprehensionem Dei secundum rationem suam particularem, necessariò determinatur ad cognoscendum, quod existat: ergo propositio *Deus est*, Deo distinctè aprehenso, est per se nota. Probatur minor quod ad primam partem: nam si est prædicatum essentiale, nequit Deus distinctè concipi, quin concipiatur existentia in illo inclusa. Probatur quoad secundam, & tertiam: nam per se notum est, proprietatem competere essentiæ rei: ergo sivè sit modus, sivè attributum, qui habet distinctam aprehensionem Dei secundum rationem suam particularem, necessariò determinatur ad cognoscendum, quod existat.

51 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentum, negando minorem, ad probationem primę partis omitto antecedens, & distinguo consequens: necessariò determinatur ad cognoscendum prę-cisè, quod existat, omitto consequēs; ad cognoscendum evidentèr nego consequentiam. Ratio est: quia ad evidentèr cognoscendum, sic, quod propositio sit per se nota, requiritur ex eius diffinitione, quod prædicatum sit proprium, & speciale; non verò sufficit, quod sit commune. Hoc habet existentia, non illud, quare Deum existere, per se notum non est.

52 *Retorqueo.* Imò ex hoc retorqueo argumentum: in omnium sententia, ens, substantia, vita, &c. sunt prædicata essentialia Dei: ergo qui habet distinctam aprehensionem Dei secundum rationem suam particularem, necessariò determinatur ad cognoscendum, quod sit ens, substantia, vivens, &c: ergo hæ propositiones: *Deus est ens, substantia, vivens, &c.* sunt per se notę? Mala apud omnes consequentia. Similitèr, & minor Pontij.

53 *Respond. 2.* Respondeo secundo distinguendo probationem: si existentia est prædicatum essentiale vltimo constituēs, concedo antecedens; si est quasi genericum, vel transcendens, subdistinguo: nequit Deus distinctè concipi adæquatè, quin concipiatur existentia in illo inclusa concedo antecedens; inadæquatè, scilicèt, secundum suam rationem vltimo tantum constitutivam nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Cum ergo existentia in nulla opinione sit Dei constitutivum, secundum id, qnod explicat, sed ad summum quasi quid genericum, vt est animal in homine, vel quid transcendens, vt prædicata superiora, optimè poterit Deus, saltim inadæquatè secundum suam essentiam concipi, quin vt existens concipiatur. Ex quo formari potest retorsio suprà facta.

54 *Respond. 3.* Respondeo tertiò concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam; non enim ex præmissis infertur, quod ista propositio: *Deus*

est,

est, sit per se nota, quod probatur in vtraque doctrina: nam in Scoti probabili sententia, qui habet distinctam aprehensionem Dei, secundum suam rationem particularem, necessariò determinatur ad cognoscendum modos intrinsecos, & in sententia Thomistarum omnia attributa; repugnat enim in illa, Deum cognosci distinctè sine modis, & in hac sine attributis; atqui in nulla opinione propositio, in qua modus, vel attributum prædicatur de Deo, est per se nota: ergo ex eo, quod quis habeat distinctam aprehensionē Dei secundum rationem suam particularem, necessariòque determinetur ad cognoscendum, quod existat, non sequitur, quod hæc propositio *Deus est*, sit per se nota, si existentia est modus intrinsecus, vel attributum Dei.

55 *Ad 2. & 3. probation.* Ad secundam, & tertiam probationem omitto antecedens, & distinguo consequens: necessariò determinatur ad cognoscendum, quod existat, prædicando existentiam de essentia Dei omitto consequens; prædicando existentiam de Deo nego consequentiam. Claret quippè ex dictis, nullam propositionem, in qua passio prædicatur de subiecto, esse per se notam, quia est à priori de subiecto, per suam essentiam demonstrabilis, licèt propositio, in qua passio prædicatur de essentia sit per se nota: ergo cum in præsenti sit sermo de existentia, vt prædicatur de Deo, nihil nobis officit, quod esset per se nota prædicando existentiam de essentia Dei, cum nota non sit, illam de Deo prædicando. Sic ruunt sequentia Pontij.

56 *Respond. 4.* Respondeo denique ad totum Pontij argumentum, multum probare: probat enim, omnem propositionem, in qua prædicatum quidditativum, modus intrinsecus, vel attributum de Deo prædicatur, esse per se notam, quod in vniversum est falsum, quare, & ipse solvere tenetur.

§. VI.

Aureoli argumenta solvuntur.

57 *Arguit. 1.* ARguitur primò ex Aureolo: illa est propositio per se nota, cuius cognitionem potest quis habere per ipsum sine instructione; sed *Deum esse*, potest quis cognoscere sine instructione: ergo propositio *Deus est*, est per se nota. *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem: nam propositio per se nota dicitur per conditiones suprà allatas, non verò per hoc, quod habeatur, vel non habeatur sine instructione; alioquim omnes scientiæ adquisitæ propria industria, sine doctrina Magistri, essent per se notæ, quod est falsum. Quare ex hoc, argumentum retorqueatur.

58 *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo maiorē: si cognoscatur evidentèr, evidentia terminorum, concedo maiorem; evidentia ab alio, vel probabilitèr tantum, aut certo moralitèr, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Hæc solutio alia non indiget explicatione. Denique: argumentum probat: *Deum esse* esse per se notum quoad nos, ex quo fiat retorsio.

59 Arguitur secundò ex eodem: si propositio includens est per se nota, propositio inclusa debet esse per se nota; sed propositio includens propositionem, enuntiantem existentiam de Deo, est per se nota: ergo propositio enuntians existentiam de Deo est per se nota. Probatur minor: hæc propositio: *Deus est colendus*, includit hanc: *Deus existit*, quia solum debet coli, quod existit; sed *Deum esse colendum*, est propositio per se nota: ergo propositio *Deus est*, est per se nota.

60 *Responsio aliquorum.* Respondent aliqui distinguendo maiorem: si propositio includens est per se nota absolutè, propositio inclusa per se nota debet esse, concedo maiorem; si est per se nota ex suppositione, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Concedo maiorem probationis, distinguo similitèr minorem, & consequens. Dato enim, quod *Deum esse colendum*, si per se notum, est per se notum practicè tantum, ex suppositione huius veritatis speculativæ: *Deus existit*; ex quo solum sequitur, quod propositionem probativam, ad praxim pertinentem, non supponat, vel si supponit, per se nota sit; non tamen, quod propositio speculativa, quam includit, sit per se nota; Tum primò: quia cum hac non notione, stat practica notio illius veritatis. Tū secundò: quia alioquim *Deum esse colendum*, non tantum practicè, sed speculativè esset per se notum, quod etiam apud Aureolum est falsum. Hanc solutionem approbat Ill. God. *tom. 1. in 1. part. disp. 2. num. 96.*

Di-

61 *Dices.*

Dices contra solutionem: ergo si propositio includens est per se nota absolutè, propositio inclusa erit per se nota; atqui hæc propositio: *Deus est*, ly *est*, explicans Deitatem, est per se nota absolutè, & includit has propositiones: *Deus est ens, substantia, vivens, &c.*: ergo saltim istæ erunt per se notæ; sed hoc multoties falsum esse dixi: ergo solutio allata ruit. Ob hanc replicam aliter est respondendum.

62 *Respond. 1. ad argum.*

Respondeo primò distinguendo maiorem argumenti: si propositio includens est per se nota, ratione propositionis inclusæ, propositio inclusa est per se nota, concedo maiorem; si est per se nota ratione sui, & non ratione propositionis inclusæ, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Distinguo similiter minorem probationis, & consequens. Patet solutio ex dictis *num. 9.*

63 *Secundò.*

Respondeo secundò negando maiorem, ob regulam illam generalem: *Non omne, quod reperitur in inferiori, debet reperiri in superiori*, vt liquet de quolibet. Vt autem esset vera prædicta maior, sic efformari deberet: si propositio inclusa est per se nota, propositio includens per se nota debet esse, ob regulam: *quidquid reperitur in superiori, debet reperiri in inferiori.*

64 *Tertiò.*

Respondeo tertiò negando vltimam minorem: nam hæc propositio: *Deus est colendus*, resolvitur in hac moralem: *Enti dignissimo debetur cultus*, & in hanc speculativam: *An Deus sit ens dignissimum, & quare*, quare per se nota non est, quia a priori est demonstrabilis per has. Sic Mayronus *in 1. dist. 2. quæst. 2.*

65 *Contra.*

Contra: prima principia sunt propositiones per se notæ: sed istæ propositiones: *Deus est colendus. Deus non est creatura*, sunt prima principia: ergo ruit solutio. Probatur minor: *Deus est colendus*, est primum principium practicum. *Deus non est creatura*, est primum principium speculativum: ergo sunt prima principia.

Adverte pro responsione.

Adverte ante solutionem: duo esse genera primorum principiorum. Primum dicitur absolutè primum, seu axioma, quod est per se notum, & est illa propositio, *quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem evidentem.* Secundum dicitur eorum, quæ secundum quid, vel respectivè dicuntur prima principia, seu axiomata demonstrata, & hæc per se nota non sunt, quia non sunt propositiones, *quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, habet veritatem evidentem.* Dicuntur tamen prima principia, quia ita connectuntur cum primis principijs absolutè, vt immediatè ex ipsis oriantur. Hoc animadverso.

66 *Respondeo.*

Respondeo ad replicam distinguendo maiorem: prima principia, absolutè prima, sunt propositiones per se notæ, concedo maiorem; prima principia secundum quid tantum, & comparativè, nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Hæc enim propositio: *Deus est colendus*, est à priori demonstrabilis, per alias, vt paulo *suprà* dixi. Hæc verò: *Deus non est creatura*, nititur in hoc medio: *Duæ contradictoriæ nequeunt esse simul veræ*; & in hoc: *Quare repugnet Deum esse creaturam*; quare non prima principia, absolutè prima, sed secundum quid tantum, & comparativè dicuntur: ergo non sunt per se nota.

67 *Retorqueo.*

Respondeo denique ad argumentum: multum probare: probat enim: *Deum esse ens, substantiam, viventem, &c.* esse per se notum, quod est falsum, vt claret ex dictis *num. 9.* Quare argumentum retorsionem patitur; ipseque Aureolus, cuius est difficultas, solvere cogitur. Imo probat: *Deum esse*, esse per se notum quoad nos.

68 *Arguit. 3.*

Arguitur tertiò ex eodem: illud est per se notum, quod non potest cogitari non esse; sed non potest mente concipi, Deum non esse: ergo *Deus est*, est propositio per se nota. Probatur minor: hæc propositio: *Deus non est*, habet repugnantiam immediatam ex terminis; sed propositio immediatè ex terminis repugnans, non potest mente concipi: ergo non potest mente concipi, Deum non esse. Probatur maior: iste terminus: *Deus*, significat id, quo maius excogitari non potest; sed ex terminis repugnat, non esse id, quo maius excogitari non potest; alioquin non esset maius; existens enim maius est non existente: ergo hæc propositio: *Deus non est*, habet repugnantiam immediatam ex terminis.

69 *Respond. 1.*

Respondeo primò negando minorem primi syllogismi, & maiorem se-

secundi, distinguoque maiorem tertij: ille terminus *Deus*, significat id, quo maius excogitari non potest, ita, quod fide, vel discursu cognoscatur, concedo maiorem; ita, quod sine medio potest evidenter cognosci talis significatio, nego maiorem, minorem, & consequentiam. Imò argumentum se destruit, dum vtitur medio ad cognitionem illius propositionis: *Deus est*, scilicèt, quod significet id, quo maius excogitari non potest; & quod ei repugnet non esse; si enim hoc est necessarium ad cognoscendā prædictam propositionem, non erit per se nota; quia ad eius cognitionem eget medio illativo.

Secundò.

70 *Tertiò.* Potest etiam negari absolutè vltima maior: fortè enim, qui Deo existentiā negant, negabunt etiam, quod nomen *Deus*, significat id, quo maius excogitari non potest. Imò Antropomorphitæ dixerunt: Deum esse corpus, constans membris humanis; sed corpus non est id, quo maius excogitari non potest: ergo non omnes intelligunt per nomen *Deus* id, quo maius excogitari non potest. Deniquè: hoc etiam argumentum probat: *Deum esse*, esse per se notum quoad nos, quod ipsi negant contrarij; quare illud solvere tenentur.

§. VII.

Cæteris argumentis occurritur.

71 *Arguit. 1.* ARguitur primò: per se notum est, esse veritatem; sed Deus est veritas: ergo per se notum est, *Deum esse*. Probatur maior: sequitur veritatem esse ex suo oppositō; nam si nulla est veritas, hoc ipso verum est, nullam veritatem esse: ergo per se notum est, veritatem esse. Respondeo primò negando maiorem cum probatione; ex illa enim non sequitur: ergo verum est, aliquam veritatem esse; sed quod sequitur, est: ergo non est verum, aliquam veritatem esse; quia nulla veritas est. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Dico, quod nulla talis,* ℣. *Alitèr potest negari maior, num.* 8.

Respond. 1.

72 *Secundò.* Respondeo secundò negando consequentiam, quia est fallatia consequentis; arguitur enim affirmativè, à superiori, scilicèt, à veritate in communi, ad inferius, scilicèt, ad veritatem in particulari, nempè, Deum. Explicatur fallatia in hoc simili: *Datur animal; sed homo est animal: ergo datur homo.* Mala consequentia, quia prædicta committitur fallatia. Sic Scotus *citat.* ℣. *Ad tertium dico.*

Arguitur secundò: propositiones habentes necessitatem secundū quid, ex terminis habentibus entitatem secundum quid, sunt per se notæ, vt prima principia; scilicèt, *totum est maius sua parte. Homo est animal rationale*: ergo multo magis illa erit per se nota, quæ habet necessitatem ex terminis simplicitèr necessarijs, vt hæc: *Deus est*. Antecedens patet: quia necessitas primorum principiorum, eorumque noscibilitas, non est propter existentiam terminorum in re, sed tantum propter connexionem extremorum, vt sunt in intellectu concipiente. Consequentia infertur.

73 *Arguit. 2.*

Respondeo concedendo antecedens, & negando suppositum consequentis; supponit enim, quod propositio per se nota dicatur talis propter necessitatem existendi, sivè in re, sivè in intellectu, quod est falsum; dicitur namque ex eo, quod causet evidentiam absquè alio medio, vel addito. Cum igitur aliquæ propositiones, quarum extrema non necessariò existunt, causent talem evidentiam; non verò alia, quorum extrema necessariò existunt, & sunt connexa, ideò licèt sit minor necessitas terminorū, non est minor evidentia propositionum. Sic Scotus *citat.* ℣. *Ad vltimum dico, num.* 9. Item: argumentum probat: esse per se notam quamcumque propositionem, in qua modus, vel attributum de Deo prædicatur. Ex quo fiat retorsio. Tandem probat: quod *Deus est*, est propositio per se nota, quoad nos, quod non admittunt Thomistæ.

74 *Respondeo.*

Arguitur tertiò: hæc propositio: *Ens necessarium est necessariò existens*, est per se nota, sicut hæc: *Operans actu est*; sed Deus est ens necessarium, & operans actu: ergo per se notum est, *Deum esse*. Nota ante solutionem; quod quando subiectū alicuius propositionis est quid complexum, prædicatum eius non est per se notum de illo, nisi sit per se notum, partes vniri necessariò complexo. Hoc notato.

75 *Arguit. 3.*

Nota pro solutione.

Respondeo negando maiorem: nam vtraque propositio habet subietum complexum. Prima habet *ens necessarium*, & secunda *operans actu*, quarè neutrum prædicatum est per se

76 *Respondeo.*

no-

notum, quia per se notum non est, dari tale ens necessarium, & tale operans actu; connexio enim necessarij cum ente per se nota non est, sed fide, vel discursu cognita. Sic Scotus *citat. ỳ. Ideò aliter, num. 6.*

77 *Replicabis.* Contra: non existentia repugnat enti necessariò, & rei actu operanti: ergo per se notum est, quod existat ens necessarium, & actu operans. *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: ita, quod sit per se nota talis repugnantia convenire subiecto complexo, quin sit per se notum, dari tale complexum, nego antecedens; ita, quod non sit per se notum, dari tale complexum, concedo antecedens, & nego consequentiam, propter rationem datam *num. anteced.* Sic Scotus *citat.* *Secundò.* Vel ex ipso respondeo secundò concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam ad propositionem per se notam non sufficit, quod oppositum prædicati repugnet subiecto; sed requiritur, quod sit per se notum, dari tale subiectum.

78 *Tertiò.* Respondeo tertiò aliter ex Scoto distinguendo antecedens: repugnat ratione totius complexi, nego antecedens; ratione vnius extremi, scilicet, *necessariò, & actu operanti*, concedo antecedens, & nego consequentiam. In his iraquè complexis: *ens necessarium, & res actu operans*, est duplex extremum, scilicet, *ens*, & *necessarium*, *res*, & *actu aperans*; non igitur est per se notum, ista extrema inter se vniri, quia *ens*, & *necessarium*, *res*, & *actu operans*, habent rationem à priori suæ vnionis, scilicet, Deitatem.

79 *Replicabis.* Contra: si aliquod prædicatum repugnat subiecto, evidens est, quod oppositum prædicatum conveniat ipsi; si enim negatio animalis repugnat homini, animal necessariò convenit ipsi; alioquim daretur medium inter contradictoria: ergo si non existentia repugnat enti necessario, evidens est, quod existentia competat ipsi: ergo per se notum est, quod existat. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: si aliquod prædicatum repugnat evidenter subiecto, evidens est, quod oppositum prædicatum conveniat ipsi, concedo antecedens; si non repugnat evidenter, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Cum ergo evidens non sit repugnantia ob non evidentiam complexi, nihil contra nos.

80 *Retorqueo.* Deindè: retorqueo replicam in eius exēplo, & ex hoc fiat in infinitis retorsio: si aliquod prædicatum repugnat subiecto, evidens est, quod oppositum prædicatum convenit ipsi; sed negatio animalis repugnat homini: ergo evidens est, quod animal ipsi competat: ego per se notum est, quod homo sit animal. Respondeant adversarij.

81 *Replicabis.* Contra: non evidentia complexi non tollit, quod propositio sit nota per se: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: hæc propositio: *Ens necessarium est ens necessarium*, est per se nota; sed non est evidentia illius complexi, scilicèt, *est necessarium*: ergo non evidentia complexi non tollit, quod propositio sit per se nota. Probatur maior: propositio, in qua prædicatur diffinitum de diffinito, est per se nota, sicut propositio, in qua prędicatur diffinitio de diffinito; sed in allata propositione prædicatur diffinitum de diffinito: ergo hæc propositio: *Ens necessarium est ens necessarium*, est per se nota. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: propositio, in qua prædicatur diffinitum de diffinito non complexo, est per se nota, omitto maiorem; de diffinito complexo, subdistinguo: si est per se notum, dari tale complexum, concedo maiorem; si non est per se notum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

82 *Ratio solutionis.* Ratio solutionis est: nam propositio, in qua prædicatur diffinitum de diffinito, potest esse falsa, per non suppositionem veram subiecti, vt claret in hac, & ex hac in plurimis: *Homo necessarius est homo necessarius*, in qua prædicatur diffinitum de diffinito, & tam longè abest, quod sit per se nota, quod est omninò repugnans, ex eo, quod coniunctio necessitatis cum homine repugnet. Cum autem in præallata propositione, scilicèt: *Ens necessarium est ens necessarium*, supponatur esse per se notam coniunctionem subiecti, quod non est verum, ideò per se nota non est.

83 *Replicabis.* Contra: etsi non sit per se notum, dari hoc complexum: *ens necessarium*, hæc propositio: *Ens necessarium est ens necessarium*, est per se nota: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: præ-

 dic-

dicta propositio est identica : ergo prædicta propositio est per se nota. Probatur consequentia : propositio identica est per se nota; sed per te prædicta propositio est identica : ergo est per se nota. Probatur maior: hæc propositio: *Deus est Deus*, est per se nota; sed est identica: ergo propositio identica est per se nota. Respondeo distinguendo vltimum consequens : ergo propositio identica, in qua prædicatum est de subiecto non complexo, est per se nota, ommito consequens; de subiecto complexo, subdistinguo, vt in *num.* 81. & ratio sumitur *ex num. anteced.*

Respondeo.

84 *Replicabis.* Contra: propositio identica, cuius subiectum non est complexum, est per se nota per te ; sed hæc propositio: *Deus existit*, est identica, quin eius subiectum sit complexum : ergo hæc propositio: *Deus existit*, est per se nota. Respondeo distinguendo maiorem: propositio identica, cuius subiectum non est complexum, habetq̃ conditiones requisitas ad propositionem per se notam, per se nota est, concedo maiorem; si illis caret, nego maiorem ; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Hæc itaque propositio : *Deus existit*, non habet conditiones requisitas ad propositionem per se notam ex probationibus conclusionis; quare, etsi sit identica, & eius subiectum sit incomplexum, per se nota non est.

Respondeo.

85 *Declaratur solutio.* Diversimodè autem est identica hæc propositio : *Deus est Deus*, ac ista: *Deus existit* ; sicut aliter est identica hæc propositio: *Homo est homo*, ac ista: *Homo est animal, vel risibilis* ; nam prima est identica identitate opposita prædicationi formali, & per exclusionem distinctionis adhuc rationis, quare per se nota potest appellari. Secunda vero est identica, identitate excludente solum distinctionem realem, quare per se nota non est. Explicatur hoc, & simul retorquetur in diversitate identitatis huius propositionis: *Homo est homo*, ab hac : *Homo est animal, vel risibilis.*

86 *Dices.* Dices contra dicta: hæc propositio: *Quod est necessarium, existit*, est per se nota, sicut hæc : *Quod existit, existit*, vel ista : *Quod necessario existit, existit* : ergo etiam hæc : *Ens necessarium existit.*

Respondeo. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est : quia in antecedenti, complexum est per se notum ; nam non coniungitur *necessarium*, cum aliquo indifferenti ad existendum, sed cum determinato ad existere ; at in consequentia complexum non est per se notum, quia coniungitur *necessarium* cum ente, quod est indifferens ad existere, vel non existere.

87 *Arguit. 4.* Arguitur quartò : hæc propositio: *Deus existit*, est per se nota : ergo per se nota est hæc propositio : *Deus est.* Probatur antecedens : hæc propositio: *Quod existit, existit*, est per se nota ; sed hæc : *Deus existit*, est eadem cum illa : ergo hæc propositio : *Deus existit*, est per se nota. Probatur minor: ly *Deus*, significat qui est : ergo hæc propositio : *Deus existit*, est eadem ac ista: *Quod existit, existit.*

Respondeo. Respondeo distinguendo hoc antecedens: ly *Deus* significat, qui est, & est per se nota talis significatio, nego antecedens; fide, vel discursu cognita, concedo antecedens, & nego consequentiam. Satisfit etiam argumento, negando vltimum antecedens, ex dictis *num.* 70.

88 *Arguit. deniquè.* Arguitur deniquè : quando aliquod prædicatum convenit alicui subiecto complexo, propositio non est per se nota, quin sit per se notum, partes illius complexi vniri inter se: ergo quando prædicatum alicuius propositionis est quid complexum, propositio non erit per se nota, quin per se notum sit, partes illius complexi inter se vniri : ergo hæc propositio: *Homo est subiectum constans corpore, & anima*, non est per se nota, quod est falsum; est enim propositio, in qua tota diffinitio, licèt physica, prædicatur de diffinito. Probatur consequẽtia : prædicatum illius propositionis est quid complexum, cuius partes inter se vniri, per se notum non est; sed per te, quando aliquod prædicatum convenit alicui subiecto complexo, propositio non est per se nota, quin sit per se notum, partes illius complexi inter se vniri : ergo hæc propositio: *Homo est subiectum constans corpore, & anima*, non est per se nota. Maior quoad primam partem, scilicèt, quod sit quid complexum, constat; nam conflatur prædicatum corpore, & anima. Quoad secundam probatur: corpus, & anima accidẽtaliter vniuntur; vniuntur enim media vnione

accidentali : ergo non est per se notum, partes illius complexi inter se vniri. *Respondeo.* Respondeo distinguendo primum consequens: inter se vniri, vel cum subiecto vniri, concedo consequentiam; inter se vniri tantum, nego consequentiam. Nego etiam secundum consequens, & distinguo similiter maiorem probationis quoad secundam partem.

89. *Replicabis.* Contra: quando prædicatum alicuius propositionis est quid complexum, propositio non est per se nota, quin per se notum sit, partes illius complexi inter se tantum vniri: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quando subiectum alicuius propositionis est quid complexum, propositio non est per se nota, quin sit per se notum, partes illius complexi inter se tantum vniri: ergo pariter. Antecedens constat: non enim alia ratione dicit Scotus, & cum eo omnes, tàm Thomistæ, quàm Scotistæ, hanc propositionem: *Ens necessarium existit,* non esse per se notam, nisi quia subiectum est complexum, cuius partes inter se vniri, non est per se notum.

90 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad probationem concedo antecedēs, & nego consequentiam. Disparitas est: quia complexio subiecti nequit esse diffinitio, nec prima passio prædicati; quin potiùs diffinitio, vel prima passio est, quę prędicatur de subiecto; & sic, quando subiectum est complexum, prædicatum complexum potest esse diffinitio subiecti, vt constat in suprà allata, & inquacumque; quælibet enim constat genere, & differentia, quare, vt propositio, in qua prædicatum est complexum, sit per se nota, tantum requiritur, quod sit per se notum, partes illius complexi inter se vniri cum subiecto, licèt non sit per se notum, inter se vniri; sic enim datur evidens connexio prædicati cum subiecto, quod requiritur ad propositionem per se notam. Ecce disparitatem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An existentia sit predicatum quidditativum Dei?

§. I.

Quibusdam certis præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1 *In Deo reperitur formaliter omnis perfectio simpliciter simplex.* HAnc difficultatem non disputavit Ill. Godoy. Illam tamen tetigit *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 2. *num.* 22. Nos eam ex professo pertractare promisimus *tom.* 1. *in* 1. *Sentent. disput.* 2. *num.* 21. pro cuius adimpletione certum, & omnino indubitatum est: reperiri in Deo formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, ideſt, quæ in suo conceptu formali nullam dicit imperfectionē. Hoc patet: nam vt fides docet, Deus est infinitè perfectus; sed si careret aliqua perfectione, quæ in suo conceptu formali nullam diceret imperfectionem, infinitè perfectus non esset; ipsi namque aliqua perfectio deficeret, quod est contra rationem infiniti, vt tenent omnes Theologi: ergo omnis talis perfectio in Deo formaliter reperitur, ad differentiam illarum perfectionum, quæ in suo conceptu formali imperfectionem important, ob quod solum eminenter illas Deus continet, vt cum D. Thoma, & Scoto communis asserit Theologorum consensus.

2 *Prædicata transcendētalia essentialiter Deo cōveniunt; non attributalia.* Ex his autem perfectionibus aliqua sunt prædicata transcendentalia, vt ens, substantia, vita, intellectualitas, &c. alia verò sunt attributalia, vt intellectus, intellectio, voluntas, volitio, & Omnipotentia. Inter hæc autem prædicata, quæ transcendentalia sunt, Deo essentialiter conveniunt; non verò attributalia. Quod duplici ratione probatur. Prima: prædicata transcendentalia non sunt attributa, nec modi: quia non dimanant: ergo prædicta prædicata sunt Deo essentialia

Secunda : prædicta prædicata transcendentalia sunt essentialia creaturis: ergo etiam Deo. Consequentia probatur:nam quando aliqua conveniũt in aliquo prædicato communi, si est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius,vt in discursu quæstionis firmabimus ; sed Deus , & creatura conveniunt in prædictis prædicatis transcendentalibus:ergo si sunt essentialia creaturis,etiam sunt Deo essentialia. Et per oppositum patet,prædicata attributalia essentialitèr Deo non convenire.

3 *1. Sentent. D.Thomas.*

Dubium autem omnibus celebre, & inter Scotistas celeberrimum , est: An existentia sit prædicatum quidditativum Dei ? Circa quod duplex ex diametro versatur sententia. Prima est affirmativa , quam tenent omnes in vniversum Thomistæ cum Doctore Angelico *1.part.quæst.3.artic.4.*

4 *Lichetus. Tartaretus Vallo. Sirectus. Basolius. Mauritius Gratianus. Gadius.*

Hanc affirmativam opinionem defendunt plurimi Scotistæ, tàm Veteres,quàm Recentiores,eam ex Scoto deducentes. Veteres sunt Lichetus *in 1.dist.2.quæst.2. §.2.Principalitèr.* Et *quodlib.1.artic.1.* Et *quodlib.6. artic.1.* Et *in Conciliationibus locorumScoti,Conciliatione 2.quodlib.1.* Tartaretus,Vallo,Sirectus,Basolius, Mauritius, Gratianus,Gadius,& alij.

5 *Pontius. Smising. Vulpes. Sghema. Rada. Henrix. Mastrius. Faber. Lalemandet.*

Recentiores autem sunt Pontius *disput. 2. quæst.4.* Smising. *de Deo Vno, disput.2. quæst.1.* Vulpes *tom.1. part.1. disput.6 artic.2* Sghema *tit.1. quæst.2.* Rada *tom.2. controvers. 2. artic.4.* Herinx.*tom.1.disput.1.quæst.4.dub.2.* Mastrius *in 1.disput.2. quæst.1.* Faber *in 1. dist.2.quæst.5.disput.14.* etsi post solutionem argumentorum subsistineat: existentiam secundum esse formale, non esse de quidditate Dei,quare hic problematicum sensit Scotum. Lalemandet *disput.3. de Deo Vno , partitione 1.* alijque cum suprà dictis vocitantes:hanc esse expressam Scoti sententiam.

6 *2. Sentent. Mayronus. Trombeta. Bargius. Posnanienſis.*

Negant Mayronus *in 1.distinct.2. quæst. 1. artic.2.* Trombeta *in suo lib. Formalitatum, pag.209.in fine.* Bargius *in 1.dist.2.* Petrus Posnanienſis *dist.2. lib. 2.concluſ. 4.* alijque ex discipulis Scoti clamantes:hanc esse verisimam Subtilis Doctoris opinionem. Hæc de opinionibus. Nunc autem sit.

§. II.

Resolvitur quæstio,& Scoti authoritatibus probatur.

7 *Concluſio. Probation. ex Scoto.*

CONcluſio : *Existentia non est prædicatum quidditativum Dei.* Hæc concluſio videtur Scoto conformior, eique fabent Authores relati. Probarique poterat omnibus illis locis,quibus Doctorem adduximus quæstione antecedenti *numer.18. 22. 24. & 26.* quin obstent responsiones Lycheti,& Smising. dicentium : Scotum loqui secundum nostrum modum concipiendi imperfectum;nam hæc responsio impugnata manet. Tum *tom.1.in 1.Sentent.disp.2.à num.22.* Tum quæstione antecedenti *numer.21.* Et vltra vtrobique dicta contra dictam responsionem nobitèr insurgo contra Lychetum,& Smising.

8 *Solutio Scotistarũ reijcitur.*

Scotus loquitur iuxta nostrum modum concipiendi;vt vos asseritis: ergo iuxta nostrum modum concipiendi existentia non est prædicatum quidditativum Dei. Patet consequentia : nam si iuxta nostrum modum concipiendi prius intelligitur infinitas , vt modus intrinsecus Dei , quam existentia,optimè infertur:quod iuxta nostrum modum concipiendi, existentia non sit prædicatum quidditativum Dei,vtpotè modum subsequens. Sumo:atqui hic nos quærimus de prædicatis quidditativis Dei, iuxta nostrum modum concipiendi: ergo vsque dum nobis per fidem, revelationem, aut claram ostensionem, oppositum constet , dicere cogimur, existentiam non esse prędicatum quidditativum Dei.

9 *Probat. 1. concluſ. ex Scoto.*

Probatur itaque primo concluſio ex Scoto *in 1.dist.8.quæst.4.§.Ad quæstionem:Si infinita Sapientia esset formalitèr infinita,bonitas,& Sapientia in communi esset bonitas in communi; & consequentèr Sapientia creata esset formalitèr bonitas creata:* ergo similitèr:si infinita essentia , scilicèt , Divina , includeret existentiam quidditativè , essentia in communi includeret quidditativè existentiam in communi ; & consequentèr essentia creata quidditativè includeret existentiam creatam,quod est falsum.

10 *Hæc probatio est vrgentiſsima cõtr.Il.God*

Hæc probatio est vrgentissima contra Thomistas , & præcipuè contra Ill.Godov.Ipse namquè *tract.3.de Scientia Dei,disp.24.num.167. Ad tuen-*

dam

dam formalitatem speciei in Divina essentia repertam distingui ab illa, & ab intellectione Divina, virtualitèr, & ratione ratiocinata, probat vtramque partem ex D. Thom. *quæst. 7. de Potentia, artic. 6. in 1. Sentent. dist. 2. quæst. 1. 2. & 3.* Et *dist. 35. quæst. 1. artic. 1. ad 2.* Et *dist. 22. quæst. 1. artic. 3. ad 4.* dicente: *Quia Sapientia, & bonitas dicuntur de Deo, & creaturis, non æquivocè, sed secundum rationem analogam: & in creaturis ratio Sapientiæ non est ratio bonitatis, differunt in Deo Sapientia, & bonitas distinctione rationis ratiocinatæ*: ergo vera est apud Ill. Godoy illa Scotica propositio: *Si infinita Sapientia esset formalitèr infinita bonitas, & Sapientia in communi esset bonitas in communi*: ergo etiam consequentia debet esse vera apud ipsum: ergo iuxta Ill. Godoy existentia non est prædicatum quidditativum Dei.

11 *Confirmat. ex Scoto.*

Confirmatur ex ipso Scoto *in 1. dist. 8. quæst. 4. §. ad quæst. num. 17.* dicente: *Si Sapientia in communi non includit formalitèr bonitatem in communi, nec talis Sapientia, scilicèt, infinita, talem bonitatem, scilicèt, infinitam*: ergo similitèr: si essentia in communi non includit formalitèr existentiam in communi, nec talis essentia, scilicèt, Divina, talem existentiam, scilicèt, Divinam.

12 *Respondet Smising.*

Respondet Smising ad nostram prædictam probationem, negando paritatem, quam fundat in hoc, quod Deus, & creatura conveniunt in conceptu perfecto sapientiæ; non vero existentiæ, quæ fuit responsio eiusdē ad primam nostram probationem *numer. 7. citat.* Sed hæc solutio refutata manet per ibi dicta simul cum *num. 8.*

Impugnat.

13 *Respondet Mastrius.*

Mastrius verò respondet negando paritatem: dicit enim, quod existentia in Deo sit de quidditate essentiæ, non est, quia eius essentia est infinita, sicut ratione infinitatis præcisè vnū attributum identificatur cum alio; sic enim teneret paritas, ait Mastrius; sed est, quia essentia Divina ex sua ratione formali identificat formalitèr existentiam. Hæc Mastrius. Sed quis non videt, hanc non esse solutionem ad probationem. Imo, vt omnibus hoc patefieret, in probatione verbis Mastrij fui vsus. Quare.

14 *Contra 1.*

Contra primo: Scotus in confirmatione non probat identitatem sapientiæ cum bonitate ratione infinitatis. Claret, tum ex verbis ipsius. Tū; quia loquitur de formali inclusione, quæ non habetur per infinitatem, vt ipse Mastrius tenet in hac solutione; atqui hæc est disparitas Mastrij: ergo cum hoc non petat confirmatio, non respondet.

15 *Contra 2.*

Contra secundò: essentia Divina ex sua ratione formali non identificat formalitèr existentiam: ergo ruit solutio Mastrij. Probatur antecedens: si hoc haberet essentia Divina, vel esset ratione essentiæ, vel ratione Divinæ; sed neutro modo: ergo. Probatur minor quoad primam partem: si essentia Divina hoc haberet ratione essentiæ, hoc etiam haberet essentia creata, ob primam probationem; sed hoc est falsum etiam apud Mastrium: ergo si hoc haberet essentia Divina, non esset ratione essentiæ. Probatur quoad secundam partem: si hoc haberet, quia Divina, etiam ipsi conveniret, quia essentia, sed hoc iam est refutatum: ergo illud non haberet ratione essentiæ Divinæ.

Probatur maior ex verbis Scoti: ideò ex Scoto si infinita sapientia esset formalitèr infinita bonitas, & sapientia in communi esset formalitèr bonitas in communi, quia infinitas non destruit formalem rationem illius, cui additur. Omnia sunt Scoti verba. Atqui nec Divinitas destruit formalem rationem illius, cui additur: ergo si hoc haberet, quia Divina, etiam ipsi conveniret, quia essentia.

16 *Probat 2. concluſ. ex Scoto.*

Probatur secundò conclusio ex Scoto *in 1. dist. 2. quæst. 2. in responsione ad 1. quæst. §. Quantum ad 1. artic. 3. conclusio infrà num. 16.* vbi probat, existentiam Dei per infinitatem; sed infinitas non est de essentia Dei, sed modus intrinsecus: ergo nec existentia, vtpotè, infinitate posterior. Idem docet *in 4. dist. 12. quæst. 2. ad vltimum*, vbi concedit, quod si Divina persona esset formalitèr infinita secundum relationem, relatio existeret absoluta existentia: ergo existentia sequitur ex infinitate: ergo existentia non est prædicatum quidditativum Dei.

Dices cum Smising: Scotum probare existentiam ex infinitate à posteriori. Contra primò: quia voluntariè hoc dicit Smising. non enim deducit responsionem ex textu. Contra secundò: quia hæc responsio dissonat expræsis verbis Scoti *in 1. dist. 8. quæst. 3. §. Sed si arguas*, dicente: *Vt quàsi per*

prius intelligatur aliquomodo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc, de quo diximus *quæst. anteced. num.* 18.

§. III.

Rationibus nostra stabilitur conclusio.

17 *Probat. 1. concluſ. ratione.*

PRobatur primò conclusio ratione: si existentia esset de essentia Dei, foret etiam de essentia creaturæ; sed hoc est falsum: ergo existentia nō est prædicatum quidditativum Dei, sed modus intrinsecus eius. Minor constat ex Methaphisica, & ex Scoto *in 2. distinct. 3. quæst. 3.* Et *in 3. distinct. 6. quæst. 1.* & in locis *citat.* in prob. ab authoritate *num.* 7. Imò hoc exprælsè docuit *in 3. Report. dist. 23. quæst. 2. §. Ad intensionem*, vbi ait: *Existentiam esse extra rationem formalem huius hominis.* Eamque communiter tenent Scotistæ. Maior probatur: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prædicatum est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius; sed Deus, & creatura conveniunt in hoc, quod est existere, vt luce claret: ergo si existentia esset de essentia Dei, foret etiam de essentia creaturæ. Maior, in qua est præcipua difficultas, est Scoti *citat. num.* 9. Est etiam D. Thomæ *num.* 10. *citat.* ergo vera est maior.

Probatur maior ratione.

18 *Prob. exemplis.*

Probatur item dicta maior exemplis cuiuscumque prædicati communis: nam quia Deus, & creatura conveniunt in ratione entis, si ens est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius; sic similiter de prædicato substantiæ, vitę, intellectualitatis, &c. & de quocumque prædicato communi in creatis, v. g. de animalitate respectu hominis, & bruti, & sic de alijs: ergo generaliter verum est, quod quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prædicatum est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius.

19 *Respōdent. Lichetus, & Lalemãdet.*

Ad hanc nostram probationem respondet Lichetus, & cum eo Lalemandet, quod duplex est convenientia. Vna specifica, & alia transcendentalis. Quando primo modo aliqua conveniunt, vera est illa maior, scilicèt, quod si prædicatum est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius; falsa verò, quando secundo modo conveniunt. Hoc duplici probat exemplo. Primum est: nam anima intellectiva, & Angelus conveniunt transcendentaliter in ratione entis, & tamen, non omne, quod est de quidditate animę intellectivæ, est de quidditate Angeli; quia Angelus non est actus corporis. Secundum est: substantia Dei, & corporea conveniunt in ratione substantiæ, & tamen substantia Dei non est composita, etsi composita sit substantia corporea.

Sed Lichetus sic respondens fallitur proculdubio; quare arguo sic primo contra ipsum: quando aliqua conveniunt in ratione communi, sivè generica, vt homo, & brutum in animali, sivè transcendente, vt Deus, & creatura in ente, omnes substantiæ in substantia, & viventia in vita, &c. si illa ratio est de essentia vnius, est etiā de essentia alterius, vt in exemplis constat allatis: ruit ergo Licheti solutio.

20 *Reijcitur 1*

Arguo secundò: nam Scotus *citat. num.* 9. infert bonitatem non esse de quidditate Dei, quia non est de quidditate creaturæ, ob convenientiam, quam Deus, & creatura habent in bonitate; sed transcendentaliter tantum conveniunt in tali bonitate; est enim bonitas, vtpotè, passio entis, ita transcendens, sicut ipsum ens: ergo quando aliqua conveniunt in prędicato communi transcendenti, si illud prædicatum non est de essentia vnius, nec est de essentia alterius: mala igitur Licheti solutio.

21 *Secundò.*

Arguo tertiò ex exemplis ab ipso traditis: quod homo sit rationalis, non vero brutum; Deus sit à se, non vero creatura; substantia sit per se, non vero accidens, hoc, inquam, non tollit, quod si animal est de essentia hominis, sit etiam de essentia bruti, & quod si ens est de essentia hominis, Dei, & substantiæ, sit etiam de essentia bruti, creaturæ, & accidentis, ob convenientiā transcendentalem, quā omnia dicunt in ente: ergo quod anima intellectiva sit actus corporis, non verò Angelus, substantia corporea sit composita, non vero Divina, non tollit, quod si ens est de essentia vnius, sit etiam de essentia alterius, ob prædictam convenientiam: ergo exempla sunt contra ipsum. Simile fac argumentum de alijs prædicatis transcendentalibus, v. g. spiritualis, viventis, intellectualis, &c. Quare facilitèr sunt exempla soluta: nam neq;

22 *Tertiò.*

ani-

anima,& Angelus conveniunt in ratione actus corporis, nec ſubſtantia Diuina, & corporea in ratione compoſitionis, ſed potius differunt;quare nihil contra nos;ſi enim conuenirent, eadem eſſet ratio de omnibus,vt probatum eſt *num.*17.

23 *Reſpondent Sghema, Vulpes, Smiſing, & Lalemandet.*

Reſpondent alitèr ad probationem Sghema, Vulpes, Smiſing, & etiam Lalemandet, dicendo: quod duplex eſt conuenientia. Prima vnivoca, & diſtincta. Secunda analoga, & confuſa. Quando res conueniunt conuenientia prima, vera eſt dicta maior. Quando vero conueniunt conuenientia ſecunda, eſt falſa; quia hæc conuenientia non obeſt, vt res ſint primo diuerſæ obiectivè, & hac ſecunda conuenientia Deus, & creatura (aiunt Authores relati) in exiſtentia conueniunt;quare ſtare poteſt, quod exiſtentia ſit de eſſentia Dei, non vero creaturæ.

24 *Contra ſolutionẽ ſtat Scotus.*

Contra hanc ſolutionem ſtat Scotus pluribus in locis, elegantèr traditis, & verè intellectis à Fabro *Theoremate* 94. & Pontio *diſp.*69. *de ente vt ſic*, in quibus omnibus ait Scotus: Deum, & creaturam non eſſe primo diuerſa in ratione entis, & conſequentèr, in nullo prædicato tranſcendenti,quia non ſolum conueniunt in conceptu imperfecto, verum, & in realitate conceptui correſpondente.

25 *Scoti verba.*

Sufficiat pro omnibus Scotus *in* 1. *diſt.*8. *quæſt.*3. §. *Ad* 1. *argum. principale*, ℣. *Et ſi dicas*, vbi facit hanc replicam: *Et ſi dicas: Saltem conceptus communis eſt indeterminatus, & potentialis ad ſpecialem conceptum, vt realitas ad realitatem, vel ſaltem non erit infinitus, quia nullum infinitum eſt potentiale ad aliquid.* Cui reſpondet Scotus: *Concedo,quod conceptus ille communis Deo, & creaturis, eſt finitus, hoc eſt, non eſt de ſe infinitus poſsitivè, ita,quod de ſe includat infinitatem, quia ſi eſſet infinitus, non eſſet de ſe communis finito, & infinito; nec eſt de ſe finitus poſſitivè, ita, quod de ſe includat finitatem, quia tunc non competeret infinito, ſed eſt de ſe indifferens ad finitum, & infinitum, ideò eſt finitus negativè.* Hęc Scotus.

26 *Infero.*

Infero:ergo ita eſt indifferens ens, ad finitum, & infinitum, ſicut animal ad rationale, & irrationale,& ſicut animal non includit de ſe rationale, nec irrationale, ita ens, non includit de ſe finitatem, nec infinitatẽ. Atqui propter hanc non inclusionem formalem, & indifferentiam animalis ad irrationale,& rationale, rationale, & irrationale conueniunt in realitate animalitatis, conuenientia vnivoca,& diſtincta:ergo propter eandem rationem Deus, & creatura conueniunt in ratione entis, conuenientia vnivoca, & diſtincta: ergo etiam in ratione exiſtentiæ, quia eadem (vt diximus) eſt ratio de ratione entis, ac de quocumque alio prædicato tranſcendente. Cœterũ hoc dato,& non cõceſſo.

27 *Inſtatur* 1. *reſponſio.*

Inſto primo ſolutionem: quando aliqua conueniunt conuenientia confuſa,& analoga,ſi ratio communis eſt de quidditate vnius, etiam eſt de quidditate alterius: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: quia Deus, & creatura conueniunt in ratione entis (ſimilitèr ſubſtantiæ in ſubſtantia, viuentia in vita,&c.) ſi ens eſt de eſſentia Dei,etiam eſt de eſſentia creaturę; ſed Deus, & creatura conueniunt in ratione entis conuenientia confuſa, & analoga ſecundũ aduerſarios hanc tribuentes ſolutionem; aliquim inconſequentèr procederent: ergo etſi Deus, & creatura conueniant conuenientia confuſa, & analoga in ratione exiſtentiæ, ſi exiſtentia eſt de eſſentia Dei, etiam erit de eſſentia creaturæ, ob conuenientiam prædictam: mala igitur ſupra poſita ſolutio.

28 *Inſtatur* 2.

Inſto ſecundò: quando aliqua conueniunt conuenientia confuſa, & analoga, ſi ratio communis eſt de eſſentia vnius, etiam eſt de eſſentia alterius: ergo ruit ſolutio.Probatur antecedens triplici exemplo. Primum: differentiæ vltimę ſolum conueniunt conuenientia confuſa, & analoga; ſed facere differre, quod eſt prædicatum commune,ſi eſt quidditas vnius differentiæ, etiam eſt quidditas alterius: ergo à ſimili.Secundum:eſſentia Dei, & eſſentia creaturæ ſolũ conueniunt conuenientia confuſa, & analoga;ſed methaphiſicè eſſentialitèr conſtituere, quod eſt prædicatum commune eſſentijs, ſi eſt quidditas vnius eſſentiæ, etiam eſt quidditas alterius: ergo paritèr. Tertium: ſubſiſtentia creata, & Diuina ſolum conueniunt conuenientia confuſa, & analoga; ſed reddere naturam incommunicabilem, quod eſt prędicatum commune ſubſiſtentijs, ſi eſt quidditas vnius ſubſiſ-

*Antecedens prob.*3. *exẽplo.*

Secundum.

Tertium.

ten-

tentiæ, est etiam quidditas alterius: ergo quando aliqua conveniunt cõvenientia confusa, & analoga, si ratio communis est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius.

29 *Instatur 3.* Instò tertiò: quando aliqua conveniunt convenientia confusa, & analoga, si ratio communis non est de essentia vnius, nec etiam est de essentia alterius: ergo solutio ruit. Probatur antecedens: nam Scotus *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *§. Ad quæstionem*, infert, bonitatem non esse de quidditate Dei, quia non est de quidditate creaturæ, ob convenientiam, quam Deus, & creatura habent in bonitate; sed in tali bonitate conveniunt convenientia analoga, & confusa, iuxtà Authores prædictæ solutionis, ob eandem rationem, qua asserunt: Deum, & creaturam convenire in existentia analoga, & confusa convenientia: ergo quando aliqua conveniunt convenientia analoga, & confusa, si ratio communis non est de essentia vnius, nec etiam est de essentia alterius: ruit ergo omninò prædicta solutio.

30 *Respondet Mastrius.* Propter has rationes convincentes, aliter Mastrius respondet *in fine quæstionis*, dicendo: quod illa maior, scilicèt, quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prædicatum est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius, est vera, quando conveniunt in eo, non tantũ vt in prædicato vnivoco, sed etiam vnivocè dicto, vti se habet ens respectu Dei, & creaturæ; falsa vero, si in eo conveniunt tantum, vt in prædicato vnivoco; vti cõveniunt Deus, & creatura in communi ratione existentiæ. Mirabile sanè est, tantum Doctorem solutiones suprà positas omninò insufficientes comprehendisse, & hanc assignasse; cum ferè omnes rationes contra eius solutionem etiam militent, & vt videat, quam parui momenti sit eius responsio.

31 *Contra 1.* Contra primò: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato cõmuni vnivoco tantum, si illud prædicatum non est de essentia vnius, nec est de essentia alterius: ergo ruit Mastrij solutio. Probatur antecedens primò: Deus, & creatura conveniunt in vnitate, veritate, & bonitate, vt prædicatis tantum vnivocis; sunt enim prædicata, quæ non prædicantur in quid; sed si veritas, vnitas, & bonitas non sunt de essentia creaturæ, nec sunt de essentia Dei: ergo, &c. Probatur secundò idem antecedens: Deus, & homo conveniunt in sapientia, vt in prædicato tantum vnivoco; sed si sapientia non est de essentia creaturæ, nec est de essentia Dei: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi vnivoco tantum, si illud prædicatum non est de essentia vnius, nec est de essentia alterius.

32 *Declaratur* Declaratur hoc: ideò secundum Mastrium Deus, & creatura conveniunt in existentia, vt in prædicato tantum vnivoco, quia istæ non sunt veræ formalitèr: *Deus est existentia. Creatura est existentia*; sed idem habent Deus, & creatura respectu vnitatis, bonitatis, & veritatis, & Deus, & homo respectu sapientiæ: ergo cõveniunt in vnitate, bonitate, veritate, & sapientia, vt in prædicatis tantũ vnivocis; atqui, si veritas, bonitas, vnitas, & sapientia non sunt de essentia hominis, vel creaturæ, nec sunt de essentia Dei: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato cõmuni vnivoco tantum, si illud prædicatum non est de essentia vnius, nec est de essentia alterius. Maior est certa; alioquim assignet Mastrius aliam rationem; nam quæcumque sit, semper contra ipsum patebunt instantiæ.

33 *Contra 2.* Contra secundò: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato, non tantum vnivoco, sed vnivocè dicto, si illud prædicatum est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius: ergo similitèr: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato vnivoco tantum, si illud est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius. Antecedens est Mastrij. Consequentia probatur: ideò antecedens est verum, quia conveniunt in illo prædicato; sed etiam, quæ conveniunt sn prædicato vnivoco tantum, conveniunt in illo: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato vnivoco tantum, si illud est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius.

Respondet Rada. Rada verò has prævidendo rationes, respondet aliter, dicendo: existentiam esse essentiam formalissimam creaturæ. Cæterum hæc doctrina in Scoti opinione firmari nequit, impugnataque manet *num.* 17.

Impugnat.

34 Probatur iam secundò nostra con-

clu-

Probat. 2. concluſ.

cluſio : prædicata quidditativa de ſe ſunt talia: ergo in omnibus inferioribus ſunt talia. Conſequentia patet: nam deſcendunt in inferiora ſecundum id, quod important: contractio namque non variat rationem formalem, & quidditativam rei. Antecedens vero, refutando ſolutionem Maſtrij, probabitur.

35 *Reſpondet Maſtrius.*

Reſpondet itaquè Maſtrius ex Baſolio diſtinguendo antecedens: ſunt talia de ſe præciſivè, vel negativè, concedit antecedens; poſitivè negat antecedens; hoc enim accidit eis, & ratione contractionis ipſis convenit.

Comprobat duplici exẽplo.

Duplici exẽplo comprobat hoc Maſtrius. Primum: nam quod animal ſit prædicatum quidditativum, ei convenit ſecundum quod ad ſua inferiora comparatur, in quibus eſſentialiter includitur; nam ſi comparetur ad differentias contrahentes, non eſt prædicatum quidditativum, cum in eis non includatur eſſentialiter. Secundum eſt in colore, qui ſi comparetur ad ſua inferiora, eſt prædicatũ quidditativum: ſi verò comparetur ad ſua ſubiecta, non eſt prædicatum quidditativum, quia eis omninò accidit.

36 *Contra.*

Contra: prædicata quidditativa de ſe poſitivè ſunt talia: ergo ruit ſolutio Maſtrij. Probatur antecedens primò: ſi prædicata quidditativa de ſe poſitivè non eſſent talia, ens, ſubſtantia, &c. poterant eſſe de eſſentia Dei, quin eſſent de eſſentia creaturę; ſed hoc falſum eſt: ergo prædicata quidditativa de ſe poſitivè ſunt talia.

Probatur anteced. 1.

Probatur maior: quia prędicata quidditativa de ſe no ſunt poſitivè talia iuxta Maſtrium, & omnes vniverſaliter adverſarios, poteſt exiſtentia eſſe de eſſentia Dei, quin ſit de eſſentia creaturæ: ergo ſimiliter.

Secundò.

Probatur ſecundò idem antecedens: paſſiones cuiuſcumque prædicati communis de ſe ſunt poſitivè tales: ergo pariter. Probatur antecedens: ſi paſſiones cuiuſcumque prædicati communis de ſe non eſſent poſitivè tales, poterant eſſe de eſſentia Dei, quin eſſent de eſſentia creaturæ; ſed hoc eſt falſum: ergo paſſiones cuiuſcumque prædicati communis, de ſe ſunt poſitivè tales. Probatur maior: quia paſſiones de ſe non ſunt poſitivè tales iuxtà Maſtrium, poteſt ſapientia Deo convenire vt paſſio, quin ſit paſſio creaturæ: ergo ſimiliter.

37 *Tertiò.*

Probatur tertiò idem antecedens ex Scoto *in 1. diſt. 8. quæſt 4. §. Ad quæſtionem*, dicente: *Si ſapientia in communi non includit formaliter bonitatem in communi, nec talis ſapientia, ſcilicèt, infinita, talem bonitatem, ſcilicèt, infinitam*: ergo ſimiliter: ſi eſſentia in communi non includit formaliter exiſtentiam in communi, nec talis eſſentia, ſcilicèt, Divina, talem exiſtentiam, ſcilicèt, Divinam; atqui hoc eſt falſum, ſi prædicata quidditativa de ſe poſitivè non eſſent talia, vt conſtat ex *num. anteced.* ergo prædicata quidditativa de ſe poſitivè ſunt talia.

38 *Quartò.*

Probatur quartò idem antecedens ex ipſo Scoto *citat.* dicente: *Includere formaliter eſt includere aliquid in ratione ſua eſſentiali, ita, quod ſi diffinitio includentis aſsignaretur, incluſum eſſet diffinitio, vel pars diffinitionis*; atqui omnis diffinitio, vel pars diffinitionis, de ſe poſitivè eſt talis: ergo prædicata quidditativa de ſe poſitivè ſunt talia. Maior eſt Scoti. Minor evidens. Conſequentia legitima.

39 *Quintò.*

Probatur quintò idem antecedens: ſi prædicata quidditativa non eſſent de ſe talia, ens, ſubſtantia, animal, &c. poſſent eſſe prædicata quidditativa hominis, non vero bruti; ſed hoc eſt falſum: ergo prædicata quidditativa de ſe poſitivè ſunt talia Probatur maior: quia ens, ſubſtantia, animal, &c. de ſe poſitivè non ſunt homo, nec brutum, ſed ab his præſcindunt, poſſunt eſſe in homine, non vero in bruto: ergo ſi prædicata quidditativa non eſſent de ſe talia, ens, ſubſtantia, animal, &c. poſſent eſſe prædicata quidditativa hominis, non vero bruti. Antecedens patet: nam genus, & ſpecies poſſunt phiſicè conſervari in vnivoca ſpecie, & individuo, vt continget poſt reſurrectionem mortuorum, & nunc clareſcet in ſole. Conſequentia, meo videri, eſt evidens.

40 *Ad exempla reſp. 1.*

Ad exempla Maſtrij reſpondeo primo: non eſſe ad rem: nam Deus, & creatura reſpectu exiſtentiæ, non ſe habent, vt animal reſpectu inferiorum; nam reſpectu illorum conſtituitur genus; non vero reſpectu iſtarum, vt *in logica* cum omibus docetur; nec vt color reſpectu inferiorum, & ſubiectorum; nam reſpectu illorum di-

ci-

citur genus,& respectu istorum constituit quintum prædicabile, vt *ibidem* docetur. Quæ disparitas est responsio ad vtrumque Mastrij exemplum.

41 *Secundò.* Respondeo secundò retorquendo vtrumque exemplum quoad primam partem: quia enim homo,& brutum conveniunt in animalitate, si animal est de essentia hominis, etiam est de essentia bruti; & similitèr, quia album, & nigrum conveniunt in colore, si color est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius;nam animal est genus respectu hominis, & bruti, & similitèr color respectu albi, & nigri, de cuius ratione est prædicari quidditativè de omnibus inferioribus. Atqui Deus, & creatura conveniunt in existentia: ergo quia conveniunt, si existentia prædicatur de Deo quidditativè, quidditativè etiam prędicabitur de creatura, quod non admittunt contrarij.

42 *Retorqueo exempla.* Retorqueo etiam vtrumque Mastrij exemplum quoad secundam partem: nam animal comparatum ad differentias contrahentes, si non est prædicatum quidditativum vnius,nec est prædicatum quidditativum alterius, etsi identicè prædicatur de vna, identicè etiam prædicatur de alia; & quia color comparatus ad subiecta, constituit quintum prædicabile, de cuius ratione est, quod accidentalitèr prædicetur, si color accidentalitèr prædicatur de vno, accidentalitèr prædicatur de omnibus, quia omnia conveniunt in ratione subiectiva: ergo cum Deus,& creatura conveniant in ratione existentiæ, si existentia est de ratione vnius, etiam erit de ratione alterius, vel è contra: ergo sivè animal comparetur ad sua inferiora, sivè ad differentias contrahentes cõparetur,& color similitèr, sivè comparetur ad sua inferiora, sivè ad sua subiecta comparetur, eodem modo prædicantur de vno, ac de alio, ob convenientiam,quam habent in illis: ergo cum Deus, & creatura convenientiam habeant in existentia,eodem modo de vno, ac de alio debet existentia prædicari: ergo si existentia est prædicatũ quidditativum vnius, erit etiam prædicatum quidditativum alterius, vel è contra,vt dictum manet.

43 *Probat. 3. concluſ. cõtra Thomiſtas.* Probatur tertiò conclusio contra Thomistas, non concedentes existentiam absolutam in Deo,sed solum relativam.Existentia relativa non est de essentia Dei:ergo nec existentia.Consequentia patet: quia secundum istos existentia non est alia, quam relativa. Antecedens probatur: de essentia Dei non est subsistentia; nam de essentia Dei non est incommunicabilitas, cum tribus communicetur personis;sed existentia relativa subsistentia est:ergo existentia relativa non est de essentia Dei.Duplicem aliam probationem vide *quæst.4.num.*10.

44 *Corollariũ.* Ex dictis habetur,existentiam non esse prædicatum quidditativum Dei ob rationes dictas, quæ meo videri efficacissimæ sunt, quidquid dicant Scotistæ contrarij, & quidquid clament Thomistæ omnes,& attendendo ad primam,quæ præcipuè est considerandæ, deducitur clarè: existentiã esse modum intrinsecum Dei,quia ex Scoto est modus intrinsecus creaturæ.

§. IV.

Argumentum contra conclusionem, ab authoritate Patrum solvitur.

45 *Arguit. 1. ab authoritate.* ARguitur primò: nam Moysi quærenti, quod esset nomen Dei, respondit Deus Exod. 3. *Ego sum, qui sum, qui est, misit me ad vos,* quæ verba denotant secundum plures Patres, Augustinum, scilicèt, Hilarium, Chrisostomum, Originem, Naziancenum, Hieronymum, Bernardum, & alios ab Smising *citat. in præsenti num.*13. existentiam esse prædicatum quidditativum Dei: ergo existentia non est modus intrinsecus; sed prædicatum quidditativum Dei.

*Respond.*1. Respondeo primò: tam verba Exodi, quam Patres, debere intelligi de esse, sivè de existentia radicali,quare nihil contra nos.

46 *Secundò.* Respondeo secundò: quod argumentum probat,immutabilitatem, & æternitatem Dei esse prędicata quidditativa, quod ferè communitèr negatur, quia secundum plures Patres, Augustinum, scilicèt, Maximum, & alios *cit.*ab Smising *in præsenti num.*14. ibi Deus explicavit, se esse immutabilem, & æternum. *Dices.* Dices cum Smising *citat.* Patres loqui de immutabilitate, & æternitate fundamentali, quæ est existentia. *Contra.* Contra: nam sicut Smising ita explicat Patres, sic nos explicamus in prima responsione, intelli-

telligendo ipsos de existentia radicali, vel fundamentali. Quid ergo contra nos?

47 *Respond. 3.* Respondeo tertiò: verba argumenti solum explicare, Deum esse a se, seu non existere per alium effectivè; non verò existentiam esse prædicatum quidditativum Dei, vt etiam Pontius, etsi oppositum tenens, affirmat, quod ex ipsis firmatur Patribus: nam sicut dicunt: Deum esse suum esse, ita aiunt: esse suam sapientiam, bonitatem, & quidquid in Deo est; sed non ob hoc dicimus: sapientiam, bonitatem, & quidquid in Deo est, esse de essentia Dei: ergo ob eandem rationem dicere non debemus; existentiam esse de essentia Dei.

48 *Dices.* Dices cum Smising *citat. num.* 15. esse disparitatem: nam si existentia non est de essentia Dei, nullum esset discrimen inter esse creatum, & increatum, cum in vtroque existentia realiter identificetur; at sapientia, & aliæ proprietates, etsi non sint de essentia Dei, identificantur realiter cum Deo, per: quod est sufficiens discrimen inter ipsam, & creatam, quæ realiter distinguitur à creatura. *Contra 1.* Contra primo: nam etsi existentia non sit de essentia Dei, esse creatum, & increatum discriminantur: nam vnum est à se, & aliud ab alio, vnum creatum, increatum aliud, &c. ergo ruit solutio Smising. *Contra 2.* Contra secundò: nam etsi sapientia realiter cum Deo sit idē, non verò cum creatura; tamen bonitas, veritas, vnitas, intellectus, voluntas, & alia, quæ sunt in Deo, cum ipso, & cum creatura identificantur realiter; sed non ob hoc sunt de essentia Dei: ergo etsi existentia realiter identificetur cum Deo, non ob hoc est de essentia Dei; quare disparitas Smising nihil probat, quia multum probat.

49 *Respond. 4.* Respondeo quartò: Scripturam, & Patres velle, existentiam esse de reali, & phisica constitutione Dei; non verò loqui de methaphisica. Sic Serra *in 1. part. tom. 1. quæst. 3. art. 4.* Arriaga *de Deo vno, disp. 2. sect. 8. num. 63.* Respondeo quintò: *Quintò.* Patres asserere, existentiam esse formalissimum constitutivum Dei, quod est apud plures falsum.

o)§(o

☞o) (§) (§) (§) (o☞

§. V.

Argumenta ab Authoritate Scoti contra conclusionem solvuntur.

ARguitur primò ex Scoto, cuius prima authoritas sumitur ex ipso *citat. quæst. anteced. §. 4. numer. 37.* Quod per sequentia vsque ad finē illius, §. soluta manet. Vltrà quod. Respondeo: Scotistas, prædicta authoritate vtentes, multum probare, quia probant, existentiam esse methaphisicum Dei constitutivum, vt claret ex ipsis Scoti verbis. Cum ergo hoc sit falsum apud plures ex contrarijs, ipsi etiam ad explicationem illius textus tenentur. 50 *Arguit. 1. ex Scoto.* *Respondet.*

Arguitur secundò ex Scoto *quodlib. 1. ab initio*, dicente: *Habetur igitur ista conclusio, quod in Divinis oportet ponere aliquam entitatem realem in existentia actuali, & aliquam vnicam primam, & quod ista realis entitas, quæ est in Deo, cum sit prima ratio essendi simpliciter, rationabiliter à Sanctis vocatur essentia.* Quod probat Scotus *ibi* ex D. Augustino 7. *de Trinitate, cap. 1. in fine*, dicente: *Quod est Sapientiæ, sapere, & quod est potentiæ, posse, & æternitati, æternam esse, & iustitiæ, iustam esse: Hoc est, essentiam ipsum esse, nec aliter distinguitur ab essentia, quam abstractum à concreto*: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei. 51 *Arguit. 2.* *Probat. ex Augustin.*

Respondeo primò: verba Scoti probare etiam, quod singularitas sit de essentia Dei; hoc enim declaratur per illud verbum *vnicam*, quod apud Scotum est dubium. Respondeo secundò: verba Scoti non solum probare, existentiam esse de essentia Dei, verum, & esse Dei constitutivum, quod apud plures Scotistas est falsum, vt diximus; quare & ipsi solvere tenentur. 52 *Respond. 1.* *Secundò.*

Respondeo tertiò: Scotum ibi solum affirmare, quod oportet, ponere in Deo entitatem realem in existentia actuali constitutivam Dei; non verò dicit: quod ipsa existentia sit formaliter ipsa quidditas; quare non est contra nos Scotus. Respondeo quartò: Scotum *citat.* inquirere: *An essentialia sint Deo immediatiora notionalibus?* Et ad responsionem affirmativam stabiliendam adducit verba argumenti; non verò per ipsa determinat: quod existentia, vel subsistentia absoluta, aut ecceitas, sit prædicatum quidditati- 53 *Tertiò.* *Quartò.*

Ad probat. ex Augustin. respond. 1.

tivum Dei. Ad probationem ex Augustino dico primò : intelligendum esse de esse radicali, quo sensu tantum est verum.

54 *Secundò.*

Dico secundò: Scotum ex Augustino, tantum velle, quod existentia, & essentia existens, vt existens, non distinguantur, nisi vt abstractum à concreto, quo tantum modo iustitia distinguitur à iusto reduplicativè, æternitas ab æterno, & infinitas ab infinito; ablata verò reduplicatione, formaliter distinguitur essentia ab existentia, sicut Iustitia, æternitas, & infinitas à Deo, non vt Iusto, æterno, & infinito, sed specificativè. Dico tertiò: explico Augustinum: hoc est essentiam esse ipsum esse essentiæ concedo; existentiæ nego. Sic enim essentia dicitur ab esse essentiæ, tanquam abstractum à concreto, quod est intentum Augustini, sicut existentia ab esse existentiæ; ex quo nihil contra nos.

Tertiò.

55 *Arguit. 3. ex Scoto.*

Arguitur tertiò ex eodem *quodlib. 1. §. Contra ista num. 4.* dicente: *Quod existentia creata est modus creaturæ; existentia verò Dei est de conceptu essentiæ*: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei.

Respond. 1.

Respondeo primò: hunc textum non esse Scoti, sed esse additionem, vt constabit videnti. Respondeo secundò: quod nec Marginista, cuius est additio, affirmat expræsse: existentiam esse de essentia Dei, sed ait: *Ad secundum dici potest.* Quare tantum se probabilitèr habet.

Secundò.

56 *Arguit. 4. ex eodem.*

Arguitur quartò ex eodem *quodlib. 6. §. Restat nunc videre*, dicente: *Sicut infinitas intensiva dicit modum intrinsecum essentiæ, vt essentiæ, ita æternitas, vt æternitas dicit modum intrinsecum existentiæ, vt existentiæ*: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei. Probatur consequentia: modi intrinseci non datur alius modus; sed æternitas est modus intrinsecus existentiæ ex Scoto: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei.

57 *Respond. 1.*

Respondeo primò distinguendo maiorem: modi non datur alius modus, eiusdem rationis, & præstans idem munus concedo maiorem; distinctæ rationis, & præstans diversum munus nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Respondeo secundò negando maiorem: quia in opinione Scoti, vna relatio potest esse fundamentum alterius relationis; sed relatio est modus fundamenti: ergo in Scoti sententia datur modus modi. Nescio certè, quo fundamento Mastrius *in præsenti*, hoc contra nos vtatur argumento, nisi prædictę Scoti opinionis esset oblitus. Item: in opinione asserente: modos, passiones, & potentias ordine suo dimanare ab essentia, datur modus modi, & passio passionis, non sic, quod prima passio, & modus, gerant munus passionis, & modi respectu secundę passionis, & secundi modi, quia hoc tantum habent respectu essentiæ; sed gerunt munus naturæ, sicut vna relatio respectu alterius, non gerit munus relationis, sed gerit munus fundamenti.

Secundò.

58 *Tertiò.*

Respondeo tertiò: Scotum *citat.* potiùs esse pro nobis, quidquid dicat Mastrius: nam post verba adducta subdit immediatè: *Et tunc, cum ibi sit existentia ex natura rei, sicut & esse, pari ratione modus intrinsecus illius, & hoc ex natura rei, sicut modus intrinsecus alterius*: ergo eandem distinctionem ponit Scotus inter essentiam, & existentiam, ac inter infinitatem, & æternitatem: ergo cum istæ formaliter distinguantur, etiam essentia, & existentia: ergo Scotus potiùs est pro nobis, quam contra nos. Prima consequentia claret ex modo Scoti loquendi. Quarè non valet solutio Mastrij dicentis: Scotum non distinguere prędictos modos ratione entitatuum formalium, quibus conveniunt, sed tantum ex diverso modo modificandi. Primò: quia est contra Scotum, vt claret ex eius verbis. Secundò: quia est voluntaria: nam etiam hoc modo distinguere possemus de modo intrinseco essentiæ creatę, & modo existentiæ creatæ, quod non potest ipse admittere Mastrius.

59 *Quarto.*

Respondeo quartò: prædicta Scoti verba non esse ad rem: nam Scotus *citat.* inquirit: An ex natura rei conveniat existentiæ æternitas, vt æternitas? Circa quod problematicus est Scotus, vt videri est in ipso *quodlib. citat. §. Contra istud propè finem.* Vt autem affirmativam partem defendat, prædictā ponit propositionem, scilicèt, *Sicut infinitas est modus intrinsecus essentiæ, vt essentiæ, ita æternitas, vt æternitas, est modus intrinsecus existentiæ, vt existentiæ*, qua concessa, responsum est ad ar-

gu-

gumentum. Cœterum, vt negativam firmet, negat prædictam propositionem *in §. Contra istud, & hæc conclusio*, his verbis: *Hæc est neganda, quia si per impossibile essentia Divina raptim transiret, adhuc haberet, tàm essentia, quàm existentia, modum intrinsecum, scilicèt, infinitatem intensivam*; sed non haberet illa existentia æternitatem, cuius rationem assignat Doctor verbis immediatis, & clariùs ante *v. citat.* vbi ait: *Tria autem, quæ complent rationem eius* (scilicèt æternitatis) *non sunt ibi ex natura rei, quia per se important, vel negationem alicuius imperfectionis extrinsicæ, vel relationem aptitudinalem ad aliquid extrinsecum, & nec sic, nec sic, est aliquid eorum ibi ex natura rei, & per consequens, nec æternitas, vt æternitas, erit ibi ex natura rei.* Sic Scotus. An verò existentia sit de quidditate Dei, ibi non memorat Doctor: non ergo est ad rem argumentum.

60 *Quintò.* Respondeo quintò negando: æternitatem esse modum existentiæ, cum Scoto *citat.* & ruit argumentum. Nam dato, quod sit modus, est modus Dei existentia necessaria, vt dicitur *tract. de Modis intrinsecis*; vel est modus entis determinati priùs per existentiam.

61 *Arguit. 5. ex eodem.* Arguitur quintò ex eodem *in 1. dist. 36. §. Ad primum principale*, dicente: *Deum esse ex se ipsum esse, & non tantum, cui repugnat esse*: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei. *Respondeo.* Respondeo: Scotum velle, Deum esse à se, seu nõ existere per alium effectivè. Quod claret ex textu: ait enim Scotus: *Ens ratum aut est illud, quod habet firmum esse, aut illud, cui non repugnat esse. Primo modo homo non est ens ratum ex se, quia ab efficiente accipit esse*; *benè verò Deus, quia ex se est ipsum esse.* Quid clarius pro Scoti intelligentia!

62 *Arguit. 6. ex eodem.* Arguitur sextò ex eodem *in 3. dist. 22. §. Sed quid logicè, num. 19.* dicente: *Quod in Deo esse est de intellectu subiecti*: ergo includitur in ratione formali subiecti: ergo existentia est de essentia Dei secundum Scotum. *Respondeo.* Respondeo: Scotum *citat.* tantum velle, quod de hoc subiecto *Deus*, verè dicatur prædicatum *est*, ita, vt hæc sit vera: *Deus est*; an verò sit vera in primo modo, vel secundo, non affirmat; nec in tota illa quæstione erat necessaria talis determinatio; quia ibi solum quærit: Vtrùm sit vera hæc propositio: *Christus in triduo fuit homo.*

Arguitur septimo ex Scoto *in 3. dist. 6. quæst. 1. num. 2. litt. A.* dicente: *Existentiam non esse modum, sed prædicatum essentiale creaturæ intellectualis*: ergo existentia non est modus intrinsecus, sed prædicatum quidditativum Dei. 63 *Arguit. 7. ex eodem.* Respondeo primò: quod etsi hic textus ab aliquibus citetur Scotistis, sed non benè; videatur namquè Scotus, & invenietur clarè, Doctorem aliquam distinctionem dare inter essentiam, & existentiam, & inter esse existentiæ, & esse essentiæ. Nam ibi tenet contra Henricum, esse in Christo esse existentiæ creatæ, distinctum ab esse increato. *Respond. 1.* Respondeo secundò: argumentum probare: existentiam in creaturis non esse modum, contra plures Scotistas, & Scotum pluribus in locis *citat. num. 7.* *Secundò.* Respondeo tertiò, vt in *num. sequent.* *Tertiò.*

64 *Arguit. 8.* Arguitur octavò ex eodem *in 3. Report. dist. 6. quæst. 1.* vbi proponit eandem quæstionem, ac *in 3. citat. num. anteced.* Vtrùm, scilicèt, in Christo sit aliquid esse aliud ab esse Verbi increato? Vbi aliqui Scotistæ volunt, Scotum velle, existentiam esse essentiam: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei. *Respondeo.* Respondeo: quod Scotus ibi affirmat: quod est in Christo existentia creata, & esse existentiæ, quia existentia creata non distinguitur realitèr ab essentia, sed solum ratione obiectiva, & cum fundamento in re. Colligiturque ex ipso textu: nam incipit §. ad quæstionem sic: *Ad quæstionem dico supponendo, quod esse essentiæ non sit aliquod aliud ab essentia realitèr*, in quo sensu loquitur *hic*, & *in 3. citat. num. anteced.* Quarè nihil contra nos.

Arguitur nono ex eodem *in 4. dist. 13. quæst. 1. § De tertiò artic. v. Ad argumenta, num. 38.* dicente: *Esse existentiæ non esse aliud ab essentia*: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei. 65 *Arguit. 9.* Respondeo: ibi Scotum respondere ad argumentum factum à *D. Thoma*, iudicante: existentiam creatam realitèr distingui ab essentia, vt claret in argumento *de 3. arti.* Quarè nihil contra nos realitèr essentiam ab existentia, nec in Divinis, nec in creatis, distinguentes. *Respondeo.*

66 *Arguit. 10.* Arguitur decimo: Scotus pluribus in locis tenet: in Deo formalitèr reperiri omnem perfectionem simpli-

citèr ſimplicem; ſed talis eſt exiſtentia: ergo exiſtentia formalitèr reperitur in Deo, & conſequentèr eſt prædicatum quidditativum Dei. *Reſpond.1.* Reſpondeo primò: argumentum probare, non eſſe in Deo attributum aliquod, vel modum quemdam, qui non ſit de eſſentia Dei, quod non concedunt contrarij. *Secundò.* Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: in primo, vel in ſecundò modo dicendi per ſe, concedo maiorem; in primo præcisè, nego maiorem, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: ergo exiſtentia formalitèr reperitur in Deo in ſecundo modo dicendi per ſe, concedo conſequentiam; in primo, nego conſequentiam.

67 *Dices.* Dices: Scotum *in 1. diſt. 2. quæſt. 2. §. Ex his ad quæſtionem*, ait: *Exiſtentiam prædicari de Deo in primo modo*: ergo ruit ſolutio. Vltra ſolutiones datas, & retorſiones factas *quæſt. 1. §. 4. à num. 37. vſquè ad finem illius, §. Contra Scotiſtas*, hac vtentes authoritate. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: in primo modo poſitivè, nego antecedens; negativè, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Duplicitèr namque dicitur aliquid eſſe in primo modo. Poſitivè, & eſt, quando eſt de quidditate rei. Negativè, quando non eſt extrà quidditatem abſolutè, vt ſunt attributa, vel paſſiones, & hoc modo quilibet modus intrinſecus dicitur in primo modo, quia eſt gradualitas intenſiva eſſentiæ.

§. VI.

Argumenta Scotiſtarum à ratione contra concluſionem ſolvuntur.

68 *Arguit. 1. ratione.* ARguitur primò ex Maſtrio, & Lalemandet: ratio ſignificata per nomen eſt vera diffinitio ex 4. methaphiſicæ; ſed nomen Dei ſignificat exiſtentiam: ergo exiſtentia eſt prædicatum quidditativum Dei. Minor eſt Scoti *in 1. diſt. 22. quæſt. 1.* Cõſtatque ex illo Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum, qui eſt, miſit me ad vos*, quod etiam repetit *quodlib. 1. artic. 1.* Conſequentia infertur. *Reſpond.1.* Reſpondeo primò, vt in *num. 45. 46. 47. & 49.*

69 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò diſtinguendo minorem: ſed nomen Dei commune ſignificat exiſtentiam, omitto minorem; proprium, & differentiale, nego minorem, & conſequentiam. Nec hoc eſt contra Scotum *in 1. citat.* nam ibi (vt ait Scholiaſtes) tantum aſſertivè tenet: quod viator vtitur nomine diſtinctè ſignificante Deum ab alio impoſito; quod autem ſit hoc nomen, ibi aſſertivè non tenet, etſi inter alia exiſtentiam probabilitèr ex Exodo aſſignet. Ad Scotum *quodlib. 1.* iam dixi *num. 52. & 53.*

70 *Tertiò.* Reſpondeo tertiò inſtando argumentum: inter nomina communia, & propria cuiuſcumque rei, meliùs ſignificatur res per propria, quam per communia, vt patet in quocumque; ſed Deus habet nomina communia, vt eſſe ſapientem, iuſtum, bonum, &c. & propria, vt eſſe primam cauſam, omnipotentem, æternam, &c. ergo per hæc meliùs ſignificatur Deus, quam per illa; atqui ita, etſi propria, non ſunt de eſſentia Dei: ergo multo minùs illa: ergo exiſtentia non eſt prædicatum quidditativum Dei.

Quartò. Reſpondeo quartò: argumentum probare: exiſtentiam eſſe conſtitutivum Dei, vt claret ex maiori argumenti, quod negant ipſius argumenti factores. *Quintò.* Reſpondeo quintò diſtinguendo maiorem: ratio ſignificata primario per nomen, & vt primus conceptus nominis, eſt vera diffinitio rei, concedo maiorem; ratio ſignificata ſecundario, nego maiorem; diſtinguo minorem: ſed nomen Dei ſignificat exiſtentiam, vt ratio ſignificata ſecundario per nomen, concedo minorem; vt ratio ſignificata primario per nomen, & vt primus conceptus nominis, nego minorem; nec alia indiget explicatione ſolutio.

71 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò ex Maſtrio, Smiſing, Lalemandet, & Herinx: Prima ratio, diſtinctiva Dei à creatura, eſt, eſſe ens per eſſentiam, vt Patres, & Theologi docent; ſed hoc nequit intelligi de ente nominaliter ſumpto, ſcilicèt, pro eo, cui non repugnat exiſtere; quia ſic etiam creaturæ ſunt entia per eſſentiam: ergo intelligitur de ente participalitèr ſumpto, ſcilicèt, pro eo, quod actu exiſtit. Tunc ſic: ſed hoc nequit ita intelligi, vt exiſtentia ſit ſolum eſſentia Dei per identitatem; nam ſic etiam exiſtentia eſt eſſentia creaturæ: ergo vt peculiari modo Deus ſit ens per eſſentiam participalitèr, ita debet intelligi, vt exiſ-

ten-

tentia ſit de eſſentia Dei, non verò creaturæ.

Reſpondeo. Riſpondeo omittendo maiorem, concedo minorem, & conſequentiã, concedo etiam ſuſſumptam, & nego conſequentiam. Vt enim Deus peculiari modo ſit ens per eſſentiam participalitèr, ſufficit, quod ſit exiſtens à ſe, quod non habet creatura; nec amplius per illa verba denotatur, vt ipſe, (etſi oppoſitum tenens) in præſenti fatetur Pontius.

72 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò ex ſuprà dictis, & Pontio cum ipſis: quod eſt in aliqua re, & non habet rationem à priori, iudicatur prædicatum quidditativum illius; ſed exiſtentia eſt in Deo, & non habet rationem à priori: ergo exiſtentia eſt prædicatum quidditativum Dei. Probatur minor: exiſtentia Dei non habet cauſam ſui: ergo exiſtentia eſt in Deo, & non habet rationem à priori. Probatur antecedens: quod eſt neceſſariò exiſtens independentèr ab alio, non habet cauſam exiſtentiæ eius; ſed Deus eſt neceſſariò exiſtens independentèr ab alio: ergo exiſtentia Dei non habet cauſam ſui.

Reſpondeo. Reſpondeo diſtinguendo vltimam maiorem: non habet cauſam efficientem, concedo maiorem; dimanationis, vel illationis methaphiſicę, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Patet ſolutio, inſtando argumentum in quocumque Dei attributo.

73 *Dices* 1. Dices primò cum dictis: ſi exiſtentia haberet cauſam demonſtrativam, vel dimanativam, Deus exiſtens non eſſet primum principium, primaque cauſa in genere cauſæ efficientis; eſſet namque exiſtens ab alio; ſed hoc nequit affirmari: ergò exiſtentia Dei non habet cauſam demonſtrativam, vel dimanativam.

Reſpondeo. Reſpondeo negando maiorem: nam Deus eſt primum principium, & prima cauſa, ob independentiam ab alio extrinſeco per phiſicam cauſationem, quam non deſtruit dimanatio exiſtentiæ ab eſſentia, vt claret inſtantia cuiuſcumq̃ attributi. Ex quo diſtinguo probationem imbibitam: eſſet exiſtens ab alio dimanativè, illativè, vel methaphiſicè, concedo; phiſicè, nego.

74 *Dices* 2. Dices ſecundò cum ipſis, & quodam Scotiſta: nequit exiſtentia Dei dimanare ab eſſentia: ergo exiſtentia Dei non habet cauſam demonſtrativam, vel dimanativam. Probatur antecedens: id, ex quo aliquid dimanat, aliqua prioritate eſt prius, quam id, quod dimanat; ſed eſſentia Dei nulla prioritate eſt actu prior exiſtentia: ergo nequit exiſtentia Dei dimanare ab eſſentia. Probatur minor: eſſentia eſt actu per exiſtentiam: ergo eſſentia Dei nulla prioritate eſt actu prior exiſtẽtia.

Reſpond. 1. Reſpondeo primò, negatis negandis: nam ex Scoto *in* 2. *Poſter. quæſt.* 6. §. *Ad primam rationem, num.* 3. eſſentia aliqua prioritate eſt actu prior exiſtentia; hæc enim ſunt verba eius: *Triplex eſt eſſe: Eſſe eſſentiæ, & eſſe, quod eſt actualiter eſſentiæ, & eſſe exiſtere.* Quid clarius! Reſpondeo ſecundo negando antecedens; ad probationem diſtinguo minorẽ: nulla prioritate eſt eſſentia actu exiſtentiali, & formali prior exiſtentia, concedo minorem; actu eſſentiali, & radicali, nego minorem; diſtinguo ſimilitèr probationem, & nego conſequentias. Patet ſolutio ex verbis Scoti immediatè adductis, & in eſſentia creata reſpectu creatæ exiſtentiæ.

Secundò.

75 *Tertiò.* Reſpondeo tertiò alitèr diſtinguendo minorem: nulla prioritate exiſtentiali, & radicali, nego minorẽ; exiſtentiali, & formali, concedo minorem, & nego conſequentiam. Habet namq; exiſtentia ab eſſentia, quod ſit radicalitèr; in ipſa namquè radicatur; eſſentia autem ab exiſtentia habet, quod ſit formalitèr exiſtens, quia exiſtentia eſt ratio formalis exiſtendi; & non eſt inconveniens, quod id, quod eſt ratio formalis alicuius, præſupponat illud radicalitèr, quia radicatur in illo, vt patet in infinitate formali, quæ eſt ratio, qua eſſentia dicitur formalitèr infinita, ipſamque præſupponit pro aliquo priori infinitam radicalitèr. Sic ſimilitèr.

76 *Replicab.* 1. Replicabis primò contra quamlibet ex triplici ſolutione: eſſentia illa eſt aliqua prioritate prior exiſtentia: ergo pro illo priori erit quaſi impotentia ad exiſtentiam: ergo Deus eſſet compoſitus ex actu, & potentia, quod repugnat. Reſpondeo diſtinguendo primum conſequens: quaſi in potentia dicente imperfectionem, nego conſequentiam; non dicente imperfectionem, concedo conſequentiam, & nego ſubſequutam, quia ad compoſitionem requiritur potentia imperfectionem involuens.

Reſpondeo.

Quod vero potentia, in qua est essentia, pro priori ad existentiam, non dicat imperfectionem, patet primò: quia illa potentia, nec est obiectiva, nec per dependentiam ab aliquo extrinseco causante, vel conservante, quæ sunt potentiæ imperfectionem involuentes. Secundò patet: nam alioquim non daretur in Deo potentia productiva, & creativa. Tertiò: nam in eadem potentia est essentia pro priori ad existentiam, qua est pro priori ad attributa; sed hæc potentia excludit imperfectionem, vt communi calculo Theologi docent: ergo similitèr.

77 *Replicab. 2.* Replicabis secundò: essentia Dei nequit per nos considerari actu prior formalitèr, & existentialitèr existentia ipsius Dei: ergo nequit esse causa emanationis existentiæ Dei. Probatur consequentia: principium, vel causa emanationis aliqua prioritate est actu formali existentiali prius, quã quod dimanat; sed essentia Dei nequit per nos cõsiderari actu prior formalitèr, & existentialitèr existentia ipsius Dei: ergo nequit esse causa emanationis existentiæ Dei. Probatur maior: dimanatio ipsa supponit principium eius actu formalitèr existens pro priori antequam sit: ergo principium, vel causa emanationis, aliqua prioritate est actu formali existentiali, prius, quam quod dimanat.

Probatur antecedens: quod attinet ad actum secundum supponit pro aliquo priori id, quod attinet ad actum primum, cuius actus primus est; sed dimanatio attinet ad actum secundum, & esse actu formali existentiali pertinet ad actum primum, cuius actus secundus diminatio est: ergo dimanatio ipsa supponit principium eius actu formalitèr existens pro priori antequam sit. Minor pro prima parte est certa. Probatur secunda: esse actu formali existentiali pertinet ad actum primum, cuius dimanatio proprietatis actus secundus est: ergo esse actu formali existentiali pertinet ad actum primum, cuius actus secundus dimanatio est. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: ergo esse actu formali existentiali pertinet ad actum primum, cuius actus secundus dimanatio aliqua est, concedo consequentiam; cuius actus secundus omnis dimanatio est, nego consequentiam.

Instabis: omnis dimanatio supponit principium pro priori actu existens: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: omnis dimanatio supponit principium effectivum reale, vel virtuale; sed quodcumque principium effectivum præsupponitur actu existens ante id, cuius est principium: ergo omnis dimanatio supponit principiũ pro priori actu existens. Probatur minor: principium effectivum actu non existens, nullius operationis potest esse principium: ergo quodcumque principium effectivum præsupponitur actu existens ante id, cuius est principiũ. Probatur antecedens: conceptus existentiæ formalis constituit rem in tali statu, vt possit habere operationes actuales sibi competentes: ergo, &c. 78 *Instabis.*

Respondeo. Respondeo distinguendò antecedens: conceptus existentiæ formalis constituit rem in tali statu, vt possit habere operationes, quæ sunt quasi in linea qualitativa concedo antecedens; operationes lineæ gradualis, modalis, vel quæ sunt tanquam puri termini nego antecedens, & consequentiam. Claret solutio in essentia creata respectu suæ existentiæ.

79 *Replicabis.* Replicabis cum prædicto Scotista: priùs est, quod principium sit formalitèr existens, quam quod sit actualitèr operans in quacumque linea: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: existentia est actus essendi, principiare verò est actus operandi; sed priùs est, quod principium habeat actum essendi, quam actum operandi: ergo priùs est, quod principium sit formalitèr existens, quam quod sit actualitèr operans in quacumque linea. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem quoad primã partem: existentia est actus essendi existentialitèr concedo maiorem; essentialitèr nego maiorem; distinguo minorem: sed priùs est, quod principium habeat actum essendi essentialitèr, quam actum operandi concedo minorem; existẽtialitèr subdistinguo: priùs est, quod principium habeat actum essendi, quam actum operandi, in linea qualitativa concedo minorem; in linea graduali nego minorem, & consequentiam. Eiique instantia, vt in *num. anteced.*

80 *Replicab. 3.* Replicabis tertiò, specialitèr cum Pontio: non potest assignari illud, ex quo pullulat Dei existentia: ergo existentia Dei non habet causam de-

monst-

Respond. 1. monstrativam, vel dimanativam. Respondeo primò negando antecedens: nam id, quod Pontius ponit pro constitutivo Dei, assignatur pro principio, à quo existentia dimanat. Respondeo secundo omittendo antecedens, & negando consequentiam: nam ex eo, quod ob imperfectionem nostri intellectus assignare non possimus prædicatum constitutivum Dei, non sequitur, quod illud non sit, vt etiam dicitur in logica, loquendo de substantiæ, & quantitatis constitutivo.

Secundò.

81 *Replicab.* 4. Replicabis quartò cum ipso, & Scotista prædicto: essentia illa existens radicalitèr, vel fundamentalitèr pro illo priori, potest dici existens formalitèr, sine additione existentiæ formalis: ergo existentia Dei non habet causam demonstrativam, vel dimanativam. Probatur antecedens: essentia Divina cum existentia radicali posset præstare, quidquid præstat mediante formali existentia: ergo essentia illa existens radicalitèr, vel fundamentalitèr pro illo priori, potèst dici existens formalitèr, sine additione existentiæ formalis. Probatur antecedens primò: nam opponeretur nihilo, possibilibus, & contingentibus. Secundò: esset radix omnium, quę Deo conveniunt. Tertiò: illa mediante posset agere ad extra; sed hæc præstat essentia Divina, cum existentia formali: ergo essentia Divina cum existentia radicali posset præstare, quidquid præstat, mediante formali existentia.

Probatur anteced.

82 *Respondeo.* Hæc replica est contra Pontium, & omnes concedentes: vnitatem entis esse formalitatem positivam superadditam essentiæ eius, & infinitatē esse modum superadditum essentiæ Dei, quare, & ipsi solvere tenentur. Ego verò respondeo, negando antecedens: quia pro illo priori habet essentia, quod requiritur ad existentiam fundamentalem; non autem ad formalem; nam illud instans est instans essentiæ, & non existentiæ formalis; sicut in ipso Deo instans essentiæ non est instans infinitatis formalis, æternitatis, &c. & in homine instans rationalitatis non est instans risibilitatis formalis.

83 *Ad probat. antecedent. Ad 1. part.* Ad probationem antecedentis respondeo, negando antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorem quoad primam partem: oponeretur nihilo, possibilibus, & contingentibus actualitate essentię, vel radicalitèr concedo maiorem; actualitate existentiæ, vel formalitèr nego maiorem. Sicut enim essentia Divina concepta absquè vnitate, bonitate, infinitate, &c. opponitur finito, malo, &c. radicalitèr, & non formalitèr; ita similitèr. Et sicut additur vnitas formalis, bonitas, infinitas, &c. suprà vnitatem radicalem, bonitatem, infinitatem, &c. vt Deus sit vnus formalitèr, bonus, infinitus, &c. ita nos addimus existentiam formalem, vt Deus sit formalitèr existens.

84 *Ad 2.* Distinguo etiam maiorem quoad secundam partem: esset radix omnium, quæ Deo conveniunt, in linea graduali, vel modali omitto maiorē; in linea qualitativa subdistinguo: sine conditione requisita ad emanationē concedo; cum illa nego. Hoc patet in essentia creata; quæ cum existentia radicali est radix existentiæ creatæ; vt verò ab ipsa dimanent proprietates, requirit existentiam, saltim vt conditionem. Ex quo nego tertiam partem maioris: quia ad agendum est existentia, saltim vt conditio, necessaria, vt in physica dicitur; omitto minorem argumenti, & nego consequentiam.

Ad 3.

85 *Arguit.* 4. Arguitur quartò cum prædicto Scotista: existentia Dei non est attributum, nec modus ipsius: ergo est de eius quidditate. Probatur antecedens quoad secundam partem: modus intrinsecus nequit habere alium modū intrinsecum; sed existentia Dei habet modum intrinsecum, scilicèt, necessitatem essendi: ergo existentia Dei non est modus ipsius. Probatur maior: quod non habet quidditatem, non habet modum intrinsecum, qui modificet quidditatem; sed modus intrinsecus non habet quidditatem: ergo modus intrinsecus nequit habere aliū modum intrinsecum. Confirmatur ab eodem: habens modum intrinsecum, est conceptus non simplicitèr simplex, sed resolubilis in quidditatem, & modum, ex Scoto *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. *num.* 26. sed modus intrinsecus ex Scoto *ibi*, non est conceptus resolubilis, sed simplicitèr, simplex: ergo existentia Dei est de eius quidditate.

Confirmat.

86 *Respond.* 1. Respondeo primò ad argumentum, negando antecedens, ad probationem nego minorem, qua negata, ruunt argumentum, & confirmatio. Ratio negationis est: nam necessitas

ion est modus existentiæ, sed est modus entis, vt constat in methaphisica, vbi asseritur: necessarium, vel contingens esse proprietates disiunctas, vel complexas entis. Quod autem necessitas conveniat enti existenti, est, quia prius est ens existere, quam necessariò existere; vndè necessitas est modus entis determinati prius per existentiam necessariam.

87 *Secundò.* Respondeo secundò conformitèr ad dicta *numer.* 57. distinguendo vltimam minorem: modus intrinsecus non habens alium modum, non habet quidditatem, omitto minorem; modus habens alium modum, subdistinguo: non habet quidditatem, quæ sit quidditas rei concedo minorem; non habet quidditatem modalem, à qua dimanare possit alius modus, nego minorem, & distinguo similitèr *Ad cõfirm.* consequens. Ad confirmationem distinguo minorem: modus intrinsecus, sub conceptu modi, non est conceptus resolubilis, sed simpliciter simplex, concedo minorem; sub conceptu quasi naturæ nego minorem, & consequentiam. Hoc patet per dicta *numer.* 57. ex quibus argumentum retorqueatur.

88 *Dices.* Dices contra hanc solutionem: necessitas in essendo est modus existentiæ; sed per nos existentia est modus: ergo datur modus modi, saltim diversæ rationis: ergo ad actionem daretur actio, saltim diversæ rationis: ergo daretur processus in infinitum.

89 *Respond. 1.* Respondeo primò negando secundam consequentiam. Disparitas est: nam modus, vtpotè, formalitas, potest esse principium, à quo aliquid dimanet, & terminus dimanatus; cæterum actio, nec potest esse producès, nec producta, & per consequens ad actionem nequit dari actio, adhuc diversæ rationis. Ex quo distinguo tertium cosequens: ergo daretur processus in infinitum, in actionibus concedo consequentiam; in modis nego consequentiam.

Ratio solutionis. Ratio est: nam si ad actionem daretur actio, deberet esse eiusdem rationis: quare non esset maior ratio ad duplicem actionem, quam ad infinitas; at in modis, quia diversæ rationis, esset ratio negandi infinitatem, quia non essent infinitæ formalitates, à quibus infinitæ procederent dimanationes. *Respond. 2.* Respondeo secundò: hoc argumentum debere solvi ab omnibus Scotistis: Omnes enim concedunt modum modi, ex dictis *num.* 57. & nullus admittit actionem ad actionem: multum igitur probat argumentum.

§. VII.

Argumenta ex Scoto contra nostram rationem solvuntur.

90 *Arguit. 1. contra rationem conclusionis.* ARguitur primò: potest prædicatum aliquod commune pluribus esse vnivocum tantum vni, & vnivocè dictum de alijs: ergo poterit existentia esse prædicatum vnivocum tantum creaturis, seu modale, & vnivocè dictum de Deo, seu essentiale. Antecedens est Scoti *in 3. dist. 7. quæst. 1. §. 4. Videndum*, vbi tenet: quod hoc prædicatum *homo*, est vnivocum prædicatum tantum Verbo Divino, & est vnivocè dictum de cæteris, scilicèt, de Petro, Paulo, &c. Consequentia benè infertur. Confirmatur: hoc prædicatum *quantitas*, est commune quanto per se, & quanto per accidens; sed est vnivocum tantum quanto per accidens, & vnivocè dictum de quanto per se: ergo poterit existentia esse prædicatum vnivocum tantum creaturis, seu modale, & vnivocè dictum de Deo, seu essentiale. *Confirmat.*

91 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens. Ad probationem ex Scoto dico: Doctorem ibi comparare hoc prædicatũ *homo* cum personalitatibus; non verò cum concreti-, scilicèt, Petro, Paulo, & Christo, sicque ait: quod ita comparatum, est prædicatum tantum vnivocum, non solum Verbo, verum & alijs personalitatibus, quia non est essentiale personæ, vt personæ, esse hominem. Cæterum, si comparetur cum individuis, est vnivocè dictum de Christo, sicut de Petro, & Paulo. Ad *Ad cõfirm.* confirmationem nego maiorem: quia *quantum* per accidens, solum participat effectũ quantitatis, scilicèt, extensionem actualem in loco, sicque solũ hic effectus est illis communis, & ambobus tantum vnivocus, quia extensio actualis est accidens vtriusque.

92 *Objicies.* Objicies: quando aliqua conveniunt in aliqua realitate secundum conceptum obiectivum, & distinguntur in illa secundum conceptum subiectivum, illa realitas secundum conceptum subiectivum potest esse constitutiva vnius, & non alterius; sed Deus, & creatura conveniunt, & dis-

tin-

tinguntur sic in existentia: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, potest illud prædicatum esse de essentia vnius, quin sit de essentia alterius. Maior est Scoti *in* 1. *dist.* 26. *num.* 45. *§. Ad primum tertiæ viæ, ℣. Et per hoc*, dicentis: *Pater Æternus, & creatus in Paternitate obiectivè conveniunt, & subiectivè distinguntur*; sed ratione huius distinctionis Paternitas in Divinis est constitutiva personę, non vero in creatis: ergo poterit existentia esse prædicatum vnivocum tantum creaturis, seu modale, & vnivocè dictum de Deo, seu essentiale.

93 *Respond.* 1. Respondeo primò distinguendo maiorem: illa realitas secundum conceptum subiectivum, explicantē conceptum abstrahibilem ab illis, potest esse constitutiva vnius, & non alterius nego maiorem; conceptum non abstrahibilem, sed proprium concedo maiorem, omitto minorem, & distinguo similitèr consequens. Distinguo maiorem alijs terminis: illa realitas secundum conceptum subiectivum, explicantem conceptum communem illis, nego maiorem; explicantem conceptum proprium vnius, concedo maiorem, & hoc modo loquitur Scotus *citat.* Nam *in §. citat.* sic ait: *Ad primum tertiæ viæ dico, quod Paternitas est de se incommunicabilis; non tamen iste conceptus, qui potest abstrahi à Paternitate Divina, & creata.* Et ℣. *citat.* ait: *Cum dicis, quod non est de se hæc, falsum est, intelligendo formalitèr de realitate illa, quæ est Paternitas; non de conceptu communi huic Paternitati, & illi.* Quid pro nobis elegantius? Ex his verbis retorque argumentum, vt in *num.* 21. 22. & 28. Vltra quod.

94 *Retorqueo.* Instō: quando aliqua conveniunt in aliqua realitate communi obiectivè, & non subiectivè, si illa realitas est de quidditate vnius, etiam est de quidditate alterius: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prędicatum est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius. Probatur antecedens: materia, & forma conveniunt obiectivè in ratione subitantiæ, & subiectivè distinguntur ex Scoto *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *§. Sequitur secundo*, dicente: *Quod nihil materiæ includitur in formâ, & nihil formæ includitur in materia*; sed si substantia est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius: ergo quando aliqua conveniunt in aliqua realitate communi obiectivè, & non subiectivè, si illa realitas est de quidditate vnius, etiam est de quidditate alterius. Alias retorsiones vide *num.* 102. & 106.

95 *Respond.* 2. Respondeo secundò, concedendo totum: quia ex argumento tantum sequitur, quod aliqua realitas, habens plures conceptus, ratione vnius conveniat cum altera realitate, & ratione alterius ab ipsa differat, sub hacque ratione differētię sit constitutiva vnius, & non alterius, ex quo nihil contra nos; quia nunquam sequitur falsitas illius maioris positæ *num.* 17. scilicèt, quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prædicatum est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius.

96 *Dices.* Dices: ergo aliqua realitas habere potest duplicem conceptum, vnum commune alteri realitati, & aliud distinctum ab illa: ergo potest secundum conceptum distinctum esse constitutiva vnius, & non alterius. Totum claret in Paternitate. Infero: ergo poterit existentia Dei habere hunc duplicem conceptum. Respondeo distinguendo hoc consequens: ergo poterit existentia Dei habere hunc duplicem conceptum, si esset fundamentum concedo consequentiam; si non esset nego consequentiam. Ratio est: nam in Paternitate adest fundamentum, vt illum duplicem habeat conceptū; non verò in existentia; alioquin argumentum probaret: ens, substantiam, &c. esse Dei vltimo constitutiva, quod est falsum, vel quod essent de essentia Dei, quin sint de essentia creaturæ, quod etiam est falsum.

Respondeo. Si vero quæras: vnde agnoscitur fundamentum, vt Paternitas habeat illum duplicem conceptum; non autem existentia? Respondeo: cognosci ex diversis muneribus Paternitati, quibus existentia caret; nam Paternitas Divina constituit Patrem in esse Patris, & constituit personam; cæterum existentia tantum habet munus constituendi rem existentem in esse existentis.

97 *Si quæras.* *Respondeo.*

98 *Arguit.* 2. Arguitur secundò: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, potest prædicatum esse constitutivum vnius, & non alterius; sed Deus, & creatura conveniunt in existentia: ergo quando aliqua conveniūt in aliquo prædicato communi, potest

illud

illud prædicatū esse de essentia vnius, quin sit de essentia alterius. Probatur maior: vltima superficies,& vas conveniunt in continentia;sed continentia ex Scoto est constitutiva superficiei in ratione loci, formaliter sumpti,non vero vasis:ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prędicato communi, potest prædicatum esse constitutivum vnius,& non alterius.

Confirmat. Confirmatur: Angelus, & locus conveniunt in movilitate; sed movilitas corporis pertinet ad Phisicam, non vero Angeli in sententia probabili Scoti:ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, potest illud prædicatum esse de essentia vnius,quin sit de essentia alterius.

99 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando maiorem: ad probationē distinguo maiorem: vltima superficies, & vas conveniunt in continentia, & in connotato ipsius continentiæ, nego maiorem; in continentia tantum, concedo maiorem, distniguo minorem:sed continentia tantum est constitutiva superficiei in ratione loci, formaliter sumpti, nego minorem; continentia connotans immobilitatem, concedo minorem,& nego consequentiam.

Ad cōfirm. Ad confirmationem distinguo minorem: movilitas, ex ratione movilitatis, pertinet ad phisicam, nego minorem; quia talis, concedo minorem,& nego consequentiam. Itaquè movilitas pertinens ad phisicam, est movilitas per se sensibilis à nostris sensibus, & hæc est, quæ convenit corporibus; non vero est movilitas ex ratione movilitatis, quia hæc etiā convenit Angelis, licèt non sit phisicæ considerationis,& hæc movilitas, quæ vtrique est communis,eo modo de vtroque dicitur. Imò vide confirmationem solutam *num.* 22.

§. VIII.

Argumenta à ratione contra rationem conclusionis solvuntur.

100 *Arguit. 1. 3. exemplo.* ARguitur primò ex quodam alio Scotista, subtili certè, & ingenioso: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, potest prædicatum esse de essentia vnius, quin sit de essentia alterius:ergo nulla est ratio conclusionis. Probat antecedens triplici exemplo. *Primum.* Primum est: Pater æternus, & creatus conveniunt in conceptu imperfecto Paternitatis, & tamen Paternitas accidentalitèr cōpetit suppositò creato, & omninò essentialitèr Divino. *Secundum.* Secundum exemplum est: homo albus, nix, & albedo conveniunt in ratione disgregandi visum, & tamen disgregare convenit essentialitèr albedini, nivi,vt propria passio, & homini tanquam accidens commune. *Tertium.* Tertium. Homo, & Deus conveniunt in conceptu sapientiæ;& tamen sapientia convenit Deo, vt attributum;homini verò, vt accidens: ergo similitèr: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato cōmuni, potest prædicatum esse de essentia vnius, quin sit de essentia alterius.

101 *Respondeo ad 1.* Respondeo:has paritates à prædicto Scotista ingeniosè deductas, non vrgere. Ad primam ergo distinguo antecedens: Pater æternus, & creatus vnivocantur in conceptu confuso, vel imperfecto Paternitatis, & tamen Paternitas, ex conceptu Paternitatis, accidentalitèr competit suppositò creato, & omninò essentialitèr Divino, nego antecedens; Paternitas ex ratione contractionis, accidentalitèr competit suppositò creato, & omninò essentialitèr Divino, concedo antecedens,& nego, quod ex ipso sequitur. *Ratio solutionis.* Ratio est: nam Paternitas ex se, indifferens est, vt accidentalitèr, vel essentialitèr conveniat; hoc enim, illove modo convenire,habet ratione contractionis; & cum istæ sint diversæ, non ratione, qua conveniunt Pater æternus, & creatus, sed ratione, qua differunt, ipsis convenit diverso modo Paternitas, quod non est contra nos. At prædicata quidditativa de se sunt talia, quia de se antecedunt constitutivum rei, & sic prædicatum commune,quod est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius,quia de se debet esse tale.

102 *Firmatur 1. solutio.* Firmatur hoc primò: non minus Deus,& creatura vnivocantur in cōceptu imperfecto entis, quam Pater æternus, & creatus in conceptu Paternitatis; sed si ens est de essentia vnius, etiam est de essentia alterius, licèt in Deo ens sit à se,& in creatura ab alio: ergo ideò est, quia ens ex se independentèr à ratione contractiva, est prædicatum quidditativū vtriusque: ergo, quod Paternitas in Deo essentialitèr conveniat, non vero

crea-

creaturæ, eſt, quia ex ſe præſcindit ab hoc modo conveniendi: ergo hoc habet ratione contractivi, vel determinativi: ergo vera eſt ſuprà data diſtinctio. Formetur idem argumentum in ſubſtantia, vita, & alijs.

103 *Firmat. 2.* Firmatur ſecundò: nam vel ſuppoſito Divino convenit eſſentialitèr Paternitas ex conceptu Paternitatis, vel ex conceptu talis Paternitatis? Si primum: ergo etiam eſſentialitèr conveniet ſuppoſito creato; nam hac, & non alia ratione, coguntur dicere omnes: ens, ſubſtantiam, &c. eſſe de eſſentia cuiuslibet inferioris. Si ſecundum: ergo Paternitas ratione contractivi, vel determinativi diverſo modo convenit ſuppoſito Divino, & creato, quod eſt noſtra ſolutio.

104 *Dices.* Dices: ergo ſaltim talis exiſtentia, ſcilicèt, exiſtentia Dei, erit de eſſentia eius. Tranſeat conſequens; quia hoc non eſt dicere, quod exiſtentia communis Deo, & creaturæ, ſit de eſſentia Dei; ſed quod illud ſpeciale determinativum exiſtentiæ ad Deum, per quod ab exiſtentia creata diſtinguitur, eſt prædicatum quidditativū eius; & hoc modo, etiam talis exiſtentia, ſcilicèt, exiſtentia creaturæ, ſeu illud ſpeciale contractivum exiſtentiæ ad creaturam, per quod exiſtentia creata diſtinguitur ab exiſtentia Dei, eſt prædicatum quidditativum creaturæ, quod non eſt contra nos.

Reſpondeo. *Declaratur ſolutio.* Declaratur hoc: etſi talis vnitas, veritas, bonitas, & ſapientia, ſcilicèt, Dei, ſeu illud ſpeciale determinativū vnitatis, veritatis, bonitatis, & ſapientiæ ad Deum, ſit de eſſentia Dei; tamen vnitas, &c. vt comunia ſunt Deo, & creaturis, non ſunt de eſſentia Dei: ergo ſimiliter de exiſtentia; atquihoc non alia ratione, niſi quia vnitas, veritas, &c. non ſunt ex ſe prędicata quidditativa: ergo cum exiſtentia non ſit de ſe prædicatum quidditativum; alioquim etiam eſſet de eſſentia creaturæ, vt totiès dictū eſt; nec etiam erit de eſſentia Dei.

105 *Ad 2. reſpondet. 1.* Ad ſecundum reſpondeo primò diſtinguendo maiorem: homo albus, quia albus, nix, quia alba, & albedo, vnivocantur in ratione diſgregandi viſum, concedo maiorem; homo, quia homo, nix, quia nix, & albedo, quia albedo, nego maiorem; imò, & ſuppoſitum. Diſtinguo minorem: & tamen diſgregare convenit eſſentialiter albedini, nivi, quia nix, vt paſſio; & homini, quia homo, vt accidens, concedo minorem; nivi, quia albo, & homini, quia albo, nego minorem, & conſequentiam.

Retorqueo. Ex quo retorqueo inſtantiam contra ipſum: quia enim homo, & nix, quia alba, conveniunt in diſgregare, ſi diſgregare ex ſe eſſentialitèr convenit albedini vt ſic; etiam eſſentialitèr convenit huic, & illi albedini, ſcilicèt, hominis, & nivis; nam reſpectu horum albedo eſt ſpecies, de cuius ratione eſt prædicari quidditativè de omnibus inferioribus; atqui Deus, & creatura conveniunt in exiſtentia: ergo quia conveniunt, ſi exiſtentia prædicatur de Deo quidditativè, etiam de creatura, quod non admittit Scotiſta, cuius eſt argumentum.

Quod autem diſgregare, accidentaliter conveniat homini, & nivi (falſum enim eſt, quod ab hoc Doctore aſſeritur, ſcilicèt, nivi convenire diſgregare, vt propria paſſio, non enim diſgregare convenit ſoli nivi, nec convertibiliter cum ea prædicatur, quæ ſunt conditiones ad proprium requiſitæ, vt conſtat ex diffinitione proprij) eſt, quia accidentaliter de illis prædicatura lbedo; nam ſunt ſubiecta illius, reſpectu quorum accidens conſtituit quintum prædicabile, vt in logica dicitur. Imò ex hoc etiã.

106 *Retorqueo iterum.* Retorqueo contra ipſum: nam quia albedo reſpectu hominis, & nivis, aliorumque ſubiectorum, conſtituit quintum prædicabile, de cuius ratione eſt, quod accidentaliter prædicetur; ſi albedo accidentaliter prædicatur de vno, accidentaliter prædicatur de omnibus, quia omnia conveniunt in ratione ſubiectiva: ergo cum Deus, & creatura, conveniant in ratione exiſtentiæ, ſi exiſtentia eſt de eſſentia vnius, etiam erit de eſſentia alterius.

107 *Reſpond. 2. retorquendo directè.* Reſpondeo ſecundò directè retorquendo inſtantiam: homo albus, nix, & albedo vnivocantur in ratione diſgregandi viſum, non tamen analogè, & confusè, verum diſtinctè, & perfectè; ſed ſecundum Authorem inſtantiæ diſgregare convenit eſſentialiter albedini, nivi, vt propria paſſio, & homini accidentaliter: ergo ſtare poteſt, quod aliqua conveniant vnivocatione diſtincta, & perfecta in aliquo prædicato communi, & quod

illud

illud prędicatum sit de essentia vnius, quin sit de essentia alterius, quod est contra prædictum Doctorem. Syllogismus est perfectissimus. Respondeat ipse, & erit nostra solutio. *Respond. 3.* Respondeo tertiò, vt *num.* 40. dictum est, respondendo ad similem Mastrij paritatem.

108 *Ad 3. respond.* Ad tertium respondeo primò sicut in *num.* 101. Respondeo secundò, vt in *num.* 107. Vltra quod dico: Sapientiã Deo convenire, vt attributũ; homini vero, vt accidens, est; quia homo caret infinitate, qua Deus gaudet, & ratione cuius identificat secum omne composibile haberi in aliquo vno, ne detur phisica compositio, & ratio actus puri, & summæ simplicitatis destruartur.

109 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: planta, brutum, & homo, conveniunt in esse vegetativo; sed esse vegetativum est constitutivum plantæ, non vero bruti, nec hominis: ergo quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato cõmuni, potest prædicatum esse de essentia vnius, quin sit de essentia alterius. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: planta, brutum, & homo conveniunt in esse vegetativo secundum se, & vt est quid commune, vel generícum, concedo maiorem; vt contractũ ad esse specificum, nego maiorem, distinguo similitèr minorem quoad vtramque partem, & nego cõsequentiam. Ex quo retorqueo argumentum, vt in *num.* 20. 21. 22. 104. & 107. Vltra quod sic: planta, brutũ, & homo conveniunt in esse vegetativo: ergo esse vegetativum non est constitutivum alicuius. Hæc consequentia patet vniversalitèr in omni prædicato communi, & in regulis logicalibus, docentibus conditiones ad hoc, vt aliquid sit constitutivum.

§. IX.

Solvuntur varia argumenta contra conclusionem.

110 *Arguit. 1.* ARguitur primò: Deitas in ratione essentiæ est essentialitèr summè immaterialis: ergo prædicatum, ratione cuius est ita immaterialis, est quidditativum; atqui est ita immaterialis ab existentia: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei. Probatur minor: esse ita immaterialis, idem est, ac esse actum purum, obiectivam materialitatem excludentem; sed ita esse actum purum, est ab existentia: ergo est ita immaterialis ab existentia. Probatur minor: potentialitas excluditur per actum formalitèr sibi oppositum, v. g. potentialitas ad albedinem, per ipsam albedinem, ad intelligendum, per intellectionem, & sic de alijs; sed potentialitas obiectiva consistit in potentia ad existendum: ergo ita esse actum purum, est ab existentia.

111 *Respondeo.* Respondeo distinguendo vltimam minorem: potentialitas obiectiva formalis consistit in potentia ad existendum, concedo minorem; radicalis, nego minorem, & consequentiam; hanc enim excludit essentiæ actualitas, quia, vt essentia Divina sit in linea essentiæ actus purus, sufficit, vt radicalitèr potentialitatem omnem, etiam obiectivam, excludat, radicando existentiam, ratione cuius formalitèr excludat potentialitatem obiectivam. Probatur hoc paritate: vt enim Deus sit actus purus in linea intellectuali, sufficit, quod radicet actualem intellectionem, & quod radicalitèr excludat potentiam ad intellectionẽ, licèt formalitèr non per se, sed per intellectionem, prædictam excludat potentiam: ergo paritèr.

Aliter respondetur. Melius respondetur distinguendo maiorem: potentialitas excluditur formalitèr per actum formalitèr sibi oppositum, concedo maiorem; excluditur absolutè, nego maiorem. Hoc patet in Deo respectu intellectionis, & cuiuscumque attributi, sivè modi. Distinguo minorem: sed potentialitas obiectiva consistit in potentia dicente habitudinem dependentiæ ad efficiens, fundatam in contingentia ad essendum, concedo minorem; non dicente talem habitudinem, nego minorem, & consequentiam. Hoc patet contra omnes in ipsa existentia: nam secundum omnes necessitas in existendo est modus existentiæ: ergo pro priori ad illum modum, Deus non excludit contingentiam. Negabunt certè consequentiam. Sic & nos suprà posítam.

112 *Dices.* Dices: essentia Divina de se non includit formalitèr existentiam: ergo includit formalitèr potentiam obiectivam. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam: datur enim hoc medium, scilicèt, includere radicalitèr existentiam, & excludere radicalitèr potentiam obiectivam, vt claret, in Deo

res-

respectu sapientiæ, & ignorantiæ, bonitatis, & malitiæ, & sic de alij. Item: in omni prædicato communi respectu differentiarum. Item: natura creata de se non est singularis formalitèr: ergo est vniversalis formalitèr, mala consequentia. Sic & illa propter eandem rationem.

113 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: essentia ipsa de se non excludens formalitèr potentialitatem obiectivam, potest concipi sub conceptu essentiæ, vt potentialis obiectivè: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei. Probatur antecedens primò: quod potest concipi, vt non existens, potest concipi, vt potentiale obiectivè; sed essentia Divina formalitèr non excludens potentialitatem obiectivam, potest concipi, vt non existens: ergo. *Secundò.* Probatur secundo: essentia non excludens formalitèr potentialitatem obiectivam, potest concipi, vt indifferens ad existendum, & non existendum; sed in hoc consistit potentialitas obiectiva: ergo essentia ipsa de se non excludens formalitèr potentialitatem obiectivam, potest concipi sub conceptu essentiæ, vt potentialis obiectivè. Probatur maior: sola formalitas existentiæ tollit indifferentiã ad esse, & non esse. Item: quia ens non includit formalitèr modos essendi per se, & in alio, est indifferens ex suo conceptu ad quodlibet: ergo essentia non excludens formalitèr potentialitatem obiectivam, potest concipi vt indifferens ad existendum, & non existendum.

114 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens: *Ad 1. prob. anteced.* ad primam probationem distinguo maiorem: quod potest concipi, vt non existens præcisivè tantum, & per meram non explicationem existentiæ, quia illud instans non est instans existentiæ, nego maiorem; quod potest concipi, vt non existens, non solum præcisivè, sed cum capacitate ad existere, & non existere, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Sicut enim intellectus Divinus non dicitur potentialis subiectivè, ex eo, quod potest concipi sine intelectione, ob rationem datam; benè verò intellectus creatus, ob eandem rationem; sic de obiectiva potentialitate.

Ad 2. Ad secundam probationem nego maiorem cum probatione: nam indifferentia ad esse, & non esse, non solum tollitur per existentiam formalem; verum & per exigentiam essentialem illius. Hanc habet essentia Divina, pro priori ad existentiam; quare indifferens ad existendum nullatenus est. Nec valet paritas de ente; quia ens de se non dicit exigentiam ad aliquem ex illis modis, in quo stat clara disparitas. Imo hoc argumentum, quo maximè fidunt adversari, magna cum claritate.

115 *Retorq. 1. argum.* Retorqueo primò: ex eo, quod Deus concipiatur merè præcisivè sine existentia, non sequitur, quod Deus sit in potentia obiectiva: ergo ruit argumentum. Probatur antecedens: ex eo, quod res existens concipiatur merè præcisivè sine existentia, non sequitur, quod res illa sit in potentia obiectiva, alioquim non esset existens: ergo ex eo, quod Deus concipiatur merè præcisivè sine existentia, non sequitur, quod Deus sit in potentia obiectiva. Consequentia claret: nam Deus est semper existens.

116 *Secundò.* Retorqueo secundò: potentia obiectiva est habitudo dependentiæ ad efficiens, fundata in contingentia essendi; sed etsi existentia non sit de essentia Dei, Deus non diceret talem habitudinem: ergo ex eo, quod Deus concipiatur merè præcisivè sine existentia, non sequitur, quod Deus sit in potentia obiectiva. Et ex hac retorsione respondeatur ad argumenta ex hoc capite. Tertiò retorqueo paritate potētiæ subiectivæ ex dictis *num.* 114.

117 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: essentia sub conceptu essentiæ dicit esse à se, phisicè, & methaphisicè: ergo dicit repugnantiam ad essendum intra causam phisicam, & methaphisicam; sed potentialitas obiectiva est status rei intra causas: ergo essentia in suo formalissimo conceptu dicit exclusionem potentialitatis obiectivæ. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: essentia sub conceptu essentiæ dicit esse à se, nominalitèr, & in essendo, concedo antecedens; participaliter, vel in existendo, nego antecedens, & distinguo consequens: ergo dicit repugnantiam ad essendum intra causam radicalitèr, concedo consequentiam; formalitèr, nego consequentiam; nam hæc repugnantia solum per existentiam importatur.

118 Arguitur quartò: quod existen-

tia

Arguit. 4. tia in creatura sit modus distinctus ab essentia, provenit ratione limitationis: ergo in Deo non est ita. Reſpondeo negando antecedens: quia provenit ex ratione formali existentiæ; sicut, quod risibilitas sit proprietas hominis, provenit ex ratione formali risibilitatis.

Reſpondeo.

Dices. Dices: indigere complemento ad existendum, est limitatio in essentia; nam nascitur ex incompletione, quæ arguit limitationem; sed existentia est complementum essendi: ergo si essentia non includit formaliter existentiam, indiget illa ad existendum: ergo est limitata, quod nequit dici.

Reſpondeo. Reſpondeo distinguendo maiorem: indigere complemento per dependentiam ab alio dante, concedo maiorem; sine tali dependentia, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similiter consequens. Imò

Instò argument. instò argumentum: quod essentia intellectiva indigeat pro complemento intellectione, ab ipsa formaliter distincta, non nascitur ex limitatione essentiæ Divinæ, sed ex natura rerū, hoc postullante: similiter ergo: quod essentia Divina indigeat complemento ad existendum, non nascitur ex limitatione essentiæ Divinæ, sed ex natura rerum, hoc postullante.

119 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: si essentia Dei formaliter in suo conceptu non diceret existentiam, excederetur ab existentia in perfectione; sed hoc est falsum: ergo essentia Dei formaliter in suo conceptu dicit existentiam. Probatur maior: quod excedit in actualitate, excedit in perfectione; nam actualitas est perfectio; sed excederet essentiam in actualitate; cum essentia actuetur per ipsam, ipsaque à nullo: ergo si essentia Dei formaliter in suo conceptu non diceret existentiā, excederetur ab existentia in perfectione.

Reſpondeo. Reſpondeo negando antecedens: ad probationem distinguo maiorem: quod excedit in actualitate simpliciter, & essentialiter, excedit in perfectione, concedo maiorem; in actualitate secundum quid, & modale, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Imò argumentum probat: modos intrinsecos, passiones, accidentia, & relationes, esse perfectiores essentia, quod est falsum. Item: operationes esse perfectiores substantijs, quod falsum est etiam. Ex his omnibus retorquatur argumentum.

120 *Dices 1.* Dices primò: quod operatio excedatur simpliciter à substantia, est, quia operatio est accidens; sed existentia est substantialis: ergo cum sit actualior essentia, ipsam simpliciter excedit.

Reſpondeo. Reſpondeo distinguendo minorem: sed existentia est substantialis in linea modali, concedo minorem; in linea essentiæ, nego minorem; & consequentiam; nam quod in operatione provenit ex ratione accidentis, provenit in existentia ratione modi.

121 *Dices 2.* Dices secundò: modus vnionis hypostaticæ, quia est supernaturalis, & substantialis, est simpliciter perfectior humanitate, quæ est substantialis, & non modalis: ergo similiter: quia existentia est actualior essentia, & substantialis, erit simpliciter perfectior ipsa essentia, seu ipsam essentiam simpliciter in perfectione excedet.

Reſpondeo. Reſpondeo distinguendo antecedens: modus vnionis hypostaticæ, quia est supernaturalis, & substantialis precisè, est simpliciter perfectior humanitate, nego antecedens; & quia coniungit humanitatem cum Deo, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Explicatur Explico distinctionem: illa vnio ratione termini, scilicèt, ratione coniunctionis humanitatis cum Deo est humanitate simpliciter perfectior; non verò ratione sui, quia ex se est relatio.

122 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: vita intellectualis est prædicatum quidditativum Dei: ergo & existentia. Probatur consequentia: vita intellectualis supponit existentiam: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei.

Reſpondeo. Reſpondeo distinguendo antecedens: vita intellectualis in actu secundo, vel primo proximo, & formali, est prædicatum quidditativum Dei, nego antecedens; in actu primo remoto, & radicali, concedo antecedens. Ideſt, vita intellectualis, quæ est operatio, vel potentia proxima operandi, nego antecedens, quia ex Scoto datur in Deo intellectus per modum actus primi, formaliter distinctus ab essentia; vita intellectualis, quæ est ipsa substantia intellectualis, radix intellectus, & intellectionis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Distinguo similiter probationem; & instò argumentum in vita intellectuali hominis,

Instatur argumentum.

&

& Angeli, respectu quorum etiam est prædicatum quidditativum.

123 *Arguit. 7.* Arguitur septimò: omne prædicatũ Deo, & creaturis conveniens, diverso modo in Deo, & creaturis reperitur; sed in creaturis reperitur existentia vt modus: ergo existentia est prædicatum quidditativum Dei. *Respond. 1.* Respondeo negando consequentiã; quia diversitas existentiæ Dei, & creaturæ salvatur, primo: per hoc, quod in Deo sit à se; in creatura vero ab alio. Secundò: quod existentia saltim in radice, vel fundamento, est Deo essentialis; non vero creaturæ, quia ab extrinseco advenit, scilicèt, à Deo, existentiam producente. *Secundò.* Alitèr distinguo maiorem: diverso modo reperitur ratione contractorum, concedo maiorem; rationi sui, vel illius, in quo conveniunt, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

124 *Retorq. 1.* Retorqueo denique argumentum: omne prædicatum Deo, & creaturis conveniens, diverso modo in Deo, & creaturis reperitur; sed vnitas, veritas, &c. inveniuntur in creatura, vt passiones, vel modi: ergo in Deo, vt prædicata quidditativa. *Secundò.* Vlteriùs: omne prædicatum Deo, & creaturis conveniens, diverso modo in Deo, & creaturis reperitur; sed ens, substantia, &c. reperiuntur in creatura, vt prædicata quidditativa: ergo in Deo strictiori modo reperiuntur, quod est falsum; quare potest negari maior argumenti suprà facti.

)(o)(

QUÆSTIO TERTIA.

An singularitas sit prædicatum quidditativum Dei?

§. I.

Statuitur conclusio, & probatur.

Num. 1 *Sententia affirmativa. Pontius. Smising. Herinx. Thomistæ.* PArtem affirmativam potiùs, quam probent, supponunt Thomistæ. Eam probant Pontius, Smising, Herinx in præsenti, cæterique, quos viderim Scotistæ, ex quibus quidam Subtilissimus Scotista, origo certè sapientiæ, à quo, vt à fonte copiosa fundamenta Theologiæ potavi, in suo tractatu manu scripto hanc difficultatem ingeniosissimè disputat, eamque pro affirmativa resolvit. Profunditatem miror, Magistrum venero; sed venia illius, sententiæ negativæ adhæreo, quia Scoto conformior, & ratione efficatior. Sic ex Scotistis Lichetus tantum *in 1. dist. 8. quæst. 3.* Sed pro mille sufficit. Sit ergo.

Sententia negativa. Lychetus.

2 *Conclusio.* Conclusio: *Singularitas non est prædicatum quidditativum Dei.* Sic Scotus, ex ipsoque probatur primò: nam *in 1. dist. 8. quæst. 3. §. Sed si arguas numer. 29.* ait: *Vt quasi per priùs intelligatur aliquomodo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc*: ergo priùs Deo convenit infinitas, quam singularitas; atqui infinitas est modus intrinsecus Dei: ergo singularitas non est de quidditate Dei. Consequentia patet: nihil enim, quod convenit rei posterius modo intrinseco, est de quidditate illius, cum ante omnem modum supponatur res quidditativè constitutra.

Probat. 1. ex Scoto.

3 *Respondent Pontius. Smising. Herinx.* Ad hunc Scoti textum respondent Pontius, Smising, Herinx, cum quibus Scotista prædictus: Scotum loqui de singularitate dicta de conceptu, quem nos de Deo concipimus, non verò de singularitate, dicta de Deo, vt ab ipso, & Beatis videtur. Alijs etiam terminis respondent: Scotum loqui secundum imperfectum nostrum modum concipiendi, quia priùs concipimus in Deo id, quo à creaturis differt, quam id, ratione cuius convenit. Hoc est singularitas; illud vero infinitas. Diversi-

tas est in terminis; in re autem eadem solutio est.

4 *Reijcitur* 1

Hæc tamen Scotistarum solutio, quæ frequens est apud ipsos, reijcitur primò: singularitas dicta de conceptu, quem nos de Deo concipimus, subsequitur infinitatem: ergo singularitas dicta de conceptu, quem nos de Deo concipimus, est à priori demonstrabilis: ergo etiam dicta de Deo, vt ab ipso, & beatis videtur, est à priori demonstrabilis, & consequentèr non est prædicatum quidditativũ Dei. Antecedens cum prima consequentia est ipsa allata solutio. Secunda probatur: si singularitas dicta de Deo, vt ab ipso, & Beatis videtur, non esset à priori demonstrabilis, esset indemonstrabilis à priori; sed repugnat, esse sic indemonstrabilem, semel concesso, quod à priori demonstretur de conceptu, quem nos de Deo concipimus: ergo dicta de Deo, vt ab ipso, & Beatis videtur, est à priori demonstrabilis. Probatur minor: implicat, quod medium demonstrationis à priori in quocumque subiecto sit de aliquo conceptu eiusdem à priori demonstratum; sed singularitas est à priori demonstrata de conceptu, quẽ de Deo concipimus per vos: ergo repugnat, esse indemonstrabilis à priori singularitas dicta de Deo, vt ab ipso, & Beatis videtur, semel concesso, quod à priori demonstretur de conceptu, quem nos de Deo concipimus.

5 *Explicatur*

Explicatur hoc: nam quia animal rationale est de homine à priori indemonstrabile, de quocumque conceptu illius est sic indemonstrabile; & è contra: quia risibilitas est à priori demonstrabilis de hoc conceptu hominis, scilicèt, flevilitate, est etiam sic de homine demonstrabilis: similitèr ergo: si singularitas est de Deo à priori indemonstrabilis, de quocumque conceptu illius est sic indemonstrabilis; & è contra: si est à priori demonstrabilis de conceptu, quem de Deo concipimus, repugnat, quod de aliquo conceptu Dei sit à priori indemonstrabilis.

6 *Reijcitur* 2

Reijcitur secundò: singularitas dicta de Deo, vt à nobis concipitur, non est prædicatum quidditativum Dei: ergo nec vt à Deo, & Beatis videtur. Probatur consequentia: eo modo, quo nos concipimus singularitatem de Deo, concipimus, à Deo, & Beatis videri; sed singularitas dicta de Deo, vt à nobis concipitur, non est prædicatum quidditativum Dei: ergo nec vt à Deo, & Beatis videtur. Minor, & consequentia tenent. Maior autem constat. Primò: quia non alia ratione dicimus, hæc potiùs, quam alia prædicata, esse in Deo, ab ipsoque, & à Beatis videri, vt attributa, modos, vel quidditativa, nisi, quia sic concipimus. *Maior cõstat.* *Primò.*

Constat secundò: nam D. Thomas, Scotus, cæterique Doctores, vt ipsi conceperunt, ordinem prædestinationis, gratiæ, & aliorum in Deo posuerunt, sitque esse in Deo, & ab ipso sic videri, dixerunt. Tertiò: vt ipsi conceperunt, in omni Theologia locuti fuere, & sic à Deo, & Beatis videri, vnusquisque sensit. Quartò: quia nequit alio modo à nobis affirmari, nisi per fidem, revelationem, vel claram ostensionem oppositum constet. 7 *Secundò.* *Tertiò.* *Quarto.*

Reijcitur tertiò: hæc expositio spontanea, & sine fundamento est: ergo nulla. Probatur antecedens primò: Scotus loquitur de singularitate, prout à Beatis videtur; hæc enim sunt verba illius: *Esse autem convenit essentiæ, vt hæc, quomodo videtur à Beatis*: ergo expositio illa spontanea est, & sine fundamento. Probatur secundò: Scotus ibi loquitur de singularitate, vt convenit Deo; non vero, vt à nobis concipitur; ait enim: *Ens autẽ, vt convenit Deo*, scilicèt, ens per essentiam, est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantum convenit ipsum esse, & ideò ex se est hoc, & ex se infinitum, *vt quasi per prius intelligatur aliquomodo infinitas esse modus entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc*: ergo loquitur Scotus de singularitate, vt convenit Deo; non vero vt à nobis concipitur: ergo prædicta expositio sine fundamento est, & voluntaria. 8 *Reijcitur.* 3 *Antecedens probat.* 1. *Secundò.*

Reijcitur quartò: Scotus loquitur iuxtà nostrum modum concipiendi, vt vos asseritis: ergo iuxtà nostrum modum concipiendi singularitas non est prædicatum quidditativum Dei. Patet consequentia: nam si iuxtà nostrum modum concipiendi priùs intelligitur infinitas, vt modus intrinsecus Dei, quam singularitas, optimè infertur, quòd iuxtà nostrum modũ concipiendi singularitas non sit præ- 9 *Reijcitur* 4

di-

dicatum quidditativum Dei, vtpotè, modum subsequens. Sumo: atqui hic nos quærimus de prædicatis quidditativis Dei iuxtà nostrum modum concipiendi: ergo dicere cogimur, singularitatē non esse tale prædicatū.

10 *Probat. 2. conclus. ex Scoto.*

Probatur secundò conclusio ex Scoto *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 2. §. *Secundò principaliter*, &. *Quoad secundum*, dicente: *Deitas habet vltimam vnitatem de se*: ergo sicut Deitas est de se singularis, ita est de se vna; atqui ita est vna, quod vnitas non sit de quidditate Dei: ergo nec singularitas. Item Scotus *in* 1. *dist.* 8. *citat.* ait: *Ens per essentiam de se est hoc, & ex se est infinitum*: ergo sicut Deus est ex se singularis, ita est ex se infinitus; atqui infinitas non est prædicatum quidditativum Dei: ergo nec singularitas.

11 *Probat. 3. ex eodem.*

Probatur tertiò: singularitas non est de quidditate creaturæ iuxtà omnes Scotistas ex Scoto *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. §. *Ad quæst.* Et *quæst.* 7. §. *Qui dicunt*: ergo nec est de quidditate Dei. Probatur consequentia: Deus, & creatura conveniunt, saltim confusè, in singularitate; de vtroque enim prædicatur singularitas: ergo si singularitas non est de quidditate creaturæ, nec est de quidditate Dei. Probatur consequentiá ratione illa generali: quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si prædicatum non est de quidditate vnius, nec etiam est de quidditate alterius; sed Deus, & creatura conveniunt, saltim confusè, in singularitate: ergo si non est de quidditate creaturæ, nec est de quidditate Dei. Responsiones vero, quæ ad hanc rationem adduci possunt, iam sunt latissimè solutæ, impugnatæ, & retorsæ *quæst.* 2. *à num.* 20. *vsquè ad* 34.

12 *Probat. 4.*

Probatur quartò: ideò singularitas non est de quidditate creaturæ, quia tota quidditas creaturæ potest concipi absquè singularitate; sed tota quidditas Dei concipi potest absquè singularitate: ergo singularitas non est prædicatum quidditativum Dei. Probatur minor: potest Deus concipi essentialitèr distinctus ab alio, quin vt singularis concipiatur: ergo tota quidditas Dei concipi potest, absque singularitate.

13 *Respondet Scotista.*

Respondet Scotista prædictus, cum Pontio, & Herinx, negando minorem, & antecedens probationis; quia si Deus potest concipi essentialitèr distinctus ab alio, quin vt singularis concipiatur, iam Deus non distingueretur ab alio Deo conceptibili; quia non implicat concipere alium Deū, si singularitas non est de se essentia Dei.

14 *Contra* 1.

Contra primò: Deus absquè singularitate conceptus, conciperetur essentialitèr distinctus à quocumque non Deo, etsi non distinctus ab alio Deo conceptibili: ergo conciperetur absquè singularitate cum tota eius quidditate. Probatur consequentia: vt homo (idem de quacumque re) cum tota eius quidditate concipiatur, sufficit, illum concipere, vt essentialitèr distinctum à quocumque non homine, etsi non distinctum ab alio homine; sed per te Deus absquè singularitate conceptus, conciperetur essentialitèr distinctus à quocumque non Deo, etsi non distinctus ab alio Deo conceptibili: ergo conciperetur absquè singularitate cum tota eius quidditate.

15 *Contra* 2.

Contra secundò: Deus absque singularitate conceptus, conciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Deus conceptus cum prædicato radicante infinitatem intellectus, voluntatis, bonitatis, potentiæ, infinitatis formalis, & necessitatis essendi, cōcipitur cū repugnantia alterius Dei; sed hoc prædicatum radicans non est singularitas: ergo Deus absquè singularitate conceptus, concipitur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili. Maior patet: nam infinitas radicalis intellectus, voluntatis, bonitatis, potentiæ, infinitatis formalis, & necessitatis essendi, sunt rationes demonstrantes repugnantiam alterius Dei, ex Scoto, qui *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. sex prædictis vijs demonstravit, Deum esse vnum. Minor claret; alioquim singularitas esset vltimò Dei constitutiva, quod negant omnes. Consequentia infertur: nam Deus conceptus cum repugnantia alterius Dei, concipitur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili.

16 *Contra* 3.

Contra tertiò: Deus absquè singularitate conceptus, conciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili: ergo ruit solutio: Probatur antecedens: Deus conceptus, vt radicalitèr singularis, conciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili; sed

Deus sic conceptus, concipitur absq; singularitate formali: ergo Deus absquè singularitate conceptus, concipitur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili. Minor claret: nam Deus conceptus, vt radicalitèr infinitus, concipitur absquè infinitate formali. Maior probatur: Deus sic conceptus, concipitur cum repugnantia ad dividi, & plurificari: ergo Deus conceptus, vt radicalitèr singularis, conciperetur, vt distinctus ab alio Deo cõceptibili. Consequentia patet ex *num. anteced.* Antecedens probatur: Deus sic conceptus, non est terminus communis; sed hic tantum potest dividi, & plurificari, vt dicitur in summulis: ergo Deus sic conceptus, conciperetur cum repugnantia ad dividi, & plurificari.

17 *Contra 4.*

Contra quartò: licèt singularitas non esset de quidditate Dei, Deus cõciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ideò posita singularitate, vt prædicato Dei quidditativo, Deus conciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili, quia conciperetur cum essentiali repugnantia ad dividi, & plurificari; sed ita strictè conciperetur cum tali repugnantia, licèt singularitas non sit de quidditate Dei: ergo licèt singularitas non esset de quidditate Dei, Deus conciperetur, vt distinctus ab alio Deo conceptibili. Probatur minor: posita singularitate, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus conciperetur cum essentiali repugnantia ad dividi, & plurificari: ergo ita strictè conciperetur cum tali repugnantia, licèt singularitas non sit de quidditate Dei.

18 *Antecedens prob. 1.*

Probatur antecedens primò: posita singularitate, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, essentia Divina essentialitèr exigit singularitatem; sed cum hac essentiali exigentia, essentialitèr repugnat essentiam Divinam dividi, & plurificari: ergo posita singularitate, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus conciperetur cum essentiali repugnantia ad dividi, & plurificari. Probatur minor: ideò non repugnat essentialitèr naturam creatam dividi, & plurificari, quia essentialitèr non exigit singularitatem; est enim ex se indifferens: ergo cum hac essentiali exigentia essentialitèr repugnat, essentiam Divinam dividi, & plurificari.

19 *Secundò.*

Probatur secundò antecedens suprà positum pluribus paritatibus. *Prima.* Prima: posita vnitate, vt modo, vel attributo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus concipitur cum essentiali repugnantia ad pluritatem Deorum: ergo similitèr. *Secunda.* Secunda: posita infinitate, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus concipitur cum essentiali repugnantia finitatis: ergo similitèr. *Tertia.* Tertia: posita subsistentia absoluta, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus concipitur cum essentiali repugnantia ad indigentiam alterius, vt existat: ergo idem, quod prius. *Quarta.* Quarta: positis Paternitate, Filiatione, & spiratione passiva, vt modis essentialitèr exactis ab essentia Divina, Deus concipitur cum essentiali repugnantia alterius Patris, alterius Filij, alteriusquè Spiritus Sancti: ergo posita singularitate, vt modo essentialitèr exacto ab essentia Divina, Deus concipitur cum essentiali repugnantia ad dividi, & plurificari. Aliæ paritates fomentur de attributis, & modis Dei, hac formalitate servata.

20 *Probat. 5. concluſ.*

Probatur quintò conclusio: etsi singularitas non sit de quidditate Dei, stat sufficiens distinctio inter naturam Divinam, & creatam: ergo singularitas non est prædicatum Dei quidditativum. Probatur antecedens: etsi singularitas non sit de quidditate Dei, natura Divina exigit essentialitèr singularitatem; sed natura creata non exigit; alioquim non esset de se indifferens contra Scotum *in 2. dist. 3. quæst. 2.* & omnes Scotistas: ergo etsi singularitas non sit de quidditate Dei, stat distinctio sufficiens inter naturam Divinam, & humanam.

21 *Confirmat.*

Confirmatur: præcisa singularitate formali, natura Divina sufficientèr distinguitur à natura creata: ergo etsi singularitas non sit de essentia Dei, stat sufficiens distinctio inter naturam Divinam, & creatam. Probatur antecedens: præcisa singularitate formali, natura Divina est radicalitèr de se hæc, implurificabilis, & singularis; sed hoc non habet natura creata: ergo præcisa singularitate formali, natura Divina sufficientèr distinguitur à natura creata. Minor de-

bet

bet ab omnibus concedi, quia in præsenti potiùs, vt supposita, quam vt probanda manet; claretque paritatibus de vnitate formali, infinitate, æternitate, &c. quæ terminis seruatis facillimè effarmari possunt.

22 *Probatur minor.* Minor autem probatur: si natura creata esset radicalitèr de se hæc, implurificabilis, & singularis, ei repugnaret potentia ad oppositum, scilicèt, ad esse vniversalem; ad divivi, & plurificari; sed hoc est plusquam falsum; ergo natura creata non est radicalitèr de se hæc, implurificabilis, & singularis. Totus syllogismus videtur certus, & constat; nam maior patet in quocumq; prædicato radicante aliud. *Exemplum* Sit exemplum, vt ex hoc in infinitis clarescat: quia natura humana est de se radicalitèr risibilis, ei repugnat potentia ad oppositum, scilicèt, ad hinibilitatem: ergo si natura creata esset de se hæc radicalitèr, implurificabilis, & singularis, ei repugnaret potentia ad oppositum, scilicet, ad esse vniversalem, ad dividi, & plurificari. Minor est apud omnes certa cũ Scoto *in 2. citat.* dicente: *Natura humana secundum se sumpta, nec est vniversalis, nec particularis de se, licèt enim non possit esse sine aliquo istorum, tamen de se non est aliquid istorum, sed est prior naturalitèr omnibus istis.* Consequentia optimè infertur.

23 *Probat. 6. concluſ.* Probatur sextò conclusio: ita natura Divina est de se hæc, ac natura creata est de se communis; sed ista ita est de se communis, quod præcisa vnitate, tantum est radicalitèr communis: ergo natura Divina ita est de se hæc, quod singularitate præcisa, tantum sit radicalitèr singularis. Maior est certa, & à contrarijs admissa. Minor constat: nam vnitas est forma constituens naturam formalitèr communem. Consequentia infertur: quia sicut vnitas constituit naturam communem, ita singularitas, singularem.

24 *Probat. 7. concluſ.* Probatur septimò conclusio: natura Divina ita est de se communicabilis personalitèr, ac incommunicabilis individualitèr; sed licèt de se sit communicabilis personalitèr, talis communicabilitas non est de eius quidditate: ergo nec incommunicabilitas individualis: ergo nec singularitas. Maior colligitur ex Sboto *in 1. dist. 4. quæst. 2. litt. B. num. 3.* Minor claret ex Methaphisica, vbi dicitur, quod communicabilitas, sicut vnitas, est passio naturæ. Consequentia infertur.

25 *Probat. 8.* Probatur octavò conclusio: priùs est ex terminis, naturam esse, quam esse singularem: ergo priùs est ex terminis, naturam esse constitutã essentialitèr in esse naturæ, quam esse singularẽ: ergo priùs est ex terminis, naturam Divinam esse essentialitèr cõstitutam in esse naturæ, quam esse formalitèr singularem: ergo singularitas formalis non est de quidditate naturę Divinæ. Probatur hæc consequentia: nihil, quod ex terminis subsequitur naturam essentialitèr in esse naturæ constitutam, est de quidditate illius, vt ex ipsis terminis claret; sed per te ex terminis singularitas subsequitur naturam Divinam essentialitèr in esse naturæ constitutam: ergo singularitas formalis non est de quidditate naturæ Divinæ.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

OBijcies primò ex prædicto Scotista, & Smising. Scotum *quod. lib. 1. artic. 1. ab initio*, dicentem: *In Divinis oportet ponere aliquam entitatem realem in existentia actuali, & aliquam vnicam primam in comparatione, ad quam tanquam ad simplicitèr primum conſideretur omnis ordo quorumcumque, quæ in Divinis sunt*: ergo essentia Dei, vt vnica, prima, & singularis, est; quæ primo datur in Deo, & ad quam omnia reducuntur: ergo singularitas competit primo Deo: ergo singularitas est prædicatum Dei quidditativũ.

26 *Arguit. 1. Scotiſta.*

Respondeo primò: argumentum probare, singularitatem esse prædicatum methaphisicè vltimo Dei constitutivum, vt ex ipso claret, & prædicti Scotistæ cum omnibus negant; quare ipsi solvere tenentur. Respondeo secundò: Scotum affirmare quod oportet ponere in Deo aliquam entitatem realem constitutivam Dei: non vero, quod singularitas sit formalitèr ipsa quidditas. Respondeo tertiò: Scotum *citat.* inquirere: *An essentialia sint Deo immediatiora notionalibus*? Et ad responsionem affirmativam stabiliendã adducit verba argumenti; non vero per ipsa determinat, quod singularitas sit de quidditate Dei, ex qua responsione distingui potest ad mentem

27 *Respond. 1.*

Secundò.

Tertiò.

Scoti primũ consequens argumenti.

28 *Arguit.* 2. Obijcies secundo ex eodem Scotista: natura, quæ de se est hæc, ex sua ratione formali est singularis; sed natura Dei est de se hæc: ergo natura Dei ex sua ratione formali est singularis: ergo singularitas est prædicatũ quidditativum naturæ Dei. Minor est Scoti *in* 1. *dist.* 4. *quæst.* 2. *num.* 3. *lit. B.* Maior vero probatur: natura, quæ non per aliquid distinctum ab ipsa, est singularis, ex ratione sua formali est singularis; sed natura, quæ de se est hæc, non est per aliquid distinctum ab ipsa singularis: ergo natura, quæ de se est hæc, ex sua ratione formali est singularis. *Confirmat.* Confirmatur ab ipso: ideo natura creata non est ex ratione sua formali singularis, quia non est de se hæc: ergo natura Dei, quæ est de se hæc, ex ratione sua formali est singularis.

29 *Respond.* 1. Respondeo primò ad argumentum distinguendo maiorem: natura, quæ de se est hæc formalitèr, ex sua ratione formali est singularis, concedo maiorem; quæ de se est hæc radicalitèr, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris similitèr, distinguo totum syllogismum. Nec contra hoc stat Scotus *citat.* quia solum vult, quod natura Divina sit de se hæc radicalitèr, non vero formalitèr; vel vt ait Lychetus, tantum intendit, quod singularitas sit ita intrinseca naturæ Divinæ, vt à semetipsa & *Ad cõfirm.* non ab alio sibi conveniat. Ad confirmationem, nego antecedens, ob dicta *num.* 12. 20. & 25.

30 *Respond.* 2. Respondeo secundò retorquendo argumentum: natura, quæ de se est vna, & communicabilis personalitèr, ex sua ratione formali est vna, & communicabilis personalitèr; sed natura Divina est de se vna, & communicabilis personalitèr: ergo natura Divina ex sua ratione formali est vna, & personalitèr communicabilis. Maior probatur eodem modo, quo suam probat Scotista prædictus. Minor est Scoti *citat. num.* 10. & 24. Consequentia est sicut sua. Atqui hæc consequentia est mala: ergo & sua. Respondeat ipse, & ad suum argumentum pro nobis respondebit. Idem fac argumentum de infinitate, vt in *num.* 10.

31 *Arguit.* 3. Obijcies tertiò ex eodem: esse singulare formalissimè, est fundare repugnantiam ad dividi in plura individua; sed natura Divina fundat hanc repugnantiam ex ratione sua formali: ergo ex ratione sua formali est singularis: ergo singularitas est prædicatum quidditativum Dei. Minor probatur: natura, quæ ex ratione sua formali est vnica, & sola, ex ratione sua formali repugnat dividi in plura individua; sed natura Dei ex sua ratione formali est vnica, & sola, ita vt repugnent plures Dij, quod omnes Catholici fatentur: ergo natura Divina fundat repugnantiam ad dividi in plura individua ex ratione sua formali. *Confirmat.* Confirmatur: natura Dei ex sua ratione formali negat alium Deum similem in natura: ergo ex sua ratione formali est singularis: ergo singularitas est prædicatum quidditativũ Dei.

32 *Respond.* 1. Respondeo primò ad argumentum negando maiorem, quam non probat Scotista *citat.* & qua negata ruit argumentum. Ratio est: quia esse formalissimè singulare, est habere singularitatem, quæ est ratio constitutiva singularis; non autem fundare repugnantiam ad dividi; sicut esse formalissimè risibilem est habere risibilitatem; non verò fundare repugnantiam ad hinibilitatem; hoc enim convenit homini per rationalitatem. Idẽ exemplum est de quocumque attributo, & modo Dei. Cæterum, quia Scotista *citat.* aliam pro nobis responsionem assignat, ipsamque impugnat, sicut ipse, vt suam impugnationem refellam.

33 *Respond.* 2. Respondeo secundò negando minorem, ad probationem distinguo maiorem: natura, quæ ex sua ratione formali est vnica, & sola formalitèr, repugnat dividi in plura individua concedo maiorem; vnica, & sola radicalitèr nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & consequens. *Ad cõfirm.* Ad confirmationem distinguo similitèr antecedens; ex quo retorqueo argumentum, & confirmationem ex dictis *num.* 30.

34 *Dices.* Dices primò cum Scotista *citat.* essentia Dei non est de se radicalitèr singularis: ergo de se est formalitèr singularis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: essentia Dei nequit esse radix singularitatis: ergo essentia Dei non est de se radicalitèr singularis. Probatur antecedens: nullus conceptus communis est radix conceptus

par-

particularis; sed essentia Dei, præcisa singularitate, est conceptus communis: ergo essentia Dei nequit esse radix singularitatis. Probatur maior: radix adæquatur cum formalitate radicata; sed nullus conceptus communis adæquatur cum particulari: ergo nullus conceptus communis est radix conceptus particularis.

35 *Respondeo.* Respondeo negando vtrumque antecedens, & distinguendo maiorē: nullus conceptus communis, formaliter vt communis, est radix particularis, concedo maiorem; conceptus communis, radicaliter verò particularis, nego maiorem; distinguo minorem: essentia Dei, præcisa singularitate, est conceptus communis, & radicaliter particularis, concedo minorem; & non particularis radicaliter, nego minorem, & consequentiā. Ad probationem distinguo maiorem: radix secundum omnem conceptum adæquatur cum formalitate radicata, nego maiorem; secundum conceptū radicantem, concedo maiorem; distinguo similiter minorem, velut suprà, & similiter distinguo consequens. Claret solutio in ente respectu suarum passionum; in Deo respectu cuiuscumque attributi, & modi, & vniversaliter in quacumque essentia respectu passionum; ex quibus retorsiones contra Scotistam *cit.* formentur.

36 *Dices 2.* Dices secundò cum eodem: singularitas non est attributum, nec modus essentiæ Divinæ: ergo essentia Divina non est radix singularitatis. Antecedens pro vtraque parte probat Scotista *citat.* sed secunda est, quę facit ad rem, quam si probat: modus intrinsecus Dei est eius determinata perfectio, secundum quam excedit infinitè creaturam; sed singularitas non est huiusmodi: ergo singularitas non est modus essentię Divinę. Probat minorem: Deus, & creatura pariformitèr se habent in singularitate: ergo singularitas non est determinata perfectio, secundum quam infinitè excedit creaturam.

37 *Respond. 1.* Respondeo primò: hoc argumentū nobis favere, & contra ipsum stare: nam si Deus, & creatura pariformitèr se habent in singularitate: ergo cum singularitas non sit de essentia creaturæ, nec erit de essentia Dei, quæ est ratio pro nostra conclusione posita *num. 10.* Respondeo secundò distinguendo vltimum antecedens: Deus, & creatura pariformitèr se habent in singularitate secundum conceptum communem concedo antecedens; secundum conceptum particularem nego antecedens, & consequentiam; nam ratione conceptus particularis singularitatis Dei, essentia Divina est hæc à semetipsa; creata verò per agēs extrinsecum, producens illam in tali individuo. Item ratione conceptus particularis singularitatis Dei, essentia Divina est cum repugnantia ad esse in alio individuo; non verò creata; quare Deus infinitè excedit creaturam in singularitate. Respondeo tertiò retorquendo in quocumque prædicato, Deo, & creaturæ communi.

Secundò.

Tertiò.

38 *Dices 3.* Dices tertio cum eodem: essentia Divina secundum se, non potiùs debet dici singularis radicaliter, quam formaliter; imò hoc potiùs, ne multiplicentur formalitates sine necessitate: ergo essentia Divina de se est formaliter singularis. Hoc argumentum est contra omnem modum, & attributum Dei, quare solvere tenetur. Nos verò negamus antecedens; quia in illo priori habet essentia, quidquid requiritur ad singularitatem radicalem, non verò ad formalem, vt de existentia diximus *quæst. anteced. n. 82.* est ergo necessitas, vt multiplicetur formalitas singularitatis.

Retorqueo.

Respondeo.

39 *Arguit. 4. Pontius, & Smising.* Objicies quartò ex Pontio, & Smising: natura Divina est de se incommunicabilis numero: ergo absque alia formalitate distincta, est singularis: ergo singularitas est de quidditate Dei. Secunda consequentia claret ex prima. Prima autem probatur: naturam esse singularem absque alia formalitate ab ipsa distincta, est naturam esse de se immultiplicabilem numero, seu ei repugnare talis multiplicabilitas; sed per te natura Divina est de se immultiplicabilis numero: ergo absque alia formalitate distincta, natura Divina est singularis.

40 *Respond. 1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: natura Divina est de se immultiplicabilis numero, radicaliter, seu fundamentaliter, concedo antecedens: formaliter, nego antecedēs, & distinguo similiter consequens primum, negoque secundum. Ad probationem distinguo maiorem: naturam esse singularem formaliter, absque alia

for-

formalitate ab ipsa distincta, est naturam esse de se immultiplicabilem numero, seu ei repugnare talis multiplicabilitas formaliter, concedo maiorem; immultiplicabilem fundamentaliter, vel radicaliter, nego maiorem; distinguo minorem, vt distinxi, & etiam consequens.

41 *Ratio solutionis.*

Ratio autem, cur natura Divina sit de se immultiplicabilis numero fundamentaliter, seu radicaliter; non vero formaliter, sumenda est, tum ex Scoti authoritate, tum ex rationibus, quibus probata manet nostra conclusio. Replica autem, quam contra hanc solutionem adducit Pontius (nam Smising huius solutionis non memorat) soluta manet *num.* 38. Respondeo secundo retorquendo argumentum, vt in *num.* 30.

Respond. 2.

42 *Dices.*

Dices pro Pontio, & Smising: natura Divina absque alia formalitate ab ipsa distincta, est formaliter immultiplicabilis numero: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: natura Divina absque alia formalitate ab ipsa distincta, non est formaliter multiplicabilis numero: ergo est formaliter immultiplicabilis. Respondeo negando antecedens: ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam; quia natura Divina absque alia formalitate ab ipsa distincta, neque est formaliter multiplicabilis numero, neque formaliter immultiplicabilis; sed tantum radicaliter, seu fundamentaliter immultiplicabilis; datur enim hoc medium inter multiplicabile, & immultiplicabile formaliter.

Respondeo.

43 *Firmatur solutio efficaciter.*

Efficaciter firmatur solutio, tàm in creatis, quàm in Divinis: natura creata, præcisa finitate, nec est formaliter finita, nec infinita, sed tantum radicaliter finita: ergo similiter. Item: natura Divina, infinitate, æternitate, immensitate, &c. præcisis, non est formaliter infinita, æterna, immensa, &c. nec formaliter finita, temporalis, &c. sed est tantum radicaliter infinita, æterna, immensa, &c: ergo pariter. Item: homo, præcisa risibilitate, nec est formaliter risibilis, nec formaliter inhibilis, sed tantum radicaliter risibilis: ergo similiter. Idē est de ente respectu vnitatis, veritatis, & bonitatis.

44 *Dices iterum.*

Dices iterum: ideò natura humana, præcisa singularitate, est formaliter communicabilis, quia illa præcisa, non est formaliter incommunicabilis: ergo si natura Divina, præcisa singularitate, non est formaliter incommunicabilis, erit formaliter communicabilis. Respondeo negando causalem antecedentis; quia ideo natura humana est formaliter communicabilis, præcisa singularitate, quia hac præcisa, habet illa natura communicabilitatem formalem; nam præcisa singularitate, est communis, quia communitas est passio naturæ creatæ; quare, nec radicaliter potest dici incommunicabilis.

Respondeo.

Replicabis: ideò natura humana est formaliter communicabilis, præcisa singularitate, quia singularitas non est de eius essentia: ergo ideò Divina natura est radicaliter incommunicabilis, præcisa singularitate, quia hæc est de quidditate illius. Respondeo primò: consequentiam valere, si natura Divina esset formaliter incommunicabilis, præcisa singularitate, quod negamus, nec vt sit radicaliter incommunicabilis, requiritur, quod singularitas sit de eius essentia, quin imo oppositum sentimus, vt ex dictis patet.

45 *Replicabis.*

Respond. 1.

Respondeo secundò distinguendo antecedens: ideò natura humana est formaliter communicabilis, præcisa singularitate, quia singularitas non est de eius essentia, ideò præcisè, nego antecedens; ideò, & quia dantur alia individua possibilia, concedo antecedens, & nego consequentiam. Duo enim requiruntur ex Scoto *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 7. vt natura sit communis. Primum: quod de se non sit incommunicabilis. Secundum: quod sint saltim possibilia alia individua illius naturæ. Deffectu primæ conditionis Petrus, v.g. non est communis, etsi adsit secunda conditio, & si hæc deficeret, nulla natura esset communis, etsi primam conditionem haberet. Vndè natura quælibet creata est communicabilis ratione vtriusque conditionis, & Divina non, deffectu vtriusque.

46 *Respond.* 2.

Vrgebis: per te natura creata est communis ratione vtriusque conditionis; non vero Divina deffectu vtriusque; sed natura creata est formaliter communis ratione vtriusque conditionis: ergo natura Divina est formaliter singularis deffectu vtriusque; atqui deffectum vtriusque conditionis habet Divina natura, præcisa singularitate: ergo ipsa præcisa, est

47 *Vrgebis.*

for-

formaliter ſingularis: ergo ſingularitas eſt prædicatum quidditativum Dei.

48 *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: natura creata eſt communis ratione vtriuſque conditionis, vtraque ſe habente vt conditio ad communitatem naturæ, concedo maiorem; vt ratio formalis, ipſam communem conſtituens, nego maiorem; ſicque nego minorem, & conſequentiam. Omitto ſuſſumptam, & nego conſequentiam. *Ratio ſolutionis.* Ratio ſolutionis eſt: nam illa duo ad communitatem requiſita ſunt tantum conditiones; ratio enim formalis, conſtituens naturam communem eſt (vt diximus *num.* 44.) vnitas, ſeu communitas, quæ eſt paſsio naturæ creatæ, ſicut ratio formalis conſtituens naturam ſingularem, eſt ſingularitas; quare vnitate, & ſingularitate præciſis, non ſtat natura formaliter communis, nec ſingularis.

49 *NOTA.* Et vt paritas de natura creata ad Divinam facilitèr, & clariſsimè intelligatur, & ſolvatur, ſcitote: quod natura creata de ſe eſt radicalitèr communicabilis, ſicut Divina radicalitèr incommunicabilis; quia ſicut hæc ſingularitatem radicat, ita & illa vnitatem, ſeu communitatem. Vndè, ſicut naturæ creatæ repugnat incommunicabilitas, quia radicalitèr eſt communicabilis; ita Divinæ repugnat communicabilitas, quia radicalitèr eſt incommunicabilis. Formaliter vero natura creata eſt communicabilis ratione vnitatis, ſeu communitatis, & Divina eſt formalitèr incommunicabilis ratione ſingularitatis, quia ſicut entitas, ſeu communitas, eſt ratio formalitèr conſtituens naturam communem, ita ſingularitas naturam ſingularem; quare communitate, & ſingularitate præciſis, natura non eſt formalitèr communis, nec ſingularis, ſed radicalitèr ſolum.

50 *Arguit. 5. Smiſing. & Torre.* Obijcies quintò ex Smiſing, & Hiacinto Hernandez de la Torre: quod ex ſe non eſt contrahibile, eſt formalitèr ſingulare ex ſe; ſed eſſentia Divina non eſt contrahibilis ex ſe: ergo eſt formalitèr ſingularis ex ſe. Maior patet: nam quod formalitèr non eſt ex ſe ſingulare, eſt contrahibile ex ſe per ſingularitatem. Minor probatur: contrahibile dicit imperfectionem, nam dicit potentialitatem; ſed eſſentiæ Divinæ repugnat imperfectio: ergo eſſentia Divina non eſt contrahibilis ex ſe.

51 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò diſtinguendo minorem argumenti: ſed eſſentia Divina non eſt contrahibilis ex ſe, vt pars, vt potentia, ſeu genus, concedo minorem; alio modo nego minorem; ex quo diſtinguo probationem: contrahibile, vt pars, & vt potentia, ſeu genus, dicit imperfectionem, concedo; contrahibile, non vt pars, nec vt potentia, dicit imperfectionem, nego. Itaque non omne contrahibile imperfectionem dicit, ſed contrahibile dumtaxat, vt pars, & vt potentia, in quibus ſtat imperfectio; quod autem eſſentia Divina, nec ſit pars, nec potentia imperfecta; nec ſingularitas, etſi ſit contractiva illius, ſit pars, & actus, ex eo patet: nam cum hoc, quod eſt, eſſe pars per modum actus, vel potentiæ, ſoli conveniat finito, infinito repugnat, vt docet Scotus *in* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 3. §. *Teneo opinionem meam mediam*, idque probatum manet *tom.* 1. *in* 1. *Sentent. diſput.* 5. §. 24. *Explicatur ſolutio.*

52 *Dices.* Dices pro eiſdem: eſſentia Divina ante contractionem non eſt ſingularis; ſed poſt contractionem ſingularis eſt: ergo perficitur à ſingularitate: ergo ſingularitas eſt pars, quæ eſt actus, & eſſentia Divina eſt pars, quæ eſt potentia: ruit ergo noſtra ſolutio. Hanc replicam eſſe argumentum Thomiſtarum, à nullo Scotiſta (meo videri) dubitari poteſt, quod ex eius refutatione, & retorſione patebit. *Reſpond. 1.* Vndè reſpondeo primò ad replicam diſtinguendo maiorem: eſſentia Divina ante contractionem non eſt ſingularis, & eſt pars, & potentia, vt à ſingularitate perficiatur, nego maiorem; & non eſt pars, nec potentia, vt perficiatur ab ipſa, concedo maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequentias ſubillatas.

53 *Secundò.* Reſpondeo ſecundò ad prædictam replicam diſtinguendo alitèr maiorem: eſſentia Divina ante contractionem non eſt ſingularis præciſivè, concedo maiorem; privativè, vel negativè, nego ſuppoſitum. Supponit enim, eſſe aliquod inſtans temporis, vel naturæ, in quo ſingularis non ſit, quod eſt falſum; concedo minorem, & nego conſequentias. Cuius ratio eſt: nam cum Divina eſſentia (etſi præciſivè ſingularis non ſit) habeat omnem perfectionem, & infinitatem

omni

omni possibili modo, quo potest habere, scilicèt, realitèr, non est capax alterius perfectionis, vt Scotistæ asserunt de essentia Divina, respectu Paternitatis, & Omnipotentiæ. Circa quod idem potest fieri argumentum, & contra nos à Thomistis multotiès fit ad improbandam distinctionem formalem Scoticam; quare.

54 *Retorq.* 1. Sic contra prædictos Scotistas retorqueo primò replicam: essentia Divina ante contractionem, vel quasi contractionem ad Paternitatem, & Omnipotentiam, non est persona, nec est formalitèr Omnipotens; sed post contractionem, vel quasi contractionem ad Paternitatem, & Omnipotentiam, est persona, & formalitèr Omnipotens: ergo essentia Divina perficitur à Paternitate, & Omnipotentia: ergo Paternitas, & Omnipotentia sunt partes, quæ sunt actus, & essentia Divina est pars, quæ est potentia: ergo datur inter ea Methaphisica compositio; atqui hoc concedere nequeunt Scotistæ prædicti: ergo vt veri sint Scotistæ, tenentur negare consequentias, quas contra nos adducunt.

55 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò replicam Scotistarum: ù cum maiori prioritate inter Divina prædicata, non datur in Deo ratio partis, quæ sit actus, & ratio partis, quæ sit potentia, nec cum minori prioritate dabitur; sed sunt aliqua Divina prædicata, prioritatem maiorem inter se habentia, quam essentia Divina, & singularitas: ergo si inter illa non datur in Deo ratio partis, quæ sit actus, & ratio partis, quæ sit potentia, nec inter illa dabitur. Maior ex terminis liquet. Minor probatur: nam maior prioritas datur in essentia Divina respectu attributorũ, & relationum, quam in ipsa respectu singularitatis: ergo sunt aliqua Divina prædicata, maiorem prioritatem inter se habentia, quam essentia Divina, & singularitas. Patet antecedens: nam priùs est, cognoscere Deum cum prædicatis modalibus, quam cum attributalibus. Consequẽtia videtur certa.

56 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo iam secundò ad argumentum prædictum alitèr distinguendo minorem: essentia Divina non est contrahibilis ex se cum dependentia à causa extrinseca, concedo minorẽ; sine tali dependentia, nego minorem, & distinguo maiorem probationis: contrahibile cum dependentia à causa extrinseca, dicit imperfectionem, concedo maiorem; contrahibile sine tali dependentia, nego maiorem, concedo minorem; & distinguo consequens, vt distinxi. Ad imperfectionem itaque non sufficit quælibet contrahibilitas, sed requiritur contrahibilitas cum dependentia à causa extrinseca; hæc enim solum arguit potentialitatem imperfectam. Cum vero hoc non reperiatur in essentia Divina respectu singularitatis, cum nunquam sit cum prædicta dependentia, ideò non erit imperfectio contrahibilitas essentiæ Divinæ. Et hæc ratio exclusiva imperfectionis in essentia Divina, est ratio convincens imperfectionem in creatis, vt attendenti patebit.

57 *Solutio firmatur in Scoto.* Et quod hæc solutio sit iuxta Scoti sententiam, quidquid dicant Scotistæ prædicti, & cum ipsis Mastrius oppositum clamans, tam in Methaphisica, quàm in diversis tractatibus Theologiæ, patet ex Scoto *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. vbi ideò excludit Doctor rationem generis, seu rationem partis, & potentiæ ab ente transcendenti, quia non est conceptus limitatus, sed indifferens ad finitum, & infinitum, vt ipse Mastrius fatetur *disput.* 2. *Methaphisicæ, quæst.* 6. *artic.* 2. *num.* 165. atqui essentia Divina, nec est conceptus limitatus, nec indifferens ad finitum, & infinitum: ergo potiori iure debet excludi ab essentia Divina ratio partis, & potentiæ, seu generis. Sed hæc est, quæ imperfectionem dicit: ergo cum hæc excludatur ab essentia Divina respectu singularitatis, omnis imperfectio ab ea excluditur, licèt sit per singularitatem contrahibilis.

58 *Respond.* 3. Respondeo tertiò ad prædictum argumentum, alitèr distinguendo minorem: sed essentia Divina ex se non est contrahibilis ab alio, tanquam à causa productiva, vel de novo ab extrinseco adveniente, perficiente, vel informante, concedo minorem; non est contrahibilis à se ipsa, ex necessitate naturæ, & ex infinitate ipsius, nego minorem, & consequentiam, & eadem distinctione distinguatur probatio. Sic Lichetus *in* 1. *distinct.* 8. *quæst.* 3. *§. Dico primo.*

59 *NOTA.* Itaquè: triplicitèr potest aliquid esse contrahibile. Primò: ab alio, tanquam à causa efficiente, vt natura creata determinatur à sua causa ad talem singularitatem. Secundò: for-

malitèr, vt quando naturæ, quæ erat in potentia, advenit eceitas perficiens, & actuans ipsam naturam. Tertiò: à semetipso, ex necessitate naturæ, & ex infinitate ipsius. Primò, & secundò modo, essentia Divina non est contrahibilis, quia sic contrahi, imperfectionem importat; benè verò tertiò modo, quia hoc non dicit imperfectionem; sic enim est contrahibilis per omnia attributa, modos intrinsecos, & relationes, ex quibus tot fieri possunt retorsiones contra factores argumenti, quot sunt attributa, modi intrinseci, & relationes.

60 *Arguit. deniquè.* Objicies deniquè: si singularitas non esset prædicatum quidditativum Dei, posset Deus intelligi sub ratione vniversalis absquè contradictione; sed hoc est falsum: ergo singularitas est prædicatū quidditativum Dei. Probatur maior: si Deus in suo conceptu essentiali singularitatem non involueret, posset Deus intelligi sub ratione vniversalis absquè contradictione; sed si singularitas non esset prædicatū quidditativum Dei, Deus in suo conceptu essentiali singularitatem non involueret: ergo si singularitas non esset prædicatum quidditativum Dei, posset Deus intelligi sub ratione vniversalis absque contradictione. Probatur maior: ideò nos cum Scoto contra Thomistas probamus: naturam Angelicam esse solum numero multiplicabilem, seu posse concipi sub ratione vniversalis absquè contradictione, quia Angelica natura in suo conceptu essentiali singularitatem non involuit: ergo si Deus in suo conceptu essentiali singularitatem non involueret, posset Deus intelligi sub ratione vniversalis absquè contradictione.

61 *Respondeo.* Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem nego etiam maiorem, & ad probationem distinguo antecedens: ideò nos cum Scoto cōtra Thomistas probamus, naturam Angelicam esse solum numero multiplicabilem, seu posse concipi sub ratione vniversalis absque contradictione, quia natura Angelica in suo conceptu essentiali singularitatē non involuit, præcisè, nego antecedens; quia essentialitèr non exigit singularitatem, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia ideò natura Angelica potest dividi, & numero pluri-ficari, quia essentialitèr non exigit singularitatem; est enim ex se indifferens, cuius oppositum reperitur in essentia Divina, vt manet dictum *num.* 18.

QUÆSTIO QUARTA.

Quodnam sit Dei constitutivum Methaphisicum?

§. I.

Aliquibus præsuppositis, status difficultatis aperitur.

Num. 1 HAc difficilem, & semper celebrem difficultatem, contra singulare placitum Ill. Godoy vnicè pertractavimus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disp.* 4. ibique *num.* 7. eam contra cœteros alios laborare promisimus, & nunc adimplebimus, opiniones Scotistarum referendo, & refellendo; sententiam Aversæ, & Arriagæ declarando, & refutando; opinionem Gonet, & omnium, quos sequitur, manifestando, & rejiciendo; & deniquè Iesuitarum sententiam aperiendo, & impugnando. Pro quo, & ante quod.

2 *Suppono* 1. Suppono primò: quod cum Dei constitutivum debeat à nobis explicari per aliquid differentiale, & per aliquid commune, vt ad modū creaturarū illud explicemus, meliùs explicabitur per aliquid differentiale, quod à nobis concipiatur, quasi determinativū gradus communis vltimi, & perfectioris, qui inter omnes est intellectualitas, quam per id, quod à nobis concipiatur, vt determinativum gra-

dus

dus entis, qui est supræmus, & aliorum, scilicèt, substantiæ, spiritus, & viventis, qui sunt gradus communes intermedij, vt est apud omnes certũ. Et vt hæc magis clarescat suppositio.

3 *Suppono 2.* Suppono secundò: Dei constitutivum summi debere ex vltima adæquata, & perfectissima eius ratione, quam licèt pro hoc statu, in quo nostra cognitio à sensibus depẽdet, cognoscere non valeamus, tamen prout à nobis concipitur, illam investigamus; quare sensus difficultatis est: per quid melius explicetur Dei constitutivum?

4 *Suppono 3.* Suppono tertiò: hic non quæri de reali constitutione; sic enim omnes formalitates cum Deo identificatæ ipsum realitèr constituunt; sed de formali, & Methaphisica constitutione, quam nequit facere prædicatum Deo, & creaturis commune, quia hoc nequit distinguere Deum à creaturis. Ex quo deducitur: quod nec ens, substantia, spiritualitas, intellectualitas, &c. sit prædicatum constitutivũ Dei.

5 *Suppono 4.* Suppono quartò: quod nulla perfectio, quæ formalitèr reperitur in attributis, & modis intrinsecis, potest assignari pro aptiori Dei constitutivo; quia difficultas procedit etiam de cõstitutivo naturæ Divinæ, prout ab attributis, & modis distinguitur, quod nequit facere formalitas omnibus communis. Ex hoc infertur: quod nec esse à se formalitèr per exclusionem causæ efficientis, nec esse formalitèr infinitum, possunt esse Dei constitutiva, quia quodlibet attributum est sic ens à se, & formalitèr infinitum.

6 *Suppono 5.* Suppono quintò: quod formalissimum constitutivum Dei est substractum illud, ex quo tanquam à radice pullullant omnia attributa, & perfectiones modales convenientes Deo in quarto modo; quare vocari potest radix omnium, sicque dici infinita, independens, existens, &c. radicalitèr. Ex quo deducitur, quod quodlibet attributum, vel modus intrinsecus radicalitèr potest dici Dei constitutivum, quia quodlibet radicalitèr ipsa essentia est. Cæterum, quia hæc radix à nobis non cognoscitur, quid sit, ideò per quod ex Divinis prædicatis melius à nobis explicetur, in præsenti investigamus. Sit ergo.

§. II.

Opiniones Scotistarum proponuntur, & refelluntur.

DVplicem invenio Scotistarum opinionem. Prima tenet: formale Dei constitutivum esse existentiam. Ita Smising *tract.1.disp.2.quæst.2.num.65.* Felix *de Scientia Dei, cap.1. difficil.4.* quos secuntur aliqui in manu scriptis, etsi ad existentiam addant asseitatem. Secunda tenet: intellectualitatem à se esse tale constitutivũ. Sic Lalemandet *disp.3.partit.2.* quem plures, & doctiores in manu scriptis secuntur. Prima opinio reiecta manet ex *num.4. & 5.* & ex dictis *quæst.2. per totam*, vbi loquendo de existentia, cum Scoto diximus: non esse prędicatum quidditativum Dei. Vltra quod.

7 *Opinio de existentia.*

Opinio de intellectualitate.

Reijcitur primò: ideò existentia esset Dei constitutiva, quia Deus est actus purus, omnem potentialitatem excludens; sed ratio hæc est nulla: ergo existentia non est formale Dei constitutivum. Maior conceditur ab adversarijs. Minor probatur: intellectus (idem est de quolibet attributo, & modo) est actus purus, omnem potentialitatem excludens; sed non cõstituitur per existentiam: ergo existentia non est Dei constitutiva, quia Deus est actus purus, omnem potentialitatem excludens.

8 *Opinio de existentia reiecta manet, & refellitur.*

Reijcitur secundò: nulla compositio Methaphisica deficit Deo defectu prædicatorum, vel formalitatum, sed defectu indifferentiæ, vel potentialitatis vnius ad aliud; sed vna ex Methaphisicis compositionibus est ex essentia, & existentia: ergo hæc non deficit ex defectu prædicatorum, vel formalitatum, sed defectu indifferentiæ, vel potentialitatis vnius ad aliud: ergo datur in Deo essentia, & existentia: ergo existentia non est Dei constitutiva. Maior patet discurrendo per omnes Methaphisicas compositiones. Minor, & consequentiæ sunt optimę.

9 *Reffellit. 2*

Reijcitur tertiò: argumentum petitum ex vno ad aliud propter similitudinem, est legitimum argumentũ; sed Deus, & creatura assimillantur in existentia: ergo argumentum petitum ex creatura ad Deum propter existentiam, est bonum argumentum. Maior patet: nam est species argumentationis, quæ dicitur *exemplum*,

10 *Reffellit. 3*

quod

quod ſic diffinitur: *Eſt argumentatio petita ex alio propter ſimillitudinem.* Minor, & conſequentia ſunt veræ. At qui exiſtentia non eſt conſtitutivũ creaturæ: ergo nec Dei, qui creaturæ in exiſtentia aſsimillatur. Suſſumpta claret in opinione Scotiſtarum, Thomiſtarum & Neutralium. Conſequentia videtur certa.

Reffellit. 4. Reijcitur quartò: exiſtentia, *eſt id, ratione cuius res dicitur eſſe extra cauſas, vel extra nihil*: ergo exiſtentia ſupponit rem, cuius eſt exiſtentia: ergo non eſt conſtitutivum rei. Antecedens claret ex Methaphiſica, vbi dicitur, prædictam diffinitionem etiam Deo convenire.

11 *Reſpond. Smiſing, & Felix.* Ad omnes has rationes dicunt Smiſing, & Felix: quod hæc eſt differentia inter Deum, attributa, & creaturas, quod in attributis, & in creaturis exiſtentia habet rationem à priori, conſequentèrque non eſt illorũ conſtitutiva; at in Deo exiſtentia non habet rationem a priori, & per conſequens Deum conſtituit. *Contra.* Contra breviter, ſed efficacitèr: ergo non explicatur nobis meliùs Dei conſtitutivũ per exiſtentiam. Probatur conſequentia: per exiſtentiam explicatur conſtitutivum Dei oppoſito modo, quo à nobis explicatur conſtitutivum creaturæ: ergo non explicatur nobis meliùs conſtitutivum Dei per exiſtentiã.

12 *Reſpond. alij Scotiſtæ.* Hac ratione convicti adverſarij in manu ſcriptis reſpondent concedendo: ſolam exiſtentiam non eſſe conſtitutivum Dei, ſed exiſtentiam à ſe, & ex ſe, ideſt, exiſtentiam excludentem principium effectivum, & dimanativum, quod eſt recedere ab opinione Smiſing, & Felicis. *Refutatur.* Hæc reſponſio ſufficienter refutabatur ex eo, quod ex tribus gradibus, qui admittuntur, vt conſtitutivi naturarum, ſcilicèt, eſſe, vivere, & intelligere, Deus conſtituatur per perfectiſsimum; ſed hic eſt gradus intellectualis; cum per ipſum conſtituantur creaturæ perfectiores, ſcilicèt, Angelus, & homo: ergo potiùs per intellectualitate à ſe, quam per exiſtentiam à ſe, debemus explicare conſtitutivũ Dei. Sed vltra hoc.

13 *Contra 1.* Contra primò: inter ea, quæ in rei veritate æquè ſunt propria Dei, id, quod à nobis non magis propriũ concipitur, non eſt cenſendum conſtitutivum Dei; ſed exiſtentia à ſe, & infinitas a ſe in rei veritate æquè ſunt propria Dei: ergo id, quod à nobis non magis proprium concipitur, non eſt cenſendum conſtitutivum Dei. Maior patet in quocumque conſtitutivo. Minor, & conſequentia tenent. Aqui exiſtentia à ſe à nobis non magis propria Dei concipitur, quam infinitas à ſe: ergo per exiſtentiam à ſe non meliùs explicatur conſtitutivum Dei. Probatur ſuſſumpta: id, quod aliquomodo convenit cum alijs à ſe, non eſt magis proprium rei, quam id, quod nullo modo convenit alijs à ſe; ſed per exiſtentiam à ſe aliquomodo convenit Deus cum alij a ſe, & per infinitatem à ſe nullo modo convenit Deus cum alijs à ſe: ergo exiſtentia à ſe à nobis non magis propria Dei concipitur, quam infinitas à ſe.

14 *Prob. min.* Probatur minor: per ly *à ſe* exiſtentiæ, & infinitatis, eodem modo intellecto, ſcilicèt, per excluſionem vtriuſque principij, nullo modo convenit Deus cum alijs à ſe; ſed per ly *Exiſtentiam*, ab aſſeitate præciſſam, convenit Deus cum alijs à ſe, à quibus differt per ly *infinitatem*, ab aſſeitate præciſſam: ergo per exiſtentiam à ſe aliquomodo convenit Deus cum alijs à ſe, & per infinitatem à ſe nullo modo convenit Deus cum alijs à ſe.

15 *Contra 2.* Contra ſecundò: illud, ex quo, quocumque alio circunſcripto, non dimanant propriæ paſsiones rei, quę à nobis concipiuntur, non eſt conſtitutivum illius; ſed ab exiſtentia à ſe, quocumque alio circunſcripto, non dimanant omnes proprietates Dei, quæ à nobis concipiuntur: ergo exiſtentia à ſe, quocumque alio circunſcripto, non eſt conſtitutivum Dei. Probatur minor: Deum eſſe comprehenſibilem à ſe, eſt proprietas ipſius Dei; ſed hæc non dimanat ab exiſtentia à ſe, quocumque alio circunſcripto: ergo ab exiſtentia à ſe, quocumq̃ alio circunſcripto, non dimanant omnes proprietates Dei, quæ à nobis concipiuntur. Probatur minor: circunſcripta infinitate, Deus non eſt comprehenſibilis à ſe: ergo hæc proprietas non dimanat ab exiſtentia à ſe, quocumque alio circunſcripto. Probatur antecedens: tota ratio, qua in via Scoti creatura nequit Deum cõprehendere, eſt finitas: ergo circunſcripta infinitate, Deus non eſt comprehenſibilis à ſe.

16 Contra tertiò: ſi per impoſsibile,

Contra 3. Filius esset Patre posterior, posteritate *in qua*, Filius esset Deus; atqui tunc non esset existens à se: ergo existentia à se non est Dei constitutiva. Maior patet: nam etsi Petrus filius Pauli sit Paulo poterior, posterioritate *in qua*, tamen Petrus est homo: ergo similitèr. Minor est evidens. Consequentia legitima.

17 *Contra 4.* Contra quartò: vltima differentia Dei constitutiva debet esse simpliciscima realitas; sed existentia à se, & ex se, non est simpliciſsima realitas: ergo existētia à se, & ex se non est Dei constitutiva. Maior claret in quacumque differentia vltimò constitutiva. Minor patet: nā existentia est vna realitas, aseitas per exclusionem principij productivi alia, & alia aseitas per exclusionem principij dimanativi. Consequentia videtur certa.

18 *Opinio de intellectualitate refutata manet, & reijcitur.* Secunda itaquè opinio refutata manet ex *num.* 13. 15. 16. & 17. & vltra reijcitur: id, quod convenit alijs à se, non est constitutivum rei; sed per intellectualitatem à se convenit Deus cum alijs à se: ergo intellectualitas à se non est constitutivum Dei. Probatur minor: per *intellectualitatem*, convenit Deus cum Angelis, & hominibus, per ly *à se*, cum attributis: ergo per intellectualitatem à se convenit Deus cum alijs à se.

19 *Respond. Scotista quidam.* Respondent sequaces huius opinionis, quod per intellectualitatem à se divisim convenit Deus cum creaturis, & Divinis attributis; non vero per intellectualitatē à se coniunctim; quomodo, & non divisim, est formale Dei constitutivum. Sic Scotista sapientissimus, à me relatus *quæst. anteced. num.* 1. suam ponit conclusionē. Iterum venero authorem; sed iterum venia illius.

20 *Solutio impugnat.* 1. Impugno primò solutionem: id, quod aliquomodo convenit alijs à se, non est ita proprium rei, quam id, quod nullo modo convenit alijs à se; sed per intellectualitatē à se convenit Deus aliquomodo, scilicèt, divisim, cum alijs à se, & per infinitatem radicalem nullo modo, nec coniunctim, nec divisim, convenit Deus cum alijs à se: ergo intellectualitas à se non est ita propria Dei, ac infinitas radicalis, & consequentèr intellectualitas à se non est Dei constitutiva. Maior est evidens. Minor quoad primam partem est sua solutio; quoad secundam est certa. Consequentia legitima.

21 *Secundò.* Impugno secundo: aggregatum ex prædicato transeendenti, & modo alicuius rei, nequit rem Methaphisicè constituere; sed intellectualitas ad summum est quid transcendens in Deo, & aseitas modus illius; nam ex terminis aseitas est modus essendi: ergo aggregatum ex intellectualitate, & aseitate nequit Deum constituere Methaphisicè: ergo nec intellectualitas à se coniunctim.

Tertiò. Impugno tertiò ex *num.* 17. scilicèt, quod vltima Dei differentia non esset simpliciſsima realitas, cuius oppositum est verum, vt claret in rationalitate.

22 *Retorqueo.* Deniquè retorqueo solutionem: ideò per te intellectualitas à se, non divisim, sed coniunctim, est formale Dei constitutivum, quia per ipsam, non divisim, sed coniunctim, distinguitur Deus ab omni, quod non est Deus: ergo optimè explicant omnes constitutivum Dei. Probatur consequentia: omnes explicant per id, quod sic Deum distinguat: ergo optimè explicant omnes constitutivum Dei.

§. III.

Argumenta Scotistarum solvuntur.

23 *Arguunt Scotistæ ex Scoto.* PRo vtraque opinione adducunt Scotum Authores relati. Qui sunt pro existentia, obijciunt Scotum pluribus in locis, quę simul, & responsiones videri possunt *quæst.* 2. §. 5. An existentia sit prædicatum quidditativum Dei? Qui vero sunt pro intellectualitate, obijciunt Scotum *quodlib.* 1. §. *De secundo*, ℣. *Nam contradictio*, *num.* 10. vbi ait: *Nunc autem intellectualitas, sivè vita intellectiva, vel intellectualis, est idem essentialitèr essentiæ Divinæ, sic intelligendo, quod non tantum est idem realitèr ipsi essentiæ, sicut forte quodcumque attributum ponitur idem ipsi essentiæ, sed hoc modo est idem sibi, quod si ipsa essentia Divina diffiniretur, vita intellectualis, sivè intellectualitas, non esset extra eius diffinitionem, sicut sapiens, vel bonum*: ergo intellectualitas est constitutiva Dei.

24 *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam: quia ex verbis Scoti satis constat: ipsum tantum velle, intellectualitatem esse prædicatum quidditativum Dei, ad differentiam attributorum, quod etiam competit prædicato entis, substantiæ, &c. quin aliquod ex

his

his sit formale Methaphisicum Dei constitutivum.

25 *Dices.* Dices: Scotus *infrà immediatè ỳ. Item 6. de Trinitate*, videtur asserere, intellectualitatem esse vltimum constitutivum, sicut rationalitas hominis: ergo ruit solutio. *Respondeo.* Respondeo: Scotū dicere, quod rationale, prout est tale intellectuale, esse hominis constitutivum; non verò prout est tantum intellectuale. Hæc sunt verba eius: *Et per consequens ista intellectualitas, quæ per se intelligitur per rationale, est idem homini essentialitèr, &c.* Idem dico de Deo, quod talis intellectualitas est Dei vltimum constitutivum. Quæ autem sit hæc taleitas, est difficultas.

26 *Arguit. 1. à ratione.* Obijcies primò à ratione pro vtraque opinione: prædicatum vltimo constitutivum debet esse radix omnium proprietatum; sed talis est existentia apud illos, & intellectualitas apud istos: ergo existentia apud illos, & intellectualitas apud istos, est prædicatum vltimò Dei constitutivum. Probatur minor pro existentia: quia Deus est existens à se, est independens, necesse esse, infinitus, habetque intellectum, & voluntatem à se, intellectionem, & volitionem à se, &c: ergo existentia debet esse radix omnium proprietatum. Eodem modo probant minorem, tenentes opinionem de intellectualitate à se.

27 *Respondeo.* Respondeo negando minorem, ad probationem nego antecedens; quia Deus illa habet prædicata ob infinitatem radicalem, imò & existentiam à se, & intellectualitatem à se habet ratione prædictæ infinitatis, vt dicemus in probationibus nostræ conclusionis. Item: quod Deus sit comprehensibilis à se, solum habet ratione infinitatis ex *numer.* 15. Denique: quod sit amabilis necessariò à sua voluntate, solum ratione infinitatis ex Scoto ipsi convenit. Retorqueo etiam probationem pro existentia cum probatione pro intellectualitate, & è contra.

28 *Arguit. 2.* Obijcies secundò: illud est vltimum constitutivum alicuius, ante quod non intelligitur distingui essentialitèr à quocumque alio, & post quod non intelligitur aliud, quo essentialitèr distinguatur ab omni alio; sed sic est, apud illos existentia à se, & secundum istos intellectualitas à se: ergo existentia apud illos, & intellectualitas apud istos, est prædicatum vltimò Dei constitutivum. *Respondeo.* Respondeo negando minorem: nam ante existentiam à se intelligitur infinitas radicalis, & post intellectualitatē, ab asseitate præcissam, intelligitur prædicta infinitas, ex qua dimanat asseitas; quare stat Dei constitutivum ante asseitatē.

29 *Arguit. 3.* Obijcies tertiò: natura Dei debet constitui per gradum entis perfectissimum; sed hic in Deo est existentia apud illos, & apud istos est intellectualitas: ergo Deus apud illos debet constitui per gradum essendi, & secundum istos per intellectualem; atqui, non per gradum communem iuxta vtrosque; quia constitutivum debet esse speciale: ergo per existentiā à se iuxta illos, & per intellectualitatē à se iuxta istos, quæ est Deo specialis.

30 *Respondeo.* Fateor, hoc argumentum potiùs favere opinioni de intellectualitate à se, vt diximus *num.* 12. Sed tamen respondeo negando vltimā consequentiam: nam ratio specialis Dei constitutiva debet esse illa, per quā Deus primò differat ab omni alio; hæc autem non est asseitas, sed infinitas radicalis.

31 *Arguit. 4.* Obijcies quartò: ratio Methaphisicè Dei constitutiva debet esse vltima, addæquata, & perfectissima; sed talis est existentia à se apud illos, & intellectualitas à se iuxta istos: ergo existentia apud illos, & intellectualitas iuxta istos, est prædicatum Dei constitutivum. *Respondeo.* Respondeo negando minorem: neutra namque est vltima, quia neutra est primò distinctiva Dei ab omni alio, quod Deus non est; nec addæquata, quia neutra dicit omnia, quæ competunt essentiæ Divinæ ex *num.* 27 nec perfectissima, quia neutra constituit essentiā Dei in esse principij omnis emanationis, ex eodem *nu.* 17.

32 *Arguit. 5.* Obijcies vltimò specialitèr pro existentia: si essentia Divina non constituitur per existentiam, excederetur in perfectione ab existentia; sed hoc est falsum: ergo existentia est prædicatum Dei constitutivum. Probatur maior: existentia in creaturis excedit in perfectione essentiam, quia est vltima eius actualitas; sed etiam existentia est vltima actualitas essentiæ Divinæ: ergo si essentia Divina non constituitur per existentiam, excederetur in perfectione ab existentia.

33 *Respondeo.* Respondeo primò, vt *in quæst. 2. num.* 119. Respondeo secundò, negan-

do maiorem, & distinguendo probationem existentia in creaturis excedit in perfectione essentiam, modaliter, & secundum quid, concedo maiorem; realiter, & simpliciter, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similiter consequens. Claret responsio in qualitate, quæ modaliter, & secundum quid excedit in perfectione substantiam, à qua realiter, & simpliciter exceditur; ita similiter.

34 *Firmatur solutio.* Nec hoc est inconveniens in Deo: nam ratio, cur existentia creata modaliter excedit essentiam, est, quia essentia, ab existentia præcisa, non est formaliter existens; sed essentia Divina, ab existentia præcisa, non est formaliter existens, sicut ab omnipotentia præcisa, non est formaliter omnipotens, & sic de alijs: ergo non est inconveniens, quod existentia in Deo modaliter, & secundum quid excedat essentiam. Vnde idem est argumentū de quolibet modo, & attributo; quare in quolibet potest fieri retorsio.

35 *Dices.* Dices: quod excedit in actualitate excedit in perfectione; sed existentia excedit essentiam in actualitate: ergo existentia excedit essentiam in perfectione. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: quod excedit in actualitate, eo modo, quo fuerit actualitas, excedit in perfectione, concedo maiorem; alio modo, nego maiorem; distinguo minorem: sed existentia excedit essentiam in actualitate modali, concedo minorem; absoluta & simpliciter nego minorem, & distinguo similiter consequens.

36 *Explicatur solutio.* Explico solutionem: quantitas excedit in existentia qualitatem, quia quantitas existit sine dependentia à qualitate; hæc vero dependenter à quantitate. Similiter corpus excedit in existentia formam sensitivam equi propter eandem rationem; & tamen qualitas simpliciter in entitate excedit quantitatem, & forma sensitiva equi, vtpotè, vitalis, corpus: similiter igitur.

37 *Dices.* Dices: implicat, quod vnum ens excedat in modo realiter identificato cum essentia, & quod non excedat in essentia: ergo ruit dictum. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens propter exempla de quantitate, & corpore, & vltra, quia vt dicitur 3. *Phisicorum*, gravitas, & levitas sunt passiones identificatæ realiter cum substantijs gravibus, & levibus, & tamen datur substantia, vt petra, ferrum, &c. excedens in gravitate plura corpora viventia, quæ in essentia sunt perfectiora, quia sunt vitalia. Imò, tàm argumentum, quàm replicæ, probant evidenter, Deum constitui per intelligere actuale, quod est contra omnes Scotistas. Vide pro hoc dicenda *à num. 58. vsquè ad 72.* & ex illis retorque. Alia sunt argumenta pro existentia, quæ soluta manent per dicta *quæst. 2. per totam.*

§. IV.

Aversæ, & Arriagæ opinio refutatur.

38 *Opinio Aversæ, & Arriagæ explicatur.* AVersa *quæst. 2. sect. 2.* & Arriaga *tract. de Scientia Dei, disput. 16. sect. 4. num. 23.* docent: Deum methaphisicè constitui per esse ens à se. Hęc opinio duplicitèr potest intelligi. Primò: ita, vt complexum ex ente, & asseitate, sit tale constitutivum, & hoc modo reijcitur eisdem rationibus, quibus reiectæ manent opiniones de existentia, & intellectualitate à se, præsertim *à num. 11 vsque ad 22.* Secundò: ita, vt ly *à se*, duntaxat sit vltima ratio Dei constitutiva. Quomodo intellecta opinio.

39 *Reijcitur.* Reijcitur: nam vel ly *à se*, dicit exclusionem causæ productivæ, vel principij dimanationis; sed neutro modo est Dei constitutiva: ergo ly *à se*, non est vltima ratio Dei constitutiva. Probatur minor quoad vtram que partem: si ly *à se* dicit exclusionē causæ, convenit cum attributis, & relationibus, quæ non habent causam sui; si ly *à se* dicit exclusionem principij dimanationis, convenit Deus cum creaturis, quia quodlibet constitutivum creatum dicit exclusionem principij dimanativi; sed quid commune attributis, & creaturis nequit methaphisicè Deum constituere: ergo neutro modo ly *à se* est Dei constitutivum.

40 *Dices.* Dices: quod asseitas per exclusionem causæ, & principij simul est Dei constitutiva, quia hoc modo nulli præter Deum convenit. Hæc responsio est eadem responsio Authorum pro existentia *num. 12.* & pro intellectualitate à se *num. 19.* Quare refutatur eisdem rationibus, ac prædictæ manēt solutæ responsiones. Vltra quod.

Contra 1. Contra primò: dicere, quod asseitas per exclusionem causæ, & principij simul, est Dei constitutiva, est af-

ſerere, quod aſſeitas per excluſionem cauſæ, quæ eſt modus intrinſecus, radicalitèr conſiderata, eſt Dei conſtitutiva; vel clarius : eſt aſſerere, quod radix aſſeitatis per excluſionem cauſę eſt Dei conſtitutiva : ergo non explicat conſtitutivum Dei. Probatur conſequentia : aſſerere, quod radix prædictæ aſſeitatis eſt conſtitutiva Dei, non eſt manifeſtare ſpeciale prædicatum, quod ſit radix talis aſſeitatis; ſed hoc in præſenti quærimus ; hic enim opus, & labor: ergo non explicat conſtitutivum Dei.

41 *Probatur anteced.* Antecedens vero, in quo poteſt eſſe difficultas, probatur: ita ſe habet ex terminis perſeitas in ſubſtantia, & inhærentia in accidenti, ac aſſeitas in Deo, proportione ſervata; ſed dicere, quod perſeitas, & inhærentia per excluſionem principij dimanativi ſunt conſtitutiva ſubſtantiæ, & accidentis, eſt aſſerere, quod perſeitas, & inhærentia, quæ ſunt paſsiones, modi, vel quaſi modi, radicalitèr conſideratæ, ſunt conſtitutiva ſubſtantiæ, vel accidentis; vel clariùs : eſt aſſerere, quod radices perſeitatis, & inhærentiæ ſunt conſtitutivi ſubſtantiæ, & accidentis: ergo aſſerere, quod radix prædictæ aſſeitatis eſt conſtitutiva Dei, non eſt manifeſtare ſpeciale prædicatū, quod ſit radix talis aſſeitatis. Ex quo.

42 *Contra 2.* Contra ſecundò: omnes fatentur: quod conſtituendo ſubſtantiam, & accidens per perſeitatem, & inhærentiam, excludentem principium dimanationis, non ſatisfit propriè quæſtioni, quia non aſsignatur prædicatum, quod ſit talis radix; ſed conſtituere Deum per aſſeitatem, excludentem principium dimanationis, non eſt aſſignare prædicatum, quod ſit radix talis aſſeitatis, ex dictis : ergo aſſeitas per excluſionem cauſæ, & principij ſimul, non eſt Dei conſtitutiva.

43 *Arguitur.* Arguitur pro hac opinione : per id conſtituitur Deus, quod primò in ipſo intelligitur ; ſed ratio entis à ſe primò intelligitur in Deo : ergo ratio entis à ſe eſt prædicatum conſtitutivum Dei. *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo maiorem: quod primò in ipſo intelligitur, vt quid commune, nego maiorem; vt proprium & differentiale, cętera prædicata radicans, concedo maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequentiam.

44 Dices : licet ratio entis ſit quid commune ; ratio vero aſſeitatis per excluſionem vtriuſque principij eſt propria Dei: ergo ruit ſolutio. *Dices.* Contra primò : quia non declarat conſtitutivum Dei, ex immediatè dictis. *Contra 1.* Contra ſecundò: quia non eſt propria, proprietate requiſita ad conſtituendum, tum ex dictis *num.* 20. 21. & 22. tum, quia licèt ſit propria, non coniungitur cum gradu perfectiſsimo ex tribus conſtitutivis. *Contra 2.* Contra tertiò: nam hac ratione benè explicant omnes conſtitutivum Dei. Alia argumenta pro hac opinione omitto, quia ex dictis ſoluta manent. *Contra 3.*

§. V.

Reijcitur opinio Gonet, & aliorum.

45 *Opinio Gonet.* GOnet *diſput. 2. de Natura Dei, artic. 1. §. 5. num. 21.* aſſerit: Deum conſtitui per intelligere actuale, non ſub conceptu operationis, quia ſic ſupponit principium, ſed ſub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ, & per ſe ſubſiſtentis in genere intellectuali. Hanc opinionem ſecutus eſt Gonet, ex Nazario, Gonçalez, Salmanticenſibus, & Ioanne à S. Thoma. *Refutata manet.* Hæc opinio refutata manet ex *num.* 4. Eamque eſſe contra Div. Thomam oſtendit Ill. Godoy *in præſenti tract. diſput.* 4. §. 7. authoritatibus Div. Thomæ, & §. 8. rationibus ex ipſo deductis. A nobis verò.

46 *Refutat. 1* Refutatur primò : per id Deus conſtituitur methaphiſicè, quod primò intelligitur in Deo; ſed intellectio actualis non eſt, quod primò intelligitur in Deo: ergo intellectio actualis non eſt Dei conſtitutiva. Probatur minor: primò intelligitur in Deo principium radicale intellectionis : ergo intellectio actualis non eſt, quod primò intelligitur in Deo. Probatur antecedens : datur in Deo tale principium: ergo. Antecedens probatur primò ratione: omnis perfectio, non dicens imperfectionem, datur in Deo; ſed ita eſt tale principium: ergo datur in Deo. Secundò probatur paritate: datur in Deo principium radicale volitionis actualis, aliorumque attributorum abſquè imperfectione; nam ipſum actuale intelligere debet iuxta Gonet eſſe radix illorum: ergo intelligitur primò in Deo principium radicale intellectionis.

47 *Reſpond. 1 Gonet.* Reſpondet primò Gonet *citat. §. 8. num.* 41. concedendo, intellectionem

vt operatio est, supponere principium; non verò vt est vltima actualitas in linea intellectiva. Contra primò: intellectio actualis non pertinet ad primum conceptum lineę intellectivæ: ergo non est vltima actualitas in hac linea. Probatur antecedens: linea intellectiva est divisibilis in actuale per modum principij, & per modum operationis; sed intellectuale per modum principij pertinet ad primum conceptum lineæ intellectivæ: ergo intellectio actualis non pertinet ad primum conceptum lineæ intellectivæ. Probatur maior primò: quia in hac divisione nulla includitur imperfectio. Secundò: quia linea volitiva sic dividitur. Tertiò: quia linea personalis dividitur in actionem personalem, & personam: ergo pariter. Contra secundò: intellectio, vt est operatio, est actualitas; sed vt operatio, non pertinet ad primum conceptum lineæ intellectivæ: ergo nec vt actualitas.

Contra 1.

Contra 2.

48 Respondet secundò Gonet *citat. num.* 43 & 44 intellectionem identificari formaliter, & virtualiter, cum natura intellectuali; alioquin hæc esset potentialis, quia esset sine vltima suæ lineæ actualitate, & consequenter, si in linea intellectiva esset intellectuale per modum principij, non esset actus purus. Ad paritatem de linea volitiva, negat consequentiam; cuius disparitas, inquit, stat in hoc, quod volitio secundariò pertinet ad lineam intellectivam; intellectio autem primariò. Sed vltra dicta contra responsionem antecedentem, quæ militant etiam adversus hanc.

Respond. 2. Gonet.

49 Contra primò: Deus est actus purissimus in omni linea; sed hoc non obstante, constituitur Deus secundum Gonet, per intellectionem, vt radicem volitionis, & attributorum, sine potentialitate in linea volitiva, & attributorum: ergo similiter poterit constitui sine potentialitate per radicem intellectionis. Contra secundò: actualis generatio, & potentia proximè generativa, virtualiter distinguntur in Deo sine imperfectione potentialitatis: ergo similiter actualis intellectio, & principium proximè intellectivum. Consequentia probatur efficaciter: nam potentia generativa, & generatio in Deo, pertinent ad lineam intellectivam, sicut ipsa intellectio; sed per se actualis generatio, & potentia proximè generativa, virtualiter distinguntur in Deo, sine imperfectione potentialitatis: ergo similiter actualis intellectio, & principium proximè intellectivum.

Contra 1.

Contra 2.

Contra tertiò: ad lineam intelligendi pertinet ipsa intellectio, vt operatio est; sed Deus sine imperfectione potentialitatis constituitur per principium intellectionis, & non per intellectionem, ex ipso Gonet *citat.*: ergo & poterit constitui per principium radicale in linea intellectiva. Ex his refutata manet altera opinio asserentium; volitionem actualem esse formale Dei constitutivum.

50 *Contra 3.*

Propter dicta, Curiel, cum alijs tenet: intellectionem radicalem esse Dei constitutivum. Reijcitur hęc opinio, & simul secundò refutatur opinio Gonet. Deus, homo, & Angelus conveniunt in intellectione actuali, & radicali; verè enim intelligunt, & possunt intelligere; sed nihil commune homini, & Angelo est Dei constitutivum: ergo intellectio radicalis non est Dei constitutivum.

51 *Refutat. 2. solutio Gonet, & opinio Curiel.*

Insurgunt alij asserentes: intellectivum radicale esse Dei constitutivũ. Contra: hæc opinio non explicat Dei constitutivum: ergo ruit. Probatur antecedens: non explicat illud speciale, ratione cuius gradus intellectualis potiùs sit Dei, quam Angeli, vel hominis: ergo hæc opinio non explicat Dei constitutivum. Item: explicat constitutivum Dei, per quid commune Angelis, & hominibus: ergo non explicat Dei constitutivum. His rationibus reffellitur aliorum opinio asserentium: volitivum radicale esse formale constitutivum Dei.

52 *Aliorũ opinio reijcitur.*

Dices: volitivum radicale explicat esse radicem perfectionis propriſsimæ Dei: ergo est constitutivum. Respondeo primò distinguendo antecedens: volitivum radicale explicat esse radicem perfectionis propriſsimæ, & communis, concedo antecedens; & non communis, nego antecedens, & consequentiam. Ratio est: nam volitio Divina (similiter de intellectione, si argumentum fiat de intellectivo radicali) est propriſsima, quia Divina, & communis, quia volitio. Respondeo secundo distinguendo aliter: explicat esse radicem, & explicat prædicatum, quod sit talis radix, nego antecedens; & non explicat tale prædi-

53 *Dices.*

Respond. 1.

Secundò.

ca-

catum, concedo antecedens, & nego consequentiam; quare, nequit esse constitutivum Dei.

54 *Arguit. 1. Gonet.* Arguitur primò pro opinione Gonet ex ipso *citat. §. 5. num. 22.* constitutivum naturæ Divinæ debet pertinere ad gradum intelligendi, vtpotè, perfectissmum; sed ex his, quæ pertinent ad talem gradum, solum ipsum intelligere purissimum, actualissimum, & per se subsistens, potest formaliter constituere naturam Divinam: ergo intelligere actualiter est Dei constitutivum. Probatur minor: constitutivum naturæ Divinæ debet esse actus purissimus; sed ex his, quę pertinent ad gradum intelligendi, solum ipsum intelligere est actus purissimus: ergo ex his, quæ pertinent ad gradum intelligendi, solum ipsum intelligere purissimum, actualissimum, & per se subsistens potest formaliter constituere naturam Divinam.

55 *Prob. min. 1 Secundò.* Probatur minor primò: nullum præter ipsum intelligere, excludit omnem vmbram potentialitatis: ergo. Secundò: solum ipsum intelligere exprimit summam actualitatem in Deo; quia solum ipsum est vltima actualitas in linea intelligendi: ergo ex his, quæ pertinent ad gradum intelligendi, solum ipsum intelligere est actus purissimus.

56 *Respondeo. Ad 1. prob. minor.* Respondeo negando minorem: ad probationem nego minorem, ad cuius primam probationem, nego antecedens: nam vt quælibet formalitas Divina excludat omnem vmbram potentialitatis, sufficit, quod ratione eius infinitatis summè identificetur cum omni alia formalitate Divina, quod ipse Gonet concedere tenetur, quia constituit naturam Divinam per intellectionem, vt radicem volitionis, & attributorum, ex quo fiat retorsio contra Gonet, cum dictis *numer.* 49. quod est secunda responsio.

57 *Ad 2.* Ad secundam probationem distinguo antecedens: solum ipsum intelligere exprimit summam actualitatem in Deo, in linea operandi, concedo antecedens; in linea essendi, nego antecedens, & similiter distinguo probationem imbibitam, & nego cõsequentiam. Vltima namque actualitas in linea essendi est quid antecedens ad omne, quod pertinet ad lineam operandi. Hæc doctrina conformis est Thomistarum doctrinæ, distinguentes in Deo duas lineas ex genere suo diversas, scilicèt, intellectio, & volitio. Et *in 2. Physicor.* tenentes: lineam essendi ex genere suo esse distinctam à linea operandi; ideoque affirmant: substantiam non esse operativam.

58 *Arguit. 2.* Arguitur secundò ex eodem *disput. 2. art. 3. num. 64.*: principium radicale intellectionis concipitur vt potentiale; sed non sic est conceptibilis intellectio: ergo per hanc Deus constituitur. Probatur maior: principium radicale intellectionis concipitur, vt determinabile per intellectionem, & per illam, tanquam per actualitatem, perfectibile: ergo principium radicale intellectionis concipitur vt potẽtiale.

59 *Respondeo.* Respondeo negando maiorem ad probationem nego antecedens; nam ratione infinitatis identificatur summè cum intellectione, quare, nec est determinabilis, nec perfectibilis; quia sicut in creatis istæ imperfectiones proveniunt à finitate; ita à Deo tolluntur ob infinitatem, ratione cuius, etsi non exprimat formaliter, & essentialiter intellectionem; illam tamen exprimit radicaliter, implicitè, & identicè.

60 *Retorqueo argum.* Retorqueo etiam argumentum: intellectio actualis ex Gonet est Dei constitutiva: ergo est radix attributorum: ergo concipitur vt potentialis. Probatur hæc consequentia: concipitur vt determinabilis, & perfectibilis per attributa: ergo concipitur vt potentialis. Ex quo aliter respondeo ad argumentum, distinguendo probationem: concipitur vt determinabile, & perfectibile per intellectionem summè secum identificatam, & radicaliter, vel implicitè inclusam, concedo antecedens; alio modo, nego antecedens, & distinguo consequens: ergo concipitur vt potentiale, potentialitate non dicente imperfectionem, concedo consequentiam; imperfectionem dicente, nego consequentiam; nam hanc tollit in Deo summa identificatio, vt diximus.

Respondeo aliter ad argum.

61 *Replicat Gonet.* Replicat Gonet contra responsionem: principium virtuale non cõtinens actu implicitè operationem, est implicitè potentiale: ergo non continens actu explicitè operationem, erit saltim explicitè potentiale: ergo & imperfectum quoad explicitum.

Hoc argumentum est valde æqui-

NOTA.

vocum. Noto ante responsionem: quod ratio à priori potentialitatis est finitas, sicut è contra, ratio à priori actus puri, vel exclusionis potentialitatis, est infinitas. Hoc notato.

62 *Respond.1.* Respondeo primò distinguendo antecedens: est implicitè, & explicitè potentiale, concedo antecedens; implicitè tantum, nego antecedens; & distinguo consequens: ergo non continens actu explicitè operationem, nec implicitè, erit saltim explicitè potentiale, concedo consequentiam; alioquin continens implicitè, & infinitè, nego consequentiam. *Ratio solutionis.* Ratio est: nam vt quodlibet principium virtuale sit explicitè potentiale, sufficit non continentia implicita operationis; nam hæc provenit à finitate principij, ex qua, vt diximus, oritur potentialitas; vt verò nec explicitè sit potentiale, sufficit continentia implicita, & infinita, à qua, vt diximus, nascitur ratio actus puri cum potentialitate incomposibilis.

63 *Respond.2.* Respondeo secundò distinguendo aliter antecedens: est implicitè potentiale, potentialitate dicente imperfectionem, concedo antecedens; non dicente imperfectionem, nego antecedens; & distinguo similitèr consequens primum, & nego secundum. Hæc itaquè est vera: non continet implicitè operationem: ergo est potentiale, potentialitate dicente imperfectionem, ob rationem datam *num. anteced.* Hæc verò est falsa: non continet explicitè: ergo est explicitè potentiale, potentialitate dicente imperfectionem, ob rationem in eodem *num.* assignatam.

64 *Tertiò.* Respondeo tertiò aliter distinguendo antecedens: est implicitè potentiale privativè, concedo antecedens; negativè, nego antecedens; & distinguo primum consequens: erit explicitè potentiale negativè, concedo consequentiam; privativè, nego consequentiam, & similitèr, nego secundam. Ratio est: nam cuicumque principio virtuali debetur continentia implicita operationis, & sic privativè erit potentiale, si implicitè non continet; at continentia explicita non est debita, quare, erit tantum potentiale negativè, ideſt, habebit carentiam perfectionis non debitæ, quod nulla est imperfectio.

65 Respondeo quartò concedendo antecedens, & distinguendo consequens: erit explicitè potentiale, ideſt, explicitè non continens operationē, concedo consequentiam; alio modo, nego consequentiam; nam explicitè non continere, non est imperfectio, vt ipse Gonet concedere tenetur in essentia respectu attributorum; imò in ipsa intellectione, vt operatio est. Ex quo retorqueo, vt suprà. *Quartò.*

66 *Instabis.* Instabis contra hoc: perfectiùs constituta intelligeretur natura Divina concepta, vt exprimens actualē intellectionem, quam sine tali expræssione: ergo ruit prædicta solutio. *Retorqueo.* Retorqueo instantiam evidentèr: perfectiùs constituta intelligeretur natura Divina concepta, vt exprimens actualem sapientiam, volitionem, immensitatem, & alia Dei prædicata, quam sine tali expræssione: ergo per omnia hæc constituitur, contra Gonet, & eos, quos sequitur. *Respondeo.* Quare distinguo antecedens: perfectione, & excessu repugnante, omitto antecedens; non repugnante, nego antecedens, & consequentiam; repugnat enim, Deum in linea essendi constitui per id, quod pertinet ad lineas operativas.

67 *Replicat Gonet.* Replicat deindè Gonet *citat.* contra retorsionem: expræssio vltimæ actualitatis propriæ lineæ debetur cuilibet perfectioni Divinæ; sed actualis intellectio est vltima actualitas in genere, & linea intelligibili; attributa verò non pertinent ad lineam essendi: ergo quamvis Divina essentia sine attributorum expræssione concipiatur sine imperfectione; non verò sic est conceptibilis sine intellectionis expræssione.

68 *Respondeo.* Respondeo distinguendo minorem: sed actualis intellectio est vltima actualitas in genere, & linea generica intelligibili, concedo minorem; in linea quasi specifica, nego minorem, & consequentiam. Linea itaquè intelligibilis est genus, vel quasi genus ad lineam intelligibilem per modum principij, & per modum operationis; in has namque lineas, vt in species, dividitur sine imperfectione, vt contra ipsum diximus *numer.* 47. cum ergo actualis intellectio sit vltima actualitas in linea operativa, in hac linea est debita Divinæ perfectioni; non verò in linea per modum principij, quia ad hanc li-

neam

neam non pertinet. Hoc claret in tot retorsionibus contra ipsum factis, & in actione personali, quæ est vltima actualitas in linea personali; non tamen constituit personam, quia est extra lineam constitutivam.

69 *Arguit. 3. Gonet.* Arguitur tertio ex eodem *suprà citat. num. 65. §. Confirmatur*: si essentia Divina non constitueretur actuali intellectione, aliqua creatura esset actualior essentia Dei; sed hoc implicat: ergo essentia Divina constituitur actuali intellectione. Probatur sequella: actualis intellectio creata actualior intelligitur in linea intelligibili omni, non exprimente actualem intellectionem; sed si essentia Divina non constitueretur actuali intellectione, illam non exprimeret: ergo si essentia Divina non constitueretur actuali intellectione, aliqua creatura esset actualior essentia Dei. *Retorquea.* Hoc argumentum patitur retorsionem claram in actuali sapientia, & volitione creata, *Si dicas.* imo, & in actione personali creata. Si vero dicas: esse diversas lineas. *Dico.* Vltra hoc, quod actio personalis est in linea personali; tibi ò Gonet, dico: intellectuale, & intellectionem esse diversas lineas, scilicet, essendi, & operandi.

70 *Respondeo ad argum.* Respondeo igitur directè, distinguendo sequellam: esset actualior, id est, magis purus actus, quam essentia Dei, nego suppositum; nulla enim creatura est actus purus, omnem potentialitatem excludens; esset actualior, id est, esset in actu secundo, in quo essentia Dei non conciperetur, concedo maiorem; & in hoc sensu, nego minorem, & consequentiam. Cæterum ex hoc non sequitur, creaturam esse perfectiorem essentia Dei; nam creatura cum actuali intellectione est mille imperfectionibus admixta, quas non habet essentia Dei, adhuc sine actuali intellectione concepta.

71 *Arguit. 4. Gonet.* Arguitur quartò ex eodem *citat. num. 66.* si essentia Divina non constituitur actuali intellectione, actualis intellectio conciperetur, vt imperfecta; sed hoc repugnat: ergo essentia Divina constituitur actuali intellectione. Probatur maior: conciperetur, vt dependens, & causata à principio radicali intellectivo; sed dependere, & causari imperfectio est: ergo si essentia Divina non constituitur actuali intellectione, actualis intellectio conciperetur, vt imperfecta. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem; ad probationem distinguo maiorem: conciperetur, vt dependens, & causata, Physicè, nego maiorem; Methaphysicè, concedo maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Hac solutione ruit confirmatio Gonet *citat.* adducta, imò, & adducibilis, quare, eam omitto, & argumentum ex totiès dictis multipliciter retorque.

72 *Arguit. 5. Albeda.* Arguitur quintò ex Albelda *disp. 16. conclusione 5.* etsi Divina intellectio non sit Dei constitutiva sub conceptu operationis; est tamen constitutiva sub conceptu puræ actualitatis: ergo essentia Divina constituitur actuali intellectione. *Probat. antecedens paritatibus.* Antecedens probatur hac duplici paritate. *Prima.* Prima est: etsi relatio non sit constitutiva sub conceptu *in*, est tamen constitutiva sub conceptu *ad*: ergo similiter. Probatur consequentia: non minus est de ratione relationis, supponere subiectum; quam operationis supponere principium: ergo etsi Divina intellectio non sit Dei constitutiva sub conceptu operationis; est tamen constitutiva sub conceptu puræ actualitatis.

73 *Secunda.* Secunda est: etsi Paternitas non constituat Patrem sub conceptu actionis, & conditionis, ipsum constituit sub conceptu Paternitatis absquè distinctione formali horum conceptuum: ergo etsi Divina intellectio non sit Dei constitutiva sub conceptu operationis, est tamen constitutiva sub conceptu puræ actualitatis.

74 *Respondeo ad argum. Ad 1. paritatem.* Respondeo ad argumentum negando antecedens. Ad primam paritatem nego consequentiam. Disparitas est: nam quod primo intelligitur in relatione, est conceptus *ad*; conceptus verò *in* secundario; quid ergo mirum, quod constituat sub conceptu *ad*, & non sub conceptu *in*; cæterũ in actione, quæcumque sit, quod primo intelligitur, est conceptus operationis; quare, si sub hoc non est constitutiva naturæ, sub nullo constituet.

75 *Ad 2.* Ad secundam nego etiam consequentiam. Disparitas est: Nam Paternitas non est principium *quo* actionis, vel conditionis, quin potiùs ipsa formalissimè, vt est vltima determinatio, & actualitas, ad generandum filium, est actio; & vt est distinctio realis, & prioritas originis respectu filij, & conditio ad agendum, quæ mu-

ne-

nera excercere potest Paternitas absque distinctione formali horum conceptuum; at essentia est principium *quo* actionis, inter quæ necessaria est formalis distinctio. Et quidem argumentum probat, eandem formalitatem Divinam posse præstare munus essentiæ, volitionis, cæterorumque attributorum, ex quo fiat retorsio.

Retorque.

76 *Dices.* Dices: intellectio se habet, vt conditio, ad volitionem; sed non minus distinguitur à volitione, quam natura, quæ est principium *quo* illius: ergo quod Paternitas sit conditio respectu actionis, non probat excessum distinctionis inter naturam & actionem.

Confirmat. Confirmatur: Paternitas est conditio, vt generetur filius, natura vero Divina est principium *quo* illius; sed maior est distinctio Paternitatis à filiatione, quam naturæ Divinæ ab eadē: ergo quod Paternitas sit conditio respectu actionis, non probat excessum distinctionis inter naturam, & actionem.

77 *Respondeo.* Respondeo negando suppositum minoris: supponit enim, quod intellectio, quia est conditio ad volitionem, distinguitur ab illa, quod est falsum: distinguitur namque, quia in sua linea adæquatè concipitur, quin ex sua ratione formali petat includere volitionem; cuius oppositum in Paternitate contingit; nam cum debeat à filiatione realiter distingui, & hæc distinctio in Divinis solum habeatur vi relationis, petit secum formaliter identificare rationem actionis, & conditionis, ne in Divinis dentur plures, quam quatuor relationes.

Ad cōfirm. Ad confirmationem, nego similiter suppositū minoris; non enim distinguitur à filiatione, quia est conditio, quod supponit confirmatio, sed quia adest oppositio relativa.

78 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: essentia Divina secundum primum conceptum intelligitur vivens in actu secundo; sed non vita vt sic: ergo vita intellectuali: ergo essentia Divina constituitur actuali intellectione. Probatur maior: essentia Divina secundum primum conceptum intelligitur habens perfectionem à se; sed vita in actu secundo est perfectio à se: ergo essentia Divina secundum primum conceptum intelligitur vivens in actu secundo.

Respondeo. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: essentia Divina secundum primum conceptum intelligitur habens perfectionem à se, pertinentem ad lineam essendi, concedo maiorem; ad lineam operandi, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam.

§. VI.

Sententia Jesuitarum impugnatur.

79 *Opinio Jesuitarum.* COmmunis Jesuitarum opinio asserit: vltimò Methaphisicè Dei constitutivum esse collectionem omnium attributorum, & perfectionum, quæ sunt simpliciter simplices. Ita Ruiz, Molina, Valencia, cui opinioni adhærere videtur Amicus *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 79. docens: formale constitutivum Dei esse ipsum esse, secundum totam latitudinem essendi, prout importat perfectiones sapientiæ, volitionis, &c. Hæc opinio reiecta manet ex dictis contra existentiam §. 2. & contra intellectionem actualem §. *anteced.* Et vltra.

80 *Reffellit. 1.* Reffellitur primò hac ratione: natura Divina, nostro modo meliori Methaphisico concipiendi, vt distinguitur ab omni creatura, attributo, modo, & relatione, debet vltimatè constitui per aliquam ita simplicem formalitatem, vt nec per rationem nostram concipiatur vt multiplex, quarum vna sit communis, alia particularis, vna radix, & alia radicata; sed nequit ita constitui per collectionem attributorum: ergo collectio attributorum non est Dei constitutiva. Minor huius syllogismi est certa: nam quando dicitur, collectionem plurium aliquam rem constituere, non concipimus simplicissimam formalitatem, sed plura aggregata.

81 *Prob. mai.* Maior vero probatur: natura creata, scilicèt, homo, nostro meliori modo Methaphisico concipiendi, vt distinguitur ab omni alio, quod homo non est, & ab omni eius passione, & modo, constituitur vltimatè per formalitatem rationalitatis; ita simplicis, vt nec per rationem nostram concipiatur, vt multiplex, quarum vna sit communis, & alia particularis, vna radix, & alia radicata: ergo similiter. Antecedens est certum. Consequentia legitima: nam hic quærimus de constitutivo Dei ad modum, quo concipimus constitutivum creaturæ.

82 *Respondent 1. Exemplis*

Huic rationi duplex à Jesuitis adhibetur solutio. Prima est: non repugnare, rem aliquam creatam constitui duplici formalitate, quarum vna sit prior alia, vt claret his exemplis. *Primum*: relatio constituitur vltimo per ordinem ad subiectum, & per respectum ad terminum, & tamen prior est ordo ad subiectum, quam respectus ad terminum. *Secundum*: essentia hominis est apprehensiva, iudicativa, & discursiva, similitèr etiam intellectiva, & volitiva, inter quæ datur ordo posterioris, & prioris. *Tertium*: homo physicè constituitur corpore, & anima; corpus tamen est prius.

83 *Quartum. Quintum.*

Quartum: si volitio Divina realitèr distingueretur ab intellectione, vtraque Deus physicè constitueretur; intellectio tamen esset prior. *Quintum*: Christus physicè constituitur humanitate, & Divinitate, & hæc est prior. *Sextum*: persona, ex natura, & personalitate. *Septimum*: vniversum physicè constituitur collectione creaturarum, in quibus datur ordo prioris, & posterioris. Denique in sententia probabili Scotistarum, beatitudo formalis physicè constituitur per visionem, & fruitionem, similitèrque prædestinatio, per iudicium regulans electionem, & per electionem mediorum, quæ est iudicio posterior: ergo verum est dictum antecedens.

Sextum. Septimum. Octavum.

84 *Contra.*

Contra: etsi non repugnet, creaturam physicè, & Methaphysicè constitui per plura, quorum vnum sit prius alio, vt ad summum probant exempla; repugnat tamen vltimò constitui per plura, vt probat exemplum de homine in *num.* 80. & licèt hoc non repugnet, quod exempla contra nos non probant; repugnat tamen constitui per plura, quorum vnum sit radix alterius; atqui in Deo attributa à nobis concipiuntur vt radicata, essentia vero vt radix; nam sic concipimus passiones, & essentiam in creatura: ergo nostro modo meliori Methaphysico concipiendi, nequit Deus vltimò constitui per collectionem attributorum.

85 *Respondeo ad exempla in generali.*

Ex his habes duplicem responsionem generalem ad exempla contra nos obiecta (excepto septimò, quod quia omninò est præter rem, speciali indiget solutione.) Prima responsio est: quod nullum constituitur vltimò per duplicem formalitatem. Secunda: quod hoc admisso, vna non esset radix alterius. Quibus solutionibus stat sufficiens disparitas, prout ad præsens attinet. Veniamus iam ad exempla in particulari.

86 *Ad 1. exemplum.*

Respondeo ad primum: relationem vltimò constitui per respectum ad terminum; non vero per ordinem ad subiectum, quia per hoc convenit cum omni accidente absoluto; per illud vero ab omni, quod relatio non est, distinguitur. Item: etsi vtroque constitueretur, ordo ad subiectum non esset radix respectus ad terminũ. Ad secundum dico: quod vnum non est radix alterius. Ad tertium: nego, quia homo physicè vltimatè constituitur per tertiam entitatem impartibilem in plures physicas entitates. Item, dato antecedenti, respondeo sicuti ad primum. Similitèr respondeo ad quintum, & sextum. Ad quartum, nego antecedens: cuius ratio, & simul instantia claret in intellectione, & volitione creata. Imo dato antecedenti, respondeo vt ad primum.

Ad 2. Ad 3.

Ad 4. 5. 6.

87 *Ad 7.*

Ad septimum dico: quod vniversum est totum gaudens tantum vnitate ordinis; quare collectione multorum constituitur; Deus autem est vnus, vnitate perfectissima, & simplicissima; ex quo claret ad vltimum disparitas: nam Scotistę illam opinionem sequentes, asserunt: beatitudinem formalem, & prædestinationem, esse vnum, vnitate ordinis tantum. Deindè: licèt esset vnum per se, respondeo per dicta ad secundum.

Ad 8.

88 *Respondeo in forma ad replicã.*

Ex quibus in forma respondeo ad replicam Jesuitarum, distinguendo antecedens: non repugnat rem aliquam creatam, vnam vnitate ordinis tantum, constitui duplici formalitate, quarum vna sit prior alia, concedo antecedens; vnitate per se, subdistinguo: constitui non vltimò per duplicem formalitatem, quarum vna sit prior alia, concedo antecedens; vltimo, iterum subdistinguo: constitui per duplicem formalitatem, quarum vna sit prior alia tantum prioritate antecedentiæ, omitto antecedens; prioritate causalitatis methaphysicę, vel radicantis, nego antecedens, & consequentiam. Patet solutio ex immediatè dictis.

89 *Respond. 2.*

Secunda solutio concedit: rem creatam non posse vltimò constitui

per

per duplicem formalitatem; negat tamen, Deum sic non posse constitui; nam cum Divina essentia sit in omni linea infinita, petit continere formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem, & consequenter omni tali perfectione constitui. Hæc est tota mens Jesuitarum, vnicumque illorum fundamentum. Hæc responsio nulla est in nostra opinione de distinctione formali essentiæ, & attributorum; sed ab hoc pro nunc præscindendo.

Nullitas solutionis ostenditur.

90 *Contra.* Contra: etsi omnia prædicata Divina in re nulla distinctione distinguantur, tamen iuxtà nostrum modum concipiendi intelligimus in Deo essentiam, attributa, & relationes: ergo licèt verum sit, quod omnia illa in re Deum constituant; tamen iuxtà nostrum modum concipiendi, cui latet, quod in re est, nequit constitui methaphisicè vltimatè per omnia illa; quia hic quærimus de constitutivo Dei iuxtà nostrum modum concipiendi. Vrgeo amplius: etsi omnia absoluta, & relativa, in Deo sint in re iuxtà Jesuitas absquè aliqua distinctione obiectiva; tamen iuxta nostrum modum concipiendi essentia Divina non constituitur vltimo per relationem: ergo etsi omnia attributa, & perfectiones Dei sint in re absquè aliqua distinctione obiectiva; tamen iuxtà nostrum modum concipiendi, nequit Deus methaphisicè vltimatè constitui per omnia illa.

Vrgetur.

91 *Reffellit. 2. opinio Jesuitarum.* Reffellitur secundò Jesuitarum opinio: natura Divina nostro modo concipiendi constituitur per id, quod primò in illa concipimus, vt radix cæterorum; sed non concipimus primò collectionem attributorum: ergo non constituitur primò per prædictã collectionem. Maior patet: nam hic loquimur de constitutivo naturæ Divinæ, prout à nobis concipitur ad modum naturæ creatæ. Probatur minor: attributa à nobis concipiuntur ad modum passionum rei creatæ; sed istæ non primò à nobis concipiuntur in re creata: ergo non concipimus primò collectionem attributorum.

92 *Dices.* Dices: esse disparitatem: nam cum in creatis radicatio vnius passionis in alia sit possibilis, passiones non primò concipiuntur; at cum in Divinis radicatio importet imperfectionem, omnes Divinæ perfectiones æquè primò conveniunt Deo. Contra hoc diximus *num.* 47. & vltra sic: essentia Divina est radix relationum: ergo radicatio in Divinis non dicit imperfectionem, & consequenter non æquè primò conveniunt Deo. Probatur antecedens: essentia Divina non constituitur formaliter per relationes, vt Jesuitæ fatentur; alioquim in Patre, v.g. non esset tota essentia, contra ipsos: ergo essentia Divina est radix relationum. Probatur consequentia: essentia Divina, vt constituta, est infinita in linea relativa, saltim eminenter, vel virtualiter; sed nequit sic esse infinita, quin sit radix relationum: ergo essentia Divina est radix relationum.

93 *Reffellit. 3.* Reffellitur denique: Jesuitæ explicant constitutivum Dei opposito modo, ac nos concipimus constitutivum cuiuscumque rei creatæ: ergo non benè explicant. Antecedēs constat: nam constitutivum cuiuscumque rei creatæ concipimus in aliqua formalitate, quæ sit radix aliorum, cuius oppositum omninò Jesuitæ in Deo asserunt. Consequentia probatur: hic quærimus constitutivum Dei ad modum, quo concipimus constitutivum cuiuscumque rei creatæ; sed Jesuitæ explicant Dei constitutivum opposito modo, ac nos concipimus constitutivum cuiuscumque rei creatæ: ergo non benè explicant.

94 *Arguit. 1.* Arguitur primò: essentia Divina est infinita in omni genere perfectionis simpliciter simplicis: ergo collectione omnium talium constituitur.

Respondeo. Respondeo distinguendo antecedens: essentia Divina est infinita in omni genere perfectionis simpliciter simplicis, realiter identicè, concedo antecedens; formaliter subdistinguo: radicando, concedo antecedens; alio modo, nego antecedens, & distinguo consequens: ergo constituitur collectione omnium talium, realiter identicè, concedo consequentiam; methaphisicè, & formaliter, nego consequentiam.

Essentia itaquè Divina methaphisicè constitutivè concepta, non est infinita formaliter in omni genere; sed tantum in genere essentiæ, vel naturę est infinita formaliter, quæ infinitas formalis in genere essentiæ dicitur radicalis, quia radicat omnes perfectiones Dei radicabiles in ipsa, ad distinctionem infinitatis cuiuscumque

attri-

attributi, quæ non radicat infinitatem alterius, de quo *infrà*, dum propriam aperiam mentem.

95 *Retorqueo.* Retorqueo etiam argumentum: eſſentia Divina eſt infinita in omni genere, tàm abſoluto, quàm relativo: ergo conſtituitur per relationes, contra ipſos. Hæc retorſio habet ſpecialem vim contra Jeſuitas, concedentes relationibus infinitam perfectionem.

96 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: quando conceptus alicuius rei pluralitatē importat, non concipitur eſſentia illius cōſtituta, quin pluralitas concipiatur; ſed formaliſsimum Dei ſignificatum pluralitatem importat, ſcilicèt, rationem actus puri, infiniti, &c: ergo eſſentia Dei non concipitur conſtituta, quin pluralitas concipiatur. *Confirm. 1.* Confirmatur primò: ſi Deus non conſtitueretur omni perfectione attributali, poſſet cogitari aliquis modus melior conſtitutivus illius; ſed hoc falſum eſt: ergo Deus conſtituitur omni perfectione attributali. Probatur maior: ſi Deus conſtitueretur eſſentia, & volitione, eſſet melior modus cognitione noſtra, quam ſi ſola eſſentia conſtitueretur: ergo ſi Deus non conſtitueretur omni perfectione attributali, poſſet cogitari aliquis modus melior conſtitutivus illius.

97 *Confirm. 2.* Confirmatur ſecundò: quia Divina ſcientia eſt optima in linea ſcientiæ, petit conſtitui omni ſcientiæ perfectione: & ſimilitèr: quia omnipotentia eſt optima in ratione omnipotentiæ, petit conſtitui per continentiam omnium; ſed eſſentia Dei eſt optima in linea entis: ergo petit conſtitui omni perfectione in linea entis.

98 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum, diſtinguendo minorem: pluralitatem importat radicalitèr, implicitè, & identicè, concedo minorem; explicitè, & conſtitutivè, nego minorem, & conſequentiam. *Ad 1. cōfirmation.* Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem: modus melior, & repugnans, concedo maiorem, & non repugnans, nego maiorem, & diſtinguo ſimilitèr probationem. Repugnat enim Deo methaphiſicè conſtitui per quid pertinens ad lineam operativam, vt contra Gonet diximus *num.* 66. Deindè retorqueo vt *ſuprà* in Divinis relationibus, & in quacumque re creata, quæ meliori modo conſtitueretur eſſentia, & paſsionibus; quam eſſentia dumtaxat. *Retorqueo.*

Ad ſecundam confirmationem diſtinguo minorem: eſt optima in linea entis per modum naturæ, concedo minorem, per modum attributi, modi, vel relationis, nego minorem; & diſtinguo conſequens: ergo petit conſtitui omni perfectione ad lineam naturæ pertinente, concedo conſequentiam; ad aliam lineam, nego conſequentiam. Quælibet enim res eo modo, quo eſt optima, debet conſtitui optima perfectione; cum ergo natura Divina ſecundum ſe, & præciſsis attributis, ſit optima in linea entis per modum naturæ, ideò omni perfectione huius lineæ debet conſtitui, quin aliqua attributalis, modalis, vel relativa entitas, ſeu perfectio, in illius methaphiſicam conſtitutionem ingredi valeat. 99 *Ad 2. cōfirmation.*

Retorqueo etiam: quia enim ſcientia Dei eſt optima in linea ſapientiæ tantum, conſtituitur per optimum huius lineæ; non verò per aliquid alterius lineæ; ſimilitèrque de omnipotentia: ergo quia natura Divina per modum naturæ ſolum eſt optima in linea naturæ, ſolum debet conſtitui per optimum huius lineæ. 100 *Retorqueo.* *Confirmat.* Confirmatur ex dictis de relationibus: nam ex eo, quod natura Divina ſit optima in linea entis, non infertur, quod per relationes conſtituatur: ergo ſimilitèr: non infertur, quod conſtituatur omni perfectione in linea entis.

Dices: Deum conſtitui omni perfectione attributali, cedit in magnam Dei æſtimationem: ergo ſic conſtituitur. Hoc argumentum probat: Deum conſtitui relationibus, & quacumque rem creatam proprietatibus, cum ex hoc magna æſtimatio Deo, & creaturis proveniat ob eandem rationem. Quare reſpondeo negando antecedens; nam magna Dei æſtimatio eſt, methaphiſicè conſtitui per radicem attributorum, cum quibus realitèr ſummè identificatur. 101 *Dices.* *Retorque.* *Reſpondeo.*

§. VII.

Declaratur noſtra ſententia.

Concluſio: *Infinitas radicalis naturæ Divinæ, dicta radicalis, quia radicat omnes perfectiones radicabiles in ipſa, & conſiderata, vt infinitas naturæ intellectualis, ſeu quaſi determinativa gradus intellectualitatis, ratione cu-* 102 *Concluſio.*

ius hoc intellectivum Dei distinguitur vltimò ab omni alio intellectivo, est excellentissimum Dei vltimum methaphisicè constitutivum. Hæc conclusio est cœteris rationabilior, ad ipsamque præbet Scotus fundamentum *quæst.3.prologi, §.ad 1.quæst.* Et *in 1.distinct.3.quæst.2. §.Quarto dico*, vbi asserit: *Infinitatem esse conceptum perfectissimum, quem possumus habere de Deo pro hoc statu*, vt diximus *tom.1.in 1.Sentent.disput.4.numer.65.* in illaque §. 7. 8. & 9. manet probata, & ab argumentis defensata. Videantur ibi dicta, quia hic ea transcribere non licet.

Vide tom. 1 in 1. Sent. disp.4.§.7. 8.& 9.

EX TRACTATU DE MODIS INTRINSECIS DEI.

DE Modis intrinsecis Dei, quià Pontio negativa attributa nominantur eo, quod non nisi per negationes explicari valent, nihil egit Ill.Godoy; sed quia ad plurima valent, & plura sunt, quę magnam habent controversiam, tùm: inter Scotistas; tùm etiam inter istos, & Thomistas, aliquas quæstiones, selectas certè, de his modis, relictis non selectis, hic pertractare, placitum mihi visum est. Pro quo sit.

QUÆSTIO QUINTA.

Quomodo modus intrinsecus distinguatur à re, cuius est modus?

§. I.

Quæ certa sunt, declarantur, & opiniones referuntur.

Num.1 *Dantur modi intrinseci, & quædam illorũ proprietas.*

CErtum est primò: dari modos intrinsecos, quod fatetur Scotus *in 1.dist.8.quæst.3.* Declarat D. Thomas *quæst.1.de Veritate, artic.1.* Et *quæst.22.artic.1.* communitèrque docent omnes vtriusque Doctoris sequaces, quin aliquis ex alienis ab hac dissonet veritate. Certum est secundò, quod modus intrinsecus est determinata rei perfectio, qua vnum commensuratum cum alio, vel excedit, vel exceditur, vt habet Scotus *quodlib.5.* & claret in quolibet modo intrinseco.

2 *Modi intrinseci dicũt aliquid positivũ.*

Tertiò certum est: quod licèt modi intrinseci explicari nequeant, nisi per negationem, dicunt aliquid positivum. Cuius prima ratio est: nam nihil repugnat simplicitèr alicui, nisi ratione alicuius positivi; atqui aliqua Deo repugnant simplicitèr ratione modorum intrinsecorum: ergo modi intrinseci dicunt aliquid positivum. Consequentia est legitima. Maior est regula Scoti generalis. Minor verò probatur: Deo simplicitèr repugnat, recipere aliquid de nobo, deperdere aliquid, quod habeat, & deficere. Item: ipsi simplicitèr repugnant compositio, & componibilitas. Deniquè: ipsi repugnat simplicitèr terminus perfectionis; atqui hæc repugnant simplicitèr Deo ratione modorum intrinsecorum: ergo aliqua Deo repugnant simplicitèr ratione modorum intrinsecorum.

Probat. 1.

Probatur minor: nam primum Deo simplicitèr repugnat ratione immutabilitatis; hæc enim ex Scoto *in 1.dist.8.quæst.5.§.Huius exclusivæ,*

3 *Prob. min.*

℣. *Ideò*, affert triplicem negationem, actualem, aptitudinalem, & potentialem, ad recipiendum, quod non habet, ad deperdendum, quod habet, & ad deficiendum. Secundum ratione simplicitatis; nam hæc dicit triplicem prædictam negationem ad compositionem, & componibilitatem. Tertiũ denique ratione infinitatis; hæc namque dicit triplicem suprà dictam negationem termini, & limitis perfectionis ex Scoto *in 4. dist. 13. quæst. 1. §. de secundo artic.* ℣. *Ad probationem: ergo.* Sumo nunc: atqui immutabilitas, simplicitas, & infinitas formalis sunt modi intrinseci Dei, ex *infrà* dicendis cum communi Theologorum sententia: ergo repugnant simpliciter Deo ratione modorum intrinsecorum. Eadem ratio formetur de quolibet modo intrinseco, servata cuiuscumque proportione.

4 *Probat. 2.* Secunda ratio est: nam modi intrinseci sunt positivæ perfectiones in Deo repertæ, per quas Deus positivè distinguitur à creatura: ergo dicunt quid positivum. *Dices:* modi intrinseci explicantur per negationem: ergo non sunt quid positivum. *Respondeo* concesso antecedenti, negando consequentiam, quia plura alia, tàm in creatis, quam in Divinis, per negationem explicantur, & in positivo constituunt, vt docent omnes Philosophi, & Theologi.

5 *Quædam proprietas modi intrinseci.* Certum est quartò: quod modus intrinsecus non variat rationem formalem rei, cuius est modus; alioquin modus essentialiter facere differre, quod est falsum. Cæterum falsum est, quod hæc sit diffinitio modi intrinseci, vt aliqui Scotistæ tenent cũ Pontio, & Smising, pro cuius falsitate declaranda noto: quod per ly *cuius est modus*, potest intelligi, vel modificatum, scilicèt, subiectum modificatum per modum, v.g. ens, Deus, homo, &c. quomodo intelligitur ab aliquibus Scotistis; vel potest intelligi constitutum ex modo, & modificato, quomodo intelligitur ab Smising, Tartaretum citante.

Diffinitio modi intrinseci à quibusdã Scotistis traditur.

6 *Reijcitur diffinitio allata.* Sed quomodocumque intellecta prædicta diffinitione, falsa est, quod sic ostenditur: prædicta diffinitio convenit alijs à diffinito: ergo non est bona. Probatur antecedens: prædicta diffinitio, primo modo intellecta, convenit differentiæ propriissimæ, & secundo modo intellecta, convenit attributo, & passioni: ergo convenit alijs à diffinito. Probatur antecedens quoad primam partem: differentia non variat rationem formalem generis, quod contrahit; alioquim animal secundum se esset diversæ rationis in homine, & in bruto; quod est falsum: ergo prædicta diffinitio, primo modo intellecta, convenit differentiæ.

Antecedens pro 1. p. probat.

Quoad secundam partem probatur: talis diffinitio facit hunc sensum: modus intrinsecus non variat rationem formalem rei constitutæ per modum, v.g. infinitas non variat rationem formalem entis infiniti; sed hoc convenit attributo, & passioni: ergo talis diffinitio convenit attributo, & passioni. Probatur minor: modum intrinsecum non variare talem rationem, vel intelligitur primo differentialiter, vel secundo? Si secundum, hoc est falsum, quia modus intrinsecus, scilicèt, infinitas, variat secundò differentialiter ens infinitum; illud enim ab ente finito distinguit. Si primum: hoc habet attributum, & passio; nam neutrum variat rationẽ formalem rei constitutæ per attributum, & passionem primo modo differentialiter, vt omnibus claret: ergo quocumq̃ modo diffinitio allata intellecta, convenit attributo, & passioni.

7 *Probat. quoad 2.*

Dices cum Scotistis prædictis: Scotus *in 1. dist. 8. quæst. 3. §. Ad 1. principale*, sic modum intrinsecum diffinit: *Modus intrinsecus est, qui non variat rationem formalem rei, cuius est modus*: ergo vera est apud Scotum diffinitio prædicta. Respondeo negando antecedens; quia Scotus in loco *citat.* talem diffinitionem non adducit; nec bona esse potest, vt claret ex dictis.

8 *Dices.* *Respondeo.*

Vndè hac modi intrinseci diffinitione relicta, sic à nobis diffinitur: Modus intrinsecus *est perfectio formaliter existens in re, cuius est modus, significata, & concepta per modum formæ adiacentis essentiæ, pertinens intensivè ad statum perfectionis rei.* Vel *est perfectio simpliciter simplex formaliter existens in Deo, significata, & concepta per modum formæ adiacentis essentiæ, pertinens intensivè ad statum perfectionis rei.* Explicatur diffinitio: per ly *perfectio simpliciter simplex*, excluduntur relationes, quæ vel perfectionem non dicunt, vt ait Scotus, vel saltim

9 *Modus intrinsecus diffinitur.* *Explicatur diffinitio.*

non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, vt plures dicunt Thomistæ. Item: excluduntur omnia prædicata, quæ formaliter considerata, nullam in Deo ponunt perfectionem, nec entitatem realem, vt esse Creatorem, Provisorem, Prædestinatorē, &c.

10 Per ly *formaliter existens in Deo*, excluduntur prædicata, quæ dicuntur de Deo Methaphoricè, vt esse Leonem, Solem, &c. & virtualiter, vt quælibet creatura. Per ly *concepta per modum formæ adiacentis Divinæ essentiæ*, excluduntur omnia prædicata, quæ sunt de essentia Dei, vt ens, substantia, &c. Per ly *pertinens intensivè ad statum perfectionis illius*, excluduntur omnia attributa, quæ tantum pertinent ad statum extensivum Divinæ essentiæ, vt tenent omnes.

11 *Probatur, bonam esse dictā diffinitionem.* Ex his habes: prædictam diffinitionem soli modo intrinseco convenire, per ipsamque à quocumque non tali primò distingui, consequentèrque bonam esse. Sed ne formalizata deficiat probatio, probatur brevitèr, bonam esse talem diffinitionem: illa est bona diffinitio, quæ habet aliquid per modum generis, & aliquid per modum differentiæ; sed hoc habet allata diffinitio: ergo est bona. Probatur minor: per prima verba convenit cum attributis, & per vltima, scilicèt, *pertinens intensivè ad statum perfectionis illius*, differt ab illis: ergo prædicta diffinitio habet aliquid per modum generis, & aliquid per modum differentiæ.

12 *Modi intrinseci nō sunt infiniti.* Quinto certum est contra aliquos *citat.* a Smising. *Tract. 2. disp. 1. quæst. 1. num. 9.* modos intrinsecos non esse numero infinitos, pro cuius opinione stat Scotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. §. De secundò artic. ℣. Dico, ergo num. 32.* cuius ratio est: quia neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex ratione colligi potest talis numero infinitas: imò, non est ratio, cur hoc occultaret Deus, cum alia misteria, æquè sublimia, à Deo sint revelata.

13 *Objicies.* Si tamen objicias aliquas Authoritates Patrum asserentium: perfectiones Dei esse infinitas. *Respondeo primò:* loqui de infinitate intensiva, per quod satisfit ad argumentum desumptum ex eo, quod Deus est infinitum pellagus perfectionum. *Respondeo secundò:* loqui de prædicatis, quæ perfectionem non important, vt sunt respectus ad creaturas, & de his ponderativè, non quia sint numero infiniti, quia hoc absolutè repugnat, vt dicitur in phisica; sed quia sunt ferè innumerabiles.

14 Quarè, modi intrinseci communitèr assignati sunt: infinitas, simplicitas, seu ratio actus puri, immutabilitas, æternitas, immensitas, invisibilitas, incomprehensibilitas, infabilitas, esse incausatum, seu esse à se, vel aseitas, & necesse esse, de quibus omnibus, & quibuscumque alijs, si assignentur, procedit præsens difficultas, pro cuius resolutione.

15 *Modus non est de quid ditatē rei.* Certum denique omnino est: modum intrinsecum non esse de quidditate rei, cuius est modus, vtpotè, posteriorem quidditate, ex quo manifestè deducitur, distingui à re, cuius est modus. De modo verò, quo distinguitur, est inter Scotistas dubium.

16 Circa quod prima sententia tenet: modum intrinsecum distingui tantum formaliter negativè, quia non est formalitas distincta ab illa, cuius est modus. Hanc opinionem tenent communitèr Scotistæ, quam secutus est quidam Subtilis Scotista in suo tractatu manu scripto. Sed meo videri, inconsequentèr; nam concedere distinctionem formalem attributorum ab essentia, & inter hanc, & modos, illam negare, est inconsequentèr procedere, vt ait Smising *tract. 2. disp. 1. quæst. 2.* Secunda sententia oppositum tenet, & hoc est, quod iudico certius. Sic Mayron *in 1. dist. 2. quæst. 6.* dicens: conceptum entis infiniti esse resolubilem in realitatem entis, & formalitatem modalem. Huius opinionis est etiam Vulpes *in præsenti disp. 3. art. 3.* Item, *disp. 18. artic. vltim.* asserens: immensitatem esse modum distinctum formaliter ex natura rei, tàm ab infinitate, quàm ab essentia, cum quibus, & contra Scotistam prædictum sit.

§. II.

Statuitur conclusio, & probatur.

17 *Conclusio.* COnclusio: *Modus intrinsecus distinguitur formaliter modaliter à re, cuius est modus.* Sic Scotus. Probaturque primò ex ipso *in 1. dist. 8. quæst. 3. §. Ad primum argumentum principale, num. 26.* vbi ait: *Concedo, quod iste conceptus dictus de Deo, & de creatura in quid, contrahitur per aliquos conceptus* *Scotus.*

di-

Probat. 1. ex Scoto.

dicentes quale contrahentes. Ex quo sic efformatur ratio: implicat, quod idem formalissimè conceptus à parte rei sit conceptus in quid, & in quale; sed ex Scoto conceptus rei est in quid, & conceptus modi est in quale: ergo implicat, quod conceptus rei sit idem formalissimè cum conceptu modi: ergo implicat, quod modus, & res, cuius est modus, sint formalitèr idē: ergo modus intrinsecus distinguitur formalitèr modalitèr.

18 *Aliter formatur ratio.*

Aliter formatur ratio: absolutè repugnat: quod determinabile, & determinans sint à parte rei eadem formalitas; nam de ipsis verificātur prædicata contradictoria, quæ est Scoti ratio, & convincens, ad probandam distinctionem formalem, vt diximus *tom. 1. in 1. Sent. disp. 5. num. 226.* & à nullo Scotista negari valet; sed res est determinabilis per modum, & modus est determinans: ergo modus intrinsecus distinguitur formalitèr à re, cuius est modus.

19 *Probat. 2. ex Scoto.*

Probatur secundò ex eodem *citat. num. 27.* dicente: *Respondeo, quod quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo, ille conceptus non est ita simpliciter simplex, quin possit concipi illa realitas absque modo illo*: ergo ex Scoto realitas distinguitur formalitèr à suo modo intrinseco; alioquin cōcipi sine illo nequiret: ergo modus intrinsecus distinguitur formalitèr modalitèr à re, cuius est modus.

20 *Confirmat. exemplo.*

Confirmatur exemplo tradito ab ipso Scoto *citat. Si esset albedo sub decimo gradu intensionis, quantumcumque esset simplex omninò in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis tantæ, & tunc conciperetur perfectè conceptu adæquato illi rei; vel posset concipi præcisè sub ratione albedinis, & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente à perfectione rei; conceptus autem imperfectus posset esse communis illi albedini, & alijs*, Sic Scotus: ergo ex ipso necessaria est distinctio inter albedinem vt sic, & albedinem tantam; sed talis distinctio est à parte rei, quæ à nobis vocatur formalis: ergo inter albedinem vt sic, & albedinem tantam datur distinctio formalis. Atqui tanta albedo, scilicèt, gradus albedinis, est modus intrinsecus albedinis vt sic: ergo modus intrinsecus distinguitur formalitèr à re, cuius est modus.

21

Probatur tertiò ex eodem *citat. Paulo infrà* vbi vcusquè dicta ad propositum applicando, ait: *Requiritur igitur distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus communis, & illud, à quo accipitur conceptus proprius*, ideſt, inter ens, & modum eius intrinsecum, *non vt distinctio realitatis, & realitatis, sed vt distinctio realitatis, & modi eius intrinseci*: ergo modus intrinsecus distinguitur à re, cuius est modus; atqui non distinctione formali realitatis à realitate: ergo formalitèr modalitèr.

Probat. 3. ex eodem.

Probatur quartò ex eodem *citat. num. 28. V. Etsi dicas*, vbi ait: *Concedo, quod conceptus ille communis Deo, & creaturis, est finitus, hoc est, non est de se infinitus positivè, ita, quod de se includat infinitatem, quia si esset infinitus, non esset de se communis finito, & infinito; nec est de se finitus positivè, ita, quod de se includat finitatem, quia tunc non competeret infinito, sed est de se indifferens ad finitum, & infinitum, ideò est finitus negativè.* Sic Scotus, ex quo probationem forma, vt in *numer. 17.* Item Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Ad primam quæstionem*, ait: *Infinitatem esse à priori demonstrabilem ab habente quidditativum Dei conceptum.* Ex quo argumentū forma, vt dicto *num. 17. & 18.*

22 *Probat. 4. ex eodem.*

Probatur quintò conclusio ratione: modus intrinsecus est per se conceptibilis: ergo formalitèr distinctus à quacumque alia formalitate. Probatur antecedens primò: modus intrinsecus est formalitas; sed formalitas est per se conceptibilis; hæc enim est eius diffinitio: ergo modus intrinsecus est per se conceptibilis. Secundò: modus intrinsecus, scilicèt, infinitas, est conceptibilis sine alio modo, scilicèt, æternitate: ergo, &c.

23 *Probat. 5. conclus. ratione.*

Probatur sextò: Deus est formalitèr infinitus, æternus, &c: ergo ab aliqua formalitate, hoc ipsi formalitèr tribuente. Atqui non à formalitate essentiæ; alioquin ante infinitatē formalem, & formalem æternitatem, esset formalitèr infinitus, & æternus, quod est falsum: ergo ab aliqua formalitate formalitèr distincta à formalitate essentiæ. Sed non ab alia, nisi ab ipsa infinitate, & æternitate: ergo infinitas, & æternitas, sunt formalitates distinctæ ab essentia. Tunc sic: sed sunt modi intrinseci illius: ergo modus intrinsecus distinguitur formalitèr modalitèr à re, cuius est modus.

24 *Probat. 6.*

Probatur septimò: quotiescumque

25 *Probat. 7.*

vnum excluſit aliud à ſuo conceptu formali, vel diverſa diffinitione, aut deſcriptione diffinitur, aut de ipſo demonſtratur aliquid, quod de alio non demonſtretur, vel de ipſo, in quantum tali, verificatur aliquid, quod de alio non verificatur (ſi omnis via diſtinctionis realis deeſit) formaliter ex natura rei diſtinguntur; ſed eſſentia quælibet excludit modum intrinſecum à ſuo conceptu formali ex *num.* 15. diverſa diffinitione diffinitur, de ipſa demonſtratur aliquid, quod de modo non demonſtratur, & denique de ipſa, in quantum tali, verificatur aliquid, quod de modo non verificatur, & è contra: ergo cum via diſtinctionis realis non adſit, formaliter ex natura rei diſtinguntur. Maior patet: nam illę ſunt viæ diſtinctionis formalis. Minor, & conſequentia tenent.

26 *Probat.* 8. Probatur octavò concluſio: modi intrinſeci dimanant à re, cuius ſunt modi: ergo ab illa formaliter diſtinguntur. Probatur conſequentia: omnis dimanatio requirit ſaltim diſtinctionem formalem inter principium dimanativum, & dimanatum, vt de omnibus claret; ſed per te modi intrinſeci dimanant à re, cuius ſunt modi: ergo ab illa formaliter diſtinguntur.

§. III.

Argumenta Scotiſtæ prædicti ſolvuntur.

27 *Arguit.* 1. ARguit primò Scotiſta prædictus ex Scoto *in* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 3. *num.* 27. dicente: *Reſpondeo, quod quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinſeco, non eſt ita ſimpliciter ſimplex, quin poſſit concipi illa realitas abſquè modo illo, ſed tunc eſt conceptus imperfectus illius rei. Poteſt etiam concipi ſub illo modo, & tunc eſt conceptus perfectus illius rei*: ergo modus intrinſecus non diſtinguitur formaliter modaliter à re, cuius eſt modus. Deindè: in vltimis verbis ait: *Quod modus, & res eſt eadem formalitas perfectè, & imperfectè concepta*, quod repetit *num.* 29: ergo ſecundum Scotum modus intrinſecus nō eſt diſtincta formalitas.

28 *Reſpondeo ad* 1. Reſpondeo ad primum: potiùs Scotum nobis favere, vt claret ex ipſis verbis pro nobis *num.* 19. adductis ad noſtram probandam concluſionē. Nec facit ad rem, quod realitas ſine modo concepta, ſit conceptus imperfectus, & perfectus, quando cum modo concipitur; nam hoc intelligitur de conceptu perfecto, & imperfecto in linea modali; non vero in linea eſſentiali; & ratio eſt evidens, primò: quia realitas ſine modo concepta, concipitur cum omnibus prædicatis eſſentialibus: ergo cum omni perfectione eſſentiali. Secundò: quia modus pertinet ad lineam modalem, non ad eſſentialem: ergo quod realitas ſine modo concepta ſit conceptus imperfectus, & perfectus, quando cum modo concipitur, intelligitur de conceptu perfecto, & imperfecto in linea modali.

29 *Ad* 2. Ad ſecundum reſpondeo: Scotum ibi tantum velle, diſtinguere modum intrinſecum à differentia, quod facit, primò: quia differentia terminat conceptum proprium, ſcilicèt, genus, cum ſuo modo intrinſeco; modus verò intrinſecus non, vt ait verbis immediatè ſequentibus, ℣. *Iſtud poteſt ſic declarari.* Secundò: quia differentia variat eſſentialiter rem conſtituram per ipſam; non verò modus intrinſecus. Et quod hæc ſit Scoti mens claret ex Scholio *ibi*. Cœterum quod modus non diſtinguatur à re, cuius eſt modus, Scotus non dicit, quin potiùs oppoſitum, vt patet per quatuor probationes ex ipſo eodem loco, pro noſtra cōcluſione deductas.

30 *Vlterius explico Scotū.* Vlteriùs, & aliter explico Scotum: modus, & res eſt eadem formalitas, formalitate rei, concedo; formalitate rei, & modi, nego; nam in qualibet re, affecta ſuo modo intrinſeco, eſt vna tantum formalitas formalitate rei, de qua loquitur ibi Scotus. Cœterum vltra hanc, eſt alia formalitas formalitate modi, quam Scotus ibi non negat; imò admittit, vt per noſtras conſtat probationes.

31 *Aliter explico Scotū.* Deniquè explico aliter Scotum: modus, & res eſt eadem formalitas, ſumpta formalitate propriè, & propriſsimè, concedo; ſumpta communiſsimè, & communiter, nego. Hæc explicatio eſt eiuſdem Scoti *quodlib.* 3. *num.* 2. §. *de primò*, vbi tenet: Quod res quatuor modis accipitur. Primò: communiſsimè, & ſic ſe extendit ad omne, quod non eſt nihil, quomodo ens rationis etiam dicitur res. Secundò: communiter, & ſic ſe extendit ad omne, quod eſt à parte rei, quomodo modus intrinſecus rei dicitur

res, alioquin esse nihil. Tertio: propriè, & ita significat rem, vt distinguitur contra modum rei. Quartò: propriſsimè; & ita solum significat ens reale absolutum per se existens. Nihil pro explicatione clarius.

32 *Arguit.* 2. Arguitur secundò ex eodem: determinata perfectio hominis, v.g. qua excedit brutum, non est distincta formalitas ab ipso homine; sed modus intrinsecus hominis est ipsius determinata perfectio: ergo modus intrinsecus non distinguitur formaliter à re, cuius est modus. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: determinata perfectio specifica, & essentialis hominis, non est distincta formalitas ab ipso homine, concedo maiorem; gradualis, & modalis, nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Vel distinguo, vt in *num.* 30.

33 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò ex eodem: eadem formalitas potest perfectè, & imperfectè cognosci: ergo in eadem formalitate datur perfecta cognoscibilitas: ergo id, quod fuerit de eius perfecta cognoscibilitate, non erit distincta formalitas; sed modus intrinsecus est de perfecta cognoscibilitate illius, cuius est modus: ergo modus intrinsecus non distinguitur formaliter à re, cuius est modus. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: eadem formalitas potest perfectè, & imperfectè cognosci, tam essentialiter, quàm modaliter, concedo antecedens; essentialiter tantum, nego antecedens; & similiter distinguo primum consequens. Distinguo secundum: quod fuerit de eius perfecta cognoscibilitate essentiali, non erit distincta formalitas, concedo consequentiam; graduali, modali, vel intensiva, nego consequentiam. Distinguo similiter sustumptam, & nego consequentiam.

34 *Arguit.* 4. Arguitur quartò ex eodem: quod non est per se conceptibile, non est distincta formalitas; sed modus intrinsecus non est per se conceptibilis sine formalitate, cuius est modus: ergo modus intrinsecus non distinguitur formaliter modaliter à re, cuius est modus. Probatur minor: determinata perfectio hominis, solum est cognoscibilis per maiorem penetrationem prædicatorum essentialium hominis, conferendo illa cum prædicatis bruti; sed talis perfectio est modus intrinsecus: ergo modus intrinsecus non est per se conceptibilis sine formalitate, cuius est modus. *Respondeo.* Respondeo negando minorem, ad probationem nego maiorem, quam non probat Scotista prædictus, & eius falsitas claret ex *num.* 23.

35 *Arguit.* 5. Arguitur quintò ex eodem: modus intrinsecus non est passio, seu attributum, sed potiùs est intimior essentiæ: ergo modus non est distincta formalitas, sicuti est passio, vel attributum. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: modus non est distincta formalitas, passionalis, vel attributalis, concedo consequentiam; modalis, nego consequentiam. Solutio deducitur ex Scoto *quodlib.* 6. § *Contra ista, num.* 10. vbi loquens de infinitate, & finitate, quæ est magnitudo Dei, & creaturæ, hæc habet verba.

36 *Firmatur solutio ex Scoto.* *Sic ergo concedo, quod est idem Deo esse, quod magnum esse, & aliquomodo, sicut licèt dicere, magis intrinsicè, quam Deo iustum esse, vel sapientem esse, quia non ita dicit* magnum *proprietatem, vel attributum, sicut* iustum, *vel* sapiens: *Transijt ergo in ipsum propter sumam identitatem magnitudinis ad essentiam. Cum infers: ergo non manet secundum propriam rationem magnitudinis, neganda est consequentia; imò in creatis sic transit magnitudo perfectionis, quod non est aliud realiter ab eo, cuius est, & tamen manet secundum propriam rationem magnitudinis.* Sic Scotus ad litteram.

37 Ecce Scotum clarè asserentem: modum intrinsecum esse intimiorem passione, vel attributo, & tamen non ob hoc tollit distinctionem formalem inter rem, & modum, imò ipsam declarat in vltimis verbis; sed hæc distinctio non est passionalis, vel attributalis: ergo modalis. Miror, Scotistam prædictum hunc Scoti locum citare ad probandum suum antecedens, & non videre, Scoti verba esse optimam probationem nostræ conclusionis. *Retorque.* Deniquè argumentum probat: essentiam Divinam non distingui formaliter ab attributis, sicut à relationibus, quia intimiora sunt relationibus.

38 *Aliter respond.* Quare aliter respondeo concedendo totum; nego tamen indè sequi, modum intrinsecum non distingui formaliter à re, cuius est modus, quia quod sequitur, est: distinctionem modi à re, cuius est modus, esse mi-

no-

norem distinctione attributi, vel passionis; nam vt ait Smising *tract. 2. disp. 1. quæst. 2. num. 11.* distinctio modi, & attributi ab essentia in eodem genere est, licèt sit minor distinctio modi.

39 *Vrgebis pro ipso.* Vrgebis pro prædicto Scotista: Scotus *in 1. dist. 3. quæst. 2. §. Quartò dico, num. 17.* sic ait: *Conceptum entis infiniti esse conceptum simpliciorem nobis possibilem*: ergo conceptus entis infiniti est simplicissimus: ergo modus infinitatis non est distincta formalitas à re, cuius est modus. *Respondeo* primò: Scotum *ibi* comparare infinitatem cum attributis, respectu quorum conceptus entis infiniti est simplicior, vtpotè, intimior essentiæ, & ab essentia minori distinctione distinctus, vt claret ex proximè dictis; quarè nihil contra nos. Ibi enim Scotus non loquitur absolutè, vt liquet ex eius verbis; ait enim: *Iste enim simplicior* (ideſt conceptus entis infiniti) quam conceptus entis boni, vel veri, vel aliquorum similium, quia infinitum non est quasi attributum, vel passio entis, sed dicit modum intrinsecum illius. Attendite ad verba, & distinctionem modi à re, cuius fuerit modus, videbitis, licèt minorem distinctione attributi, & passionis.

Respond. 1.

Respondeo secundò ad instantiam: aliud esse, quod conceptus entis infiniti sit cõceptus simplicior nobis possibilis; & aliud, quod sit conceptus simplicissimus, ideſt, ita simplex, quod non sit resolubilis in realitatem entis, & formalitatem modalem. Primum dixit Scotus, & hoc comparativè ad attributa, vt diximus *num. antecedent.* non verò secundum, quod erat necessarium, ad evitandam distinctionẽ formalem, à nobis statutam. Imò oppositum huic simplicitati docuerunt Mayron, & Vulpes, ille *in 1. dist. 2. quæst. 6.* iste *in præs. disp. 3. artic. 3.* & *disput. 8. artic. vltimo.*

40 *Respond. 2.*

o)(?)(o

QUÆSTIO SEXTA.

An æternitas, prout dicit præcisè carentiam principij, & finis, possit communicari creaturæ?

§. I.

Certa declarantur, & sententiæ referuntur.

Num. 1 *Variæ acceptiones æternitatis* VAriè sumitur æternitas. Primò: pro eo, quod est antiquum. Secundò: pro eo, quod longè durat. Tertiò: pro eo, quod habet principium, & fine caret, vt vita æterna. Quibus modis sumitur æternitas latè. Quartò, & strictè: pro eo, quod caret principio, & fine in duratione, estque independentèr ab alio, & diffinitur: *Est interminabilis vitæ total simul, & perfecta possessio*, vt dicitur 4. *Phisicorum*, ibiquè constat, quod æternitas est ipsa Dei duratio. De hac igitur.

Diffinitio æternitatis

2 *Est modus, & perfectio simplicitèr.* Primò certum est, quod æternitas est modus intrinsecus Dei, & perfectio simplicitèr. Constat ex diffinitione modi intrinseci, & perfectionis simplicitèr, quod fatentur omnes Theologi. Certum est secundò, vt probabilius; quod æternitas est quid positivum (de hoc problematicus stat Scotus *quodlib. 6. §. Restat nunc videre, per totum*) ad quod sequitur triplex negatio, scilicèt, termini, successionis, & dependentiæ. Sic Scotus *cit.* deduciturque ex diffinitione æternitatis. Hinc sequitur discrimen æternitatis, tum: à quolibet alio modo intrinseco Dei; tum: ab ævo, & tempore.

Est quid positivũ.

3 *Deus est æternus æternitate stricta.* Certum est tertiò: quod Deus est æternus æternitate stricta. Est de fide, & patet ex Psalmo 89. *A sæculo, & vsquè in sæculum tu es Deus.* Ecclesiast. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia*

omnia simul. Probaturque ratione: Deo convenit diffinitio æternitatis strictè, vt ex ipsa constat: ergo Deus est æternus æternitate stricta. Quartò certum est: quod hæc æternitas stricta repugnat creaturæ, vt fatentur omnes, cuius ratio est manifesta: nam prædicta æternitas includit independentiam ab alio; sed hoc creaturæ repugnat; quia hoc ipso, quod creatura sit, est ab alio dependens: ergo repugnat creaturæ.

Hæc æternitas repugnat creaturæ.

4 *Status quæstionis declaratur.*

Quod autem in dubium vertitur, est: An æternitas, prout præcisè dicit carentiam principij, & finis in duratione, possit cõmunicari creaturæ? Pro cuius declaratione noto: loqui de æternitate cathegorematica, sicut quando de infinitate proponitur similis difficultas, loquitur de cathegorematica infinitate. Hoc supposito, & his declaratis. Duplex opposita sententia in hac difficultate versatur. Prima est affirmativa, quam defendunt communiter Scotistæ, & quam quidam Scotista publicis Thæsibus defensandam tradiddit. Secunda est negativa, cui adhæreo. Pro qua sit.

1. Sententia.

2. Sententia.

§. II.

Statuitur nostra conclusio, & rationibus probatur.

5 *Nostra cõclusio. Scotus. D. Bonav. Probat. 1.*

CONclusio: *Æternitas, prout præcisè dicit carentiam principij, & finis in duratione, nequit communicari creaturæ.* Sic Scotus *in 2. dist. 1. quæst. 2.* Eiusque expressis D. Bonavent. *in 2. dist. 1. quæst. 2.* & conformis ad dicta de infinitate *lib. 3. Phisicor.* Probatur primo: quidquid est in mundo præter Deum, factum vel creatum à Deo est; sed quidquid est sic factum, & creatum, cathegorematicè ab æterno esse non potuit: ergo æternitas, prout præcisè dicit carentiam principij, & finis in duratione, nequit communicari creaturæ. Probatur minor: quidquid est creatum, vel factum, sic factum, & creatum est, transiens de sui non esse, quod verificetur de illo, quod antea non erat, & postea sit; sed quod ita transit, cathegorematicè ab æterno nequit esse: ergo quidquid est sic factum, & creatum, cathegorematicè ab æterno esse non potuit. Probatur minor: quod est ab æterno cathegorematicè, sic semper est, quod in nullo priori reali potest de illo verificari, quod non est, quia si in aliquo instanti non esset, cum posset esse in illo, iam æternum non esset: ergo quod ita transit, cathegorematicè ab æterno nequit esse.

6 *Dices 1.*

Dices primò: hac ratione probari optimè: creaturam nequire necessario produci ab æterno; non verò, quod non possit liberè per voluntatem Dei produci. Contra: hac ratione probatur: Deum nec liberè posse creaturam creare, quin in aliquo priori, antequam creetur, verificetur de illa, quod non est, & potest esse, cum transeat per creationem de non esse ad esse: ergo prædicta ratione probatur: Deum nec liberè posse eam producere ab æterno cathegorematicè; quia quod sic æternum est, in nullo instanti debet non esse.

Contra.

7 *Dices 2.*

Dices secundò: quod non requiritur aliquod instans reale temporis, præcedens creationem, in quo verificetur, quod non est id, quod creatur, sed quod sufficit instans negativum, quod non tollit cathegorematicam æternitatem. Contra primò: sic instãs requiritur, quod verificetur de illo: nunc creatura non est, & posteà accipiet esse à creatore; sed tale instans reale positivum est, quia includit dependentiam creari, & facti: ergo instans, quod requiritur ad esse factum, & creatum, debet esse instans reale positivum, quin sufficiat instans negativum. Contra secundò: illud instans, quod requiritur, sufficit, vt verè, & realiter verificetur: rem creabilem in illo instanti adhuc non esse, & posteà esse: ergo tollit ab ea cathegorematicam æternitatem; quia de hac verificatur, quod in omni reali mensura, & instanti est.

Contra 1.

Contra 2.

8 *Probat. 2. conclus.*

Probatur secundò conclusio: Verbum Divinum est æternum, prout æternitas dicit simplicem carentiam principij, & finis in duratione: ergo creatura nequit esse sic æterna. Probatur consequentia: ex eo, quod Verbum Divinum sit sic æternum, infertur aliquid negativum de Verbo, affirmativum repugnantiæ æternitatis in creatura: ergo creatura nequit esse sic æterna. Probatur antecedens: ex eo, quod Verbum Divinum sit sic æternum, infertur: Verbum Divinum non esse creatum, factum, vel effectũ; sed hoc repugnat creaturæ: ergo ex eo, quod Verbum Divinum sit sic æternum, infertur aliquid negativum

de

de Verbo, affirmativum repugnantiæ æternitatis in creatura.

9 *Declaratur*

Declaratur hoc: vt Verbum Divinum sit æternum, debet negari de illo, quod sit creatum, vel factum, quia de illo debet negari, quod repugnat æternitati; sed esse factum, vel creatum repugnat æternitati, alioquim stare posset, quod Verbum Divinum sit æternum, & quod sit factum, vel creatum, quod est falsum: ergo creaturæ repugnat æternitas, vt dicit carentiam principij, & finis in duratione.

10 *Probat. 3.*

Probatur tertiò: creatura æterna æternitate à te explicata, esset æterna æternitate essentiali: ergo ita esset æterna æternitate essentiali, sicut Deus est æternus æternitate essentiali. Consequentia claret in quibuscumque individuis respectu speciei, vel in quibuscumque speciebus respectu generis. Antecedens claret ex diffinitione æternitatis à Theologis data; hæc enim essentialiter consistit in carentia principij, & finis in duratione, quod haberet creatura æterna æternitate à te explicata. Atqui dissonum est, creaturam posse esse æternã æternitate essentiali, sicut est Deus: ergo repugnat, creaturam posse esse æternam æternitate à te explicata.

11 *Probat. 4.*

Probatur quartò: æquè propria est Deo immutabilitas obiectiva, ac immutabilitas subiectiva; sed creaturæ repugnat immutabilitas propria Dei: ergo æquè repugnat creaturę immutabilitas subiectiva, ac immutabilitas obiectiva. Maior patet: nam æquè repugnat Deo mutatio à privatione ad formam, & à forma ad privationem, ac repugnat mutatio à potentia obiectiva ad actum, seu de non esse phisicè existens, ad esse phisicè existens; sed hæc est obiectiva mutatio, & illa est mutatio subiectiva: ergo æquè repugnat Deo mutatio subiectiva, ac obiectiva; & consequentèr æquè propria est Deo immutabilitas obiectiva, ac subiectiva. Minor videtur apud omnes certa. Consequentia est legitima.

12 *Sussumo.*

Sussumo nunc: atqui cui repugnat immutabilitas obiectiva, repugnat æternitas, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione: ergo cum creaturæ repugnet immutabilitas obiectiva, ipsi repugnat æternitas, prout dicit carentiam principij, & finis in duratione. Probatur sussumpta: cui repugnat immutabilitas obiectiva, repugnat id, à quo provenit talis immutabilitas; sed æternitas, prout dicit carentiam principij, & finis in duratione, est id, à quo provenit immutabilitas obiectiva: ergo cui repugnat immutabilitas obiectiva, repugnat æternitas, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione.

Consequentia est legitima. Maior manifesta. Minor autem verissima; nam immutabilitas obiectiva est repugnantia, seu impossibilitas transitus à potentia obiectiva ad actum, seu de non esse phisicè existens ad esse phisicè existens; sed hæc impossibilitas, vel repugnantia provenit ab æternitate, prout dicit carentiam principij, & finis in duratione; ab hac enim æternitate, sic sumpta, provenit repugnantia, vel impossibilitas inceptionis, & desitionis: ergo æternitas, prout dicit carentiam principij, & finis in duratione, est id, à quo provenit immutabilitas obiectiva.

13 *Respondent contrarij.*

Ex his reiecta manet communis solutio aduersariorum, nempè, quod æternitas vltra carentiam principij, & finis in duratione, dicit independentiam ab alio, quod nunquam haberet creatura, etsi esset æterna. Et hæc est tota doctrina aduersariorum, fundata in diffinitione æternitatis, tradita à Boecio, & à nobis adducta *num.* 1. Reiecta itaque manet hæc solutio per nostras probationes; nam vt ex ipsis constat, directè probant æternitatem, prout dicit carentiam principij, & finis in duratione, repugnare creaturæ. Vltra quod.

14 *Impugn. 1.*

Impugnatur primò prędicta solutio, & simul probatur quintò nostra conclusio, destruendo fundamentum contrariorum: nam data creatura æterna, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione, sequeretur, esse independentem ab alio: ergo sequeretur, esse Deum, quod repugnat: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: data creatura infinita, prout infinitas dicit carentiam principij, & finis in entitate, sequeretur, esse independentẽ ab alio: ergo paritèr: data creatura æterna, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione, sequeretur, esse independentem ab alio. Eadem paritas est de creatura, semel

con-

concedo, quod esset immutabilis, & omninò simplex, quod apud omnes dissonum videtur.

15 *Secundò.* Impugnatur secundò prædicta solutio, & simul probatur sextò nostra conclusio, destruendo fundamentum adversariorum: quod Dei æternitas dicat independentiam ab alio, non tollit, quod creatura æterna, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione, sit æterna eadem essentialitèr æternitate, qua Deus est æternus; sed hoc repugnat; alioquim non repugnaret: creaturam esse infinitam, immutabilem, & omninò simplicem eadem essentialitèr infinitate, immutabilitate, & simplicitate, qua Deus est infinitus, immutabilis, & simplex: ergo repugnat creatura æterna, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione.

16 *Prob. mai.* Probatur maior: independentia ab alio non ingreditur in essentialem constitutionem æternitatis Dei: ergo quod Dei æternitas dicat independentiam ab alio, non tollit, quod creatura æterna, prout æternitas dicit carentiam principij, & finis in duratione, si æterna eadem essentialitèr æternitate, qua Deus est æternus. Probatur antecedens: quod est commune alijs Divinis prædicatis ab æternitate Dei, non ingreditur in essentialē constitutionem æternitatis Dei; sed independentia ab alio est quid commune alijs prædicatis Divinis ab æternitate Dei: ergo independentia ab alio non ingreditur in essentialem constitutionem æternitatis Dei. Maior est apud omnes verissima. Minor apud omnes Theologos certa. Consequentia legitima.

17 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò prædicta solutio, & simul probatur septimò nostra conclusio, destruendo fundamentum contrariorum: quod in diffinitione æternitatis Dei à Boecio tradita, includatur independentia ab alio, non facit, quod independentia ab alio sit de essentia æternitatis Dei: ergo quod creatura æterna æternitate explicata, non esset independens ab alio, non tollit, quod esset æterna eadem essentiali æternitate, qua Deus est æternus essentialitèr; atqui hoc non videtur conveniens: ergo repugnat creatura æterna, æternitate à te explicata. Probatur antecedens: quod in diffinitione beatitudinis obiectivæ à Boecio tradita, includatur aggregatio omnium bonorum, non facit, quod omnia bona sint de essentia beatitudinis obiectivæ, vt fatentur Scotistæ tenentes: essentiam beatitudinis obiectivæ stare solum in essentia Divina: ergo paritèr: quod in diffinitione æternitatis Dei à Boecio traditа, includatur independentia ab alio, non facit, quod independentia ab alio sit de essentia æternitatis Dei.

§. III.

Solvuntur argumenta contrariorum.

18 *Arguit. 1* ARguitur primò: Deus ab æterno potest creare: ergo creatura est possibilis ab æterno: ergo potuit ab æterno produci. *Respondeo.* Respondeo negando vltimam consequentiam: nam licèt in omni instanti verificetur de Deo, posse creaturam creare; non tamen in omni instanti verificatur de creatura posse existere, quia in illo instanti, in quo necessariò non est, vt sit, hoc non verificatur de illa, & Deus ab æterno potest creare eo modo, quo creatura creabilis est.

19 *Dices 1.* Dices primò: si Deus esset causa naturalitèr agens creaturarum, produceret creaturas ab æterno: ergo poterit illas producere ab æterno, etiam si sit causa libera eorum. Patet consequia: quia non minus est potens Deus, quando est causa libera, ac si esset causa naturalis. *Dices 2.* Dices secundò: si aliqua creatura necessariò agēs, scilicèt, ignis, vel Sol, esset ab æterno, ab æterno necessariò aliam creaturam causaret; Sol enim illuminaret ab æterno, & ignis splendesceret: ergo si Deus esset causa naturalis creaturarum, eas ab æterno causaret; multo enim præstantior est Deus, quam creatura.

20 *Respondeo. ad 1.* Respondeo ad primum negando antecedens, quia repugnat creaturæ cathegorematica æterna productio. *Ad 2.* Ad secundum respondeo negando suppositum antecedentis; est enim impossibile ab intrinseco, creaturam aliquam esse ab æterno cathegorematicè, quare ruit argumentum. Imò supposito, quod antecedens esset verum, verum esset, quod infertur ex eo; nam posita vna creatura ab æterno, non repugnaret, aliam esse ab æterno; cum verò primum sit falsum, etiam secundum; quarè nec infertur,

quod

quod si Deus, qui creatura non est, est ab æterno, possit ab æterno creaturam producere, quia non sequitur non repugnantia æternitatis creaturæ in Deo; imò ex Dei æternitate, quod æternitas creaturę repugnet, sequitur.

21 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: non repugnat, creaturam mensurari finito, & limitato modo æternitate: ergo potest existere ab æterno. Probatur antecedens: non repugnat, creaturam subsistere subsistentia Divina, vt est de fide in natura humana Christi Domini: ergo pariter: non repugnat, creaturam mensurari finito, & limitato modo æternitate. Probatur consequentia: non magis distat æternitas à creatura, quam subsistentia Divina; sed creatura subsistit subsistentia Divina finito, & limitato modo; gerit enim vices subsistentiæ creatæ: ergo poterit quoque mensurari finito modo æternitate, gerente vices mensuræ creatæ.

22 *Respond. 1.* Respondeo primò negando paritatem, ob duplicem rationem. Prima est: quia subsistentia Divina communicatur creaturæ, vt purus terminus, quomodo nequit æternitas communicari, quia deberet communicari, vel per informationem, vel per identitatem, & neutro modo valet communicari creaturis. Secunda est: quia subsistentia Divina ex se, nec est quid finitum, nec infinitum, nec æternum, nec non æternum, & sic non dat creaturæ aliquid perfectionis Divinæ; quare potest communicari creaturæ; at æternitas ex se est perfecta, & infinitè perfecta; quare nullo modo potest communicari creaturæ.

23 *Respond. 2. retor quendo argum.* Respondeo secundò: argumentum probare, dari de facto creaturam ab æterno, quia de facto datur creatura subsistens, subsistentia Divina. Item probat: infinitatem, immutabilitatem, cæteraque Divinas perfectiones, imò, & ipsam Deitatem posse cōmunicari creaturis. Deniquè probat: non solum æternitatem, prout dicit simplicem carentiam principij, & finis in duratione, sed etiam vt dicit independentiam ab alio, posse communicari creaturis, quod est contra adversarios. Vndè argumentum patitur omnes has retorsiones.

)(§)(

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Immensitas, vel Ubiquitas possit demonstrari?

§. I.

Aliqua supponuntur, & sensus difficultatis aperitur.

Num. 1 *Quid sit immensitas* SVppono primò: quod Immensitas est perfectio illa, ratione cuius Deus est præsens omnibus rebus realiter existentibus, quamque Deo convenire, est de fide, vt constat ex *Ierem. 23. Cælum, & Terram ego impleo.* Esseque modum intrinsecū Dei, à quocumque alio distinctum, est apud omnes Theologos certum, cuius ratio est: quia Immensitas explicatur quidditativè per aptitudinem intimæ præsentialitatis substantialis in rebus omnibus, tàm existentibus, quàm potentibus existere, ad quam sequitur triplex negatio ad distandū à quocumque loco existente, scilicèt, actualis, aptitudinalis, & potentialis; atqui hoc soli Immensitati convenit: ergo Immensitas est modus, à quocumque alio distinctus.

Est modus intrinsecus Dei.

2 *Immensitas distinguitur ab vbiquitate.* Suppono secundò: quod Immensitas distinguitur ab vbiquitate. Primò: quia illa Deo convenit ab æterno; hęc vero in tempore; nam ab æterno Deus est Immensus, & solum in tempore est vbique. Secundò: quia illa abstrahit ab existentia creaturarum; non autem hæc; quia, omni creatura repugnante, Deus esset Immensus, & non vbique. Tertiò: quia illa est perfectio Dei; non vero hæc; alioquin Deus ab æterno aliqua careret per-

fec-

fectione. Quartò: quia Immensitas est perfectio, per quam Deus potens est intime illabi, seu non distare à rebus, dato, quod existant; at vbiquitas est ipse illapsus, seu indistantia Divinæ essentiæ à rebus, quare vbiquitas connotat existentiam creaturarum; non verò Immensitas.

3 *Sēsus quæstionis.*

Suppono tertiò: quæstionem non procedere de Immensitate, vt distincta ab vbiquitate. Primò: quia hic loquimur de Immensitate, vt coincidit cum vbiquitate. Secundò: quia Immensitas, vt distincta ab vbiquitate, rectè probatur ex infinitate, vt claret hoc syllogismo: de ratione infiniti est includere omnem perfectionem simplicitèr; sed Immensitas, vt distincta ab vbiquitate, est perfectio Dei, & consequentèr simplicitèr: ergo de ratione infiniti est includere omnem perfectionem simplicitèr; atqui Deus est infinitus: ergo & Immensus. Restat ergo dubium de Immensitate, prout idem est, ac vbiquitas, seu de ipsa vbiquitate.

4 *Esse vbiq; stat duplicitèr.*

Suppono quartò: quod aliquid esse vbiquè, duplicitèr valet intelligi ex Scoto *in 4. dist. 10. quæst. 2. §. Et pro istis, & .Et ad probationem, num. 15.* Primò intrinsicè, ex perfectione sua naturali. Secundò extrinsicè, suscipiendo vbiquitatem à Deo. Primò modo repugnat vbiquitas creaturæ; alioquìm esset naturalitèr Immensa. Secundo verò modo potest creaturæ convenire, quia in hoc nulla est repugnantia, vt de possibilitate vnius corporis ad plura loca in Philica cum Doctore Subtili docuimus; eadem enim est ratio, & ex hac suppositione facilitèr ostenditur. Vndè nec Deus est Immensus, quia est vbiquè, nec creatura esset Immensa, etsi esset vbiq.

5 *Triplex modus essendi Dei in rebus.*

Suppono quintò vt certum de fide contra aliquos antiquos Philosophos: Deum esse Immensum, seu esse vbique secundum essentiam, potentiam, & præsentiam, qui modi essendi Dei, relictis varijs opinionibus, sic à nobis declarantur: Deum esse in rebus per essentiam, est, quia est in illis per indistantiam substantialem; esse per potentiam, est idem, ac esse in rebus per operationem activam, & conservativam; esse denique per præsentiam, est, quia cognoscit omnia. Explicatio primi, & secundi modi est Scoti *in 1. dist. 37.* Tertium verò est D. Gregorij, & Scoti *in 1. Report. dist. 37. quæst. 2. §. Ad quæstionem secundam, num. 16.* Vbi clarè explicat triplicem prædictum modum.

6 *Modi speciales essendi Dei in rebus.*

Præter hos tres generales modos, est etiam Deus in creaturis modis specialibus, scilicèt, in lustis per gratiam, in Beatis per gloriam, & in Christo per vnionem hypostaticam, de quibus alienum est in præsenti agere.

7 *Deus non est per essentiam actu positivè præsens spacijs imaginarijs.*

Suppono sextò: quod ex tribus prædictis modis generalibus essendi Dei in rebus, Deus non est actu positivè præsens per essentiam, seu per indistantiam substantialem, spatijs imaginarijs, licèt sit per potentiam, quia potest ibi operari, & per præsentiam, quia spacia imaginata cognoscit. Suppositio est Scoti *in 1. dist. 37. §. Oppositum arguitur.* Et D. Thom. *in 1. dist. 37. quæst. 2. artic. 3.* Estque vera, quidquid dicant Suarius, Molina, Valentia, & Amicus, oppositum sentientes.

8 *Probat. 1.*

Probatur primò ex D. Augustino in *Psalm. 122.* dicente: *Antequam faceret Deus Cœlum, & Terram, vbi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Probatur secundò ratione: spacium imaginarium est nihil; quia spacium imaginarium est illud, quod imaginamus esse extra mundum; tum, quia si non esset nihil, non esset imaginarium; sed in nihilo nihil est actu positivè: ergo Deus non est actu positivè in spacijs imaginarijs. Alias authoritates pro suppositione vide in Smising *tract. 2. disp. 5. à num. 62.* Quæ autem respondent contrarij, vide in eodem *cit. à num. 67.* In Pontio *disp. 3. quæst. 8. num. 36.* In Vulpes *disp. 18. artic. 3. num. 3.* quia hic de hoc amplius non licet.

Secundò.

9 *Objicies 1.*

Objicies primò plures authoritates Scripturæ, & Patrum, in quibus dicitur: Deum esse suprà Cœlum, suprà mundum, suprà omnia, extrà omnia, &c: ergo Deus est actu positivè in spacijs imaginarijs. Respondeo primò: omnes has authoritates significare Immensitatem Dei, ratione cuius potest Deus esse præsens quibuscumque creaturis, si extra mundum producerentur; non verò quod de facto sit extra mundum, vel in spacio imaginario.

Respond. 1.

Secundò.

Respondeo secundò: intelligi de præsentia Dei per potentiam, & præsentiam, non verò per essentiam.

10 *Objicies 2.*

Objicies secundò: Deus est per

essentiam in omni spacio capaci corporis; sed spacia illa sunt capacia corporum: ergo Deus est actu positivè in spacijs imaginarijs. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: Deus est per essentiam in omni spacio capaci, positivè corporis, concedo maiorem; negativè, nego maiorem; distinguoque minorem: sed spacia illa sunt capacia corporum negativè, concedo minorem; positivè, nego minorem, & consequentiam. Quid autem sit spacium capax corporis positivè, & negativè *in 4. Phisicor.* dicitur, dum de vacuo agitur.

11 *Agentia naturalia sũt in triplici differentia.* Suppono septimò: quod agentia naturalia sunt in triplici differentia. Alia sunt, quæ potentia, & actione eiusdem rationis, agunt in propinquum, & remotum, vt ignis calefaciens aerem, & ipso mediante manum. Alia, quæ actione alterius rationis agunt in remotum, & propinquum, vt torpedo mortificans manum piscatoris; non verò rete. Alia sunt, quæ potentia alterius rationis agunt in remotum, & propinquum, vt Sol producens aurum in viscerib⁹ terræ, agendo virtute illuminativa in medio. Sic Scotus *citat.*

12 *Explicat Scotus.* Hoc autem in agentibus naturalibus accidit (ait Scotus *citat.*) vel propter coniunctionem illarum duarum potentiarum activarum in eodem, quarum vna habet pro passo proportionato proximum, & alia remotum, vel propter imperfectionem agentis, seu virtutis activæ, ratione cuius priùs agit secundum formam imperfectiorem, quam secundum perfectiorem, sicut generans corruptibile propter imperfectionẽ virtutis, prius alterat, quam generat.

13 *Explicat insuper.* Vndè (prosequitur Scotus) si ab illis agentibus tollamus, tum talem concursum duarum potentiarũ; tum, prædictam imperfectionem, agens naturale posset agere in distans, nihil agendo in medio, quia agere priùs in propinquum, quam in remotum, non est de ratione agentis vt sic, sed ipsi accidit, vt ait Scotus *in 1. dist. 37.* Et *in 2. dist. 9. quæst. 2.* Quare iudicantes, Scotum admittere, indistantiam agentis ad passum esse conditionem necessariam in quocumque agente creato, male ipsum intellexerunt, vt optimè advertit Smising *in præsenti num. 32. & 33.*

Suppono octavo: Immensitatem Divinam ex varijs attributis a Theologis probari; nam aliqui ex Infinitate, ex Immutabilitate alij, & alij ex Æternitate probant. Alij tandem ex Omnipotentia probant Dei Immensitatem. Ita D. Thomas *1. part. quæst. 8. artic. 1.* De his est dubium. Et ne in æquivoco laboremus.

14 *Immensitas ex varijs attributi probatur.*

Suppono nonò: quod præsens dubium dupliciter proponi potest. Primò: An ex Omnipotentia, alio vè attributo materialiter, & consecutivè, inferatur Immensitas, sicut vnum attributum ratione Infinitatis infertur ex alio. Secundò: An formaliter, & immediatè, seu per locum intrinsecum, à priori, vel à posteriori deducatur, ita, vt præcisè ex operatione Dei in omnibus, alio vè attributo, necessariò inferatur Immensitas, & Vbiquitas? De primo non est dubiũ, quia ab omnibus affirmatur. De secundo est quæstio. Pro qua sit.

15 *Sensus difficultatis.*

§. II.

Declarantur sententiæ.

16 *1. Sentent. D. Thomas. 2. Sentent. Scotus.* Dvplex in generali versatur sententia, opposita ex diametro. Prima, est affirmativa. Hanc tenet D. Thomas, & sui cum ipso. Secunda est negativa, quam tuetur Scotus *citat.* ipsumque præter suos secuntur ferè omnes ex alienis. In particulari autem multiplex est oppinio. Prima est Div. Thomæ asserentis: ex operatione Dei in rebus formaliter inferri illius Vbiquitatem, quam præter suos pauci ex alienis sunt amplexi.

17 *Opiniones Thomistarum.* In modo tamen disconveniunt discipuli. Nam Thomistæ iudicantes: operationem esse ipsam præsentiam cuiusvis spiritualis substantiæ, vel fundamentum proximum relationis præsentiæ, tenent, prædictam illationem esse à priori. Sentientes verò: præsentiam in loco esse conditionem necessariò requisitam, vel saltim concomitantem ad agendum in tali loco, asserunt, prædictam illationem esse à posteriori. Et iuxtà hanc sententiam alijs terminis præsentem proponunt difficultatem, scilicèt, an Deum esse vbiquè præsentem secundum potentiam inferat, ipsum esse vbiquè secundum essentiam? Item sic: an Omnipotentia inferat Immensitatem?

Alijs terminis proponitur difficultas.

18 *2. Sentent.* Secunda sententia est aliorum dicentium: Immensitatem Dei demonstra-

trari, tum, per Infinitatem; tum, per Immutabilitatē; tum per Æternitatē; & tum deniquè, per ipsam Dei entitatem. Tertia sententia per oppositum in particulari tenet: Deum esse vbiq; non esse ratione aliqua demonstrabile. Sic Doctor *citat.* quin obstet censura Dionisij Cartuxiani dicentis: Scoti sententiam videri ex omni parte ineptam, impossibilem, & contradictoria implicantem. Imò, & minus interest censura Molinæ fulminantis: doctrinam Scoti falsam esse, Aristotelis apertè contrariam, & parum in fide tutam; istæ namque censuræ potiùs in eorum doctrinam fulminare deberent; sed modestè loquendo, in ipsos quadrat illud vulgatum: *Qui dicunt, quæ volunt; quæ nollent, audient.* His sententijs declaratis. Sit.

3. *Sentent.*

§. III.

Prima conclusio ponitur, & stabilitur.

19 1. *Concluſ.* PRima conclusio: *Præsentia Dei in rebus à priori per eius operationem non demonstratur.* Hæc conclusio est Scoti *citat*, conformis Scripturæ: nam Job 11. dicitur: *Excelsior Cælo est.* Et 22. *Et suprà Stellarum verticem sublimetur.* Et 3. Regum 8. *Si Cæli Cælorum capere te non possunt, &c.* Quibus in locis Vbiquitas Dei per esse Immensum, & non per operationem explicatur. Consonant etiam Patres, pro quibus Div. Augustinus sufficit, qui *ad Dardanum, lib. de Præsentia Dei*, ait: *Fatendum est ergo, Deum esse vbiquè per Divinitatis præsentiam; non per inhabitationis gratiam.* Quid clarius!

Probat. ex Scriptura.

Probat. ex D. Auguſt.

20 *Ex Aristol.* Imò huic conclusioni Aristoteles fabet 8. *Phisicor. text.* 84. 1. *de Cælo, cap.* 9. Et *text.* 22. Et *lib.* 2. *text.* 66. Et hæc nostra sententia fuit vera Aristotelis opinio; nam cum *lib. ad Alexandrum* retulisset, veteres Philosophos sensisse, Deum in rebus omnibus esse, quia omnia efficit, & conservat, subiungit: *Divinæ Excellentiæ magis convenire, vt in vno, ac supremo loco residens, omnia indè consiciat.* Deniquè propiciatur D. Thomas: nam *quodlib.* 11. *quæst.* 1. *artic.* 1. *ad* 4. ait: *Si Deus non esset vbiquè, nihilominus gubernaret omnia providentia.* Censurent nunc opinionem Scoti, & earum censuram in Scripturam, & Patres, Aristotelem, & D. Thomam retrogredi, experientur.

Ex D. Thoma.

Probatur primò conclusio ratione: si operatio Dei esset ratio formalis, vel fundamentalis, præsentiæ Dei in rebus, Deus non posset operari, vbi non esset per essentiam; sed potest Deus operari in spacijs imaginarijs, in quibus non est per essentiam: ergo præsentia Dei à priori per eius operationem non demonstratur. Minor quoad primam partem est certa: nam Deus potest producere alium mundū in spacijs imaginarijs. Quoad secundam etiam patet: quia in nihilo Deus non est per essentiam; sed talia spacia sunt nihil: ergo potest Deus operari in spacijs imaginarijs, in quibus non est per essentiam.

21 *Probat. 1. concluſ. ratione.*

Maior vero probatur: si operatio Dei esset prædicta ratio, operatio Dei non præcederet præsentiam Dei: ergo si operatio Dei esset ratio formalis, vel fundamentalis, præsentiæ Dei in rebus, Deus operari non posset, vbi non esset per essentiam. Probatur antecedens: ratio formalis propter quam aliquid competit alicui subiecto, non præcedit illud: ergo si operatio Dei esset prædicta ratio, operatio Dei non præcederet præsentiam Dei. Antecedens claret: quia enim quantitas est ratio formalis præsentiæ circunscriptivæ co poris, quantitas non præcedit corpus. Consequentia optimè infertur.

22 *Prob. mai.*

Confirmatur primò: quando Deus produxit mundum in spacio, in quo nunc est, vel Deus erat ibi antecedentèr ad illam actionem transeuntem, vel non? Si secundum: ergo operatus est Deus, vbi non erat, & consequentèr operatio Dei præcessit eius præsentiam, quod rationi formali repugnat. Si primum: ergo operatio non est talis ratio formalis, vel fundamentalis. Probatur hæc consequētia: nullum posterius est ratio formalis prioris; sed per te operatio est posterior præsentia Dei: ergo operatio non est talis ratio formalis, vel fundamentalis.

23 *Confirm. 1.*

Confirmatur secundò: præsentia per operationem aliquando est prior, & aliquando posterior, præsentia secundum essentiam; sed prius, & posterius rationi formali pugnant ex dictis: ergo præsentia per operationem non est ratio formalis, vel funda-

24 *Confirm. 2.*

mentalis, præsentiæ per essentiam. Probatur maior: quando res primò accipit esse, priùs est Deus in re operando, quam essendo; & in re, in esse iam constituta, priùs est Deus essendo, quam operando: ergo præsentia per operationem aliquando est prior, & aliquando posterior, præsentia secundum essentiam. Antecedens quoad primam partem constat ex dictis.

25 *Prob. antec.* Quoad secundam probatur: operatio Dei circa rem iam constitutam, est formaliter conservativa; sed ante hanc supponitur Deus præsens rei: ergo in re, in esse iam constituta, priùs est Deus essendo, quam operando. Probatur minor: in primo instanti creationis rei, intelligitur Deus illi actualiter præsens; sed hoc instans est ante operationem conservativam: ergo ante hanc supponitur Deus præsens. Infero: ergo saltim ex operatione Dei conservativa non infertur formaliter eius præsentia: ergo præsentia Dei in rebus à priori per eius operationem non demonstratur.

26 *Respondet Caietanus.* Ad probationem, & confirmationes respondet Caietanus, negando, Deum posse operari, vbi non est, quia esse per operationem, & esse per essentiam in spiritualibus coincidunt; nam istæ præsentiæ (ait Caietanus) nec sunt omninò duæ, nec omninò vna, sed se habent medio modo, scilicet, præsentia per operationem vt *quo*, & præsentia per essentiam vt *quod*, sicque vna præsentia est quodam modo prior altera; nam arguitur à præsentia operationis ad præsentiam per essentiam, tamquam à ratione ad id, cuius est ratio.

27 *Contra 1.* Cæterum hæc solutio Caietani, quæ rem verè confundit, & nihil declarat, eo tamen modo, quo est intelligibile. Contra primò: nam prædictæ præsentiæ, vel sunt vna, vel non? Si primum: petit Caietanus principium, nam infert vnam præsentiam per eandem ipsam. Si secundum: ergo saltim priùs natura operatur, quam sit præsens: ergo quando produxit hoc vniversum, operatus fuit, vbi non erat, contra Caietatum.

28 *Contra 2.* Contra secundò: prædictæ præsentiæ sunt realiter distinctæ: ergo ruit solutio Caietani. Probatur antecedens: ratio, qua vtitur D. Thomas, ad probandam ex operatione Dei eius præsentiam, sumit suam vim ex proportione ad agentia naturalia; vtitur namque authoritate, & ratione Aristotelis; atqui in agentibus, & passis naturalibus, istæ præsentiæ realiter distinguntur: ergo prædictæ præsentiæ sunt realiter distinctæ.

29 *Contra 3.* Contra tertiò: inter illas præsentias vna est ex Caietano quodam modo prior altera; sed hoc dato, præsentia per essentiam debet esse prior: ergo cum Caietanus oppositum teneat, deficit in responsione. Probatur minor: in agentibus naturalibus, ex quorum proportione ratio Div. Thomæ procedit, prior est præsentia, quam operatio: ergo dato, quod inter illas præsentias vna sit quodam modo prior altera, præsentia per essentiam debet esse prior; alioquin ratio Div. Thomę non cōcludit. Antecedens est D. Thomæ, & Thomistarum asserentium: præsentiam, vel propinquitatem agentis esse quid præsuppositum ad actionem.

30 *Respondet Bannes.* Respondet Bannes concedendo, Deum posse operari, vbi non est; addit tamen, quod eo ipso, quod operatum incipit esse, statim Deus est in illo, quia in sensu composito semper est verum, quod Deus est, vbi operatur, quatenus ad operationem, vel cum operatione necessariò connectitur præsentia per essentiam. Respondeo concedo totum, quia tantum probat, materialiter inferri, ex dictis §. 1. *num.* 15. ex quibus quam plurimæ possunt retorsiones efformari. *Respondeo.*

31 *Respondet Suarius.* Respondet Suarius per oppositum ad Caietanum: præsentiam secundum essentiam præsupponi præsentiæ secundum operationem, non rebus ipsis creandis, sed spacio imaginario, & hoc, non quia actu sit illi præsens, sed potentia, & virtute tantum. Contra primò: quia hoc tantum probat à posteriori, contra quod dicam §. *sequenti.* *Contra 1.* Contra secundò: quia præsentia à Suario assignata non est actualis, vt ipse fatetur; sed hic quærimus de actuali: ergo ruit solutio. *Contra 2.*

32 *Respondent alij.* Respondent alij negando minorem probationis quoad secundam partem: dicunt enim: Deum esse per essentiam, actu præsentē spacio imaginario. *Contra.* Contra: quia in eo, quod est nihil, nequit Deus esse reali existentia; sed illud spacium est nihil: ergo Deus non est per essentiam, actu præsentem spacio imaginario. Probatur

ma-

maior: præsentia realis est relatio realis; sed realis relatio necessariò petit extrema realia: ergo in eo, quod est nihil, nequit Deus esse reali existentia.

33 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundò conclusio: si per impossibile Deus non esset Immensus, Deus esset vbiquè, & non operaretur vbique: ergo operatio nō est formalis ratio, aut fundamentalis, præsentiæ Dei in rebus. Confirmatur ab oppositò: si per impossibile Deus non esset Immensus, & esset Omnipotens, Deus operaretur vbiquè, quin Deus esset vbiquè: ergo operatio non est formalis ratio, aut fundamentalis, præsentiæ Dei in rebus.

34 *Prob. vtrũque antec.* Probatur vtrumque antecedens: illę sunt rationes formales Deo essendi, & operandi vbiquè, quibus positis, Deus est, operaturque vbiquè, & quibus sublatis, Deus nec est, nec operatur vbiquè; sed tales rationes sunt Omnipotentia, & Immensitas: ergo his positis, Deus est, & operatur vbiquè, & his ablatis, nec est Deus, nec operatur vbiquè: ergo posita vna, scilicèt, Immensitate, & alia, scilicèt, Omnipotentia ablata, vel è contra, Deus erit vbiquè, & vbiquè non operabitur, vel è contra: Verum igitur est vtrumque antecedens. Maior est certa: nam hac ratione dicimus: materiam, formam, & privationem esse principia mutationis; Beatitudinem formalem, in visione, fruitione, vel in vtroque consistere, & sic de alijs.

35 *Prob. min. 1* Minor probatur primò: per Omnipotentiam non concipitur Deus formalitèr coexistere creaturis, sed eas facere; neque per Immensitatem concipitur, eas facere, sed illis iam factis coexistere: ergo rationes formales Deo essendi, & operandi vbiq; sunt Omnipotentia, & Immensitas.

Secundò. Probatur secundò: Omnipotentia, & Immensitas sunt attributa, vel formalitèr distincta, vel cum fundamento in re; sed Omnipotentia est Deo ratio formalis essendi in rebus per operationem: ergo Immensitas est ratio essendi in rebus per essentiam: ergo rationes formales Deo essendi vbiq; & operandi, sunt Omnipotentia, & Immensitas.

36 *Probat. 3. concluſ.* Probatur tertiò conclusio: si daretur substantia corporea infinitè immensa, de se esset vbiquè ratione Immensitatis, non verò ratione operationis; sed Deus est substantia Divina infinitè Immensa: ergo de se esset vbiquè ratione Immensitatis, non verò ratione operationis: ergo ex operatione formalitèr non infertur ratio præsentiæ Dei in rebus.

37 *Solutio Thomistarum.* Respondent Thomistæ: hoc argumentum esse contra Scotistas: nam quod facit quantitas in substantia corporea, facit operatio in spiritualibus: cum ergo substantia corporea sit vbiquè per quantitatem, Deus erit per operationem. *Respond. 1.* Respondeo primo negando antecedens: nam quantitas de se est occupativa loci, non verò operatio. *Secundò.* Respondeo secundò: dato antecedenti, nego suppositum consequentis, scilicèt, substantiam corpoream esse vbiquè per quantitatem, quod sic probo: substantia corporea, omni quantitate denudata (quod de potentia Dei fieri potest) erit alicubi: ergo si est infinitè immensa erit vbiq; atqui non per quantitatem, vtpotè, illam non habens: ergo per suam Immensitatem.

38 *Retorqueo.* Ex hoc retorqueo contra Thomistas: quantitas non est ratio, cur substantia materialis sit alicubi, vt diximus: ergo nec operatio est ratio, cur substantia spiritualis sit alicubi. Consequentia claret: nam secundum Thomistas: quod facit quantitas in substantia corporea, facit operatio in spiritualibus. Videant nunc Thomistæ, si est contra nos, vel contra ipsos tertia probatio conclusionis.

39 *Solutio generalis Thomistarum.* Cæterum non prætermitam generalem responsionem Thomistarum ad omnes prædictas probationes. Dicunt enim, præallatas rationes probare tantum, Immensitatem esse Deo rationem radicalem essendi in loco quocumque; non verò esse formalem, quia hæc est operatio.

40 *Contra 1.* Contra primò: quia operationem non esse talem rationem formalem, omnes convincunt probationes. *Contra 2.* Cōtra secundò: forma reperta in quocumque concreto, ipsumque constituens, est ratio formalis effectus formalis cōcreti; sed Immensitas est forma constituens hoc concretum *Immensum*, cuius effectus formalis, vel primarius est, esse vbiquè: ergo Immensitas est ratio formalis Vbiquitatis. Maior patet in quocumque concreto. Minor est evidens. Consequentia bona.

o)(§)(o

§. IV.

Statuitur secunda conclusio, & probatur.

41 *2. Conclus.* SEcunda conclusio: *Præsentia Dei in rebus non demonstratur à posteriori per eius operationem.* Sic Scotus *citat.* Et probatur primò: si ex operatione Dei à posteriori deduceretur eius præsentia, esset, quia præsentia in loco esset conditio necessariò requisita, vel saltim concomitans, ad agendum in tali loco; sed præsentia in loco non est talis conditio: ergo præsentia Dei in rebus non demonstratur à posteriori per eius operationem. Maior est Thomistarum, vt diximus §. 2. *num.* 17. Minor verò probatur primò: agens, sivè creatum, sivè increatum potest agere in distans, etsi nihil agat in medio: ergo præsentia in loco non est conditio necessariò requisita, nec est concomitans, ad agendum in tali loco. Antecedens pro agente increato est Philosophi, etsi errandò, tenentis: Deum non esse in omnibus rebus, sed tantum in supræmo Cœlo, vt patet ex 1. *de Cœlo, text.* 22. in quo loco affirmat: Deum operari in omnibus rebus. Vltra quod.

Probat. 1.

42 *Antecedens probatur de agente increato.* Probatur ratione dictum antecedens: quia si per impossibile Deus nō esset vbiquè, haberetque infinitam virtutem agendi, posset agere in quacumque parte huius mundi, etiam si non ageret in medio: ergo Deus, qua agens est, potest agere in distans, etsi nihil agat in medio. Probatur antecedens: quidquid est perfectionis debet concedi Deo; sed agere in quacumq; parte huius mundi absque aliqua actione in medio, esset maioris perfectionis in Deo, vt Div. Thomas *quodlib.* 11. fatetur: ergo si per impossibile Deus non esset vbiquè, haberetque infinitam virtutem agendi, posset agere in quacumque parte huius mundi, etiam si non ageret in medio.

43 *Probat. 1. de agente creato.* Probatur dictum antecedens de agente creato, primo: nam datur agens creatum, agens in distans dependens de facto ab actione in medium; sed hæc dependentia potest à Deo supleri: ergo agens creatum potest agere in distans, etsi nihil agat in medio. Probatur minor: Deus potest supplere dependentiam in genere causæ efficientis; sed illa dependentia actionis à medio est efficiens: ergo hæc dependentia potest à Deo supleri. Confirmatur: de facto datur creatura agens in distans, agendo priùs in medio; sed potest à Deo creari creatura diversæ rationis in agendo: ergo agens creatum potest agere in distans, etsi nihil agat in medio. *Confirmat.*

Probatur secundò: maior, vel saltim æqualis connexio, est inter motum in extremum per medium, quam inter actionem in distans per mediū; sed potest Deus facere, quod aliquid moveatur de extremo ad extremum, quin transeat per medium, vt patet de corpore Christi, cum è Cœlo in hostiam descendit: ergo agens creatum potest agere in distans, etsi nihil agat in medio. 44 *Secundò.*

Probatur tertiò: secundum plures adversarios dantur de facto aliquæ res, quæ etsi de facto non habeant virtutem ad aliquos effectus, elevantur tamen de facto à Deo, tanquam instrumenta, ad producendum in subiecto loco distanti illos effectus; sicque dicunt: ignem Inferni actione physica torquere Dæmones in hoc aëre cōmorantes; humanitatem Christi Domini actione etiam physica fecisse miracula in locis distantibus, & qui hoc negant, saltim à Deo fieri posse, affirmant: ergo etsi de facto non detur creatura agens in distans, quin agat in medio, potest tamen elevari à Deo, vt absquè actione in medium agat in distans. 45 *Tertiò.*

Probatur consequentia: maior improportio datur inter illa, quam inter agens, & actionem in distans: ergo etsi de facto non detur creatura agens in distans, quin agat in medio, potest tamen elevari à Deo, vt absq; actione in medium, agat in distans. Probatur antecedens: improportio inter illa est quoad substantiam, cum ex se careant virtute ad illos effectus; inter agens verò, & actionem in distans, est quoad modum agendi; cum ex se habeant virtutem: ergo maior improportio datur inter illa, quam inter agens, & actionem in distans. 46 *Prob. consequentia.*

Probatur quartò dictum antecedens his experientijs. Prima est: Magnes atrahit ferrum distans. Secunda: Remora transiens detinet Navim. Tertia: Torpedo mortificat manum Piscatoris. Quarta: Basiliscus visu in- 47 *Quartò probat. antec. experiētijs. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.*

ter-

Quinta. terficit homines distantes. Quinta est de his, qui in quacumque distantia sentiunt se moveri, quando moriuntur aliqui amici, vel cognati. *Sexta.* Sexta: de metallis in visceribus terræ productis. *Septima.* Septima, & melior est: de Acu Nautica, quæ fictu Magnetis ita disponitur, vt ab Stella Pollari distanti, non obstante cuiuscumque corporis interpositione, moveatur à se, & detineatur in certo situ: ergo agens creatum potest agere in distans, etsi nihil agat in medio.

48 *Solutio Thomistarum.* Ad has experientias respondent Thomistæ, quod illa, quæ videntur immediatè agere in remotum, semper etiam aliquid agunt in propinquum, etsi nesciamus, quid illud sit. *Contra 1.* Contra primò: nam hæc solutio admittit saltim aliquam actionem esse in remotum, quæ non sit in propinquum: ergo propinquitas in distantia, vel præsentia localis, non est conditio ad agendum requisita, vel concomitans. Consequentia est bona. *Contra 2.* Contra secundò: nam etsi de facto agens creatum prius agat in propinquum, quam in remotum; potest tamen agere in remotum, nihil agendo in propinquum, vt diximus *num.* 41: ergo ruit solutio.

49 *Contra 3.* Contra tertiò datur agens creatum, quod agat in distans, nihil agendo in medio: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: vnus Angelus potest alteri, & animæ separatæ, à se distantibus, imprimere aliquem effectū, quin similis effectus recipiatur in medio: ergo datur agens creatum, quod agat in distans, nihil agendo in medio. Antecedens est D. Thomæ 1. *part. quæst.* 107. *artic.* 1. *iuncta responsione ad tertium*, vbi docet: *Angelos sibi invicem loqui, non solum volendo, quod alteri pateat conceptus suus, sed etiam excitando alterum ad attendendum per aliquam ei impressam virtutem intelligibilem, qua intellectus eius moveatur, sicut sensus movetur à sensibili*, & hanc motionem nulla distantia impediri, nec in medio prius recipi, quam in Angelo, ad quem fit locutio, docet *artic.* 4. *& quæst. V. de Anima, artic.* 5. *in corpore sub fine.*

50 *Contra 4.* Contra quartò: quod agens naturale agat prius in proximum quam in remotum, non provenit ex intrinseca ratione agentis, sed ipsi accidit, vel ex concursu duarum potentiarū subordinatarum in eodem agente, vel ex imperfectione ipsius virtutis, vt diximus ex Scoto §. 1. *num.* 12: ergo agens, in quo neutra istarum conditionum invenitur, poterit agere in distans, quin agat in proximum; atqui Deus est tale agens: ergo poterit agere in distans, quin agat in proximum: ergo si per impossibile Deus non esset vbiquè, posset vbiquè operari.

51 *Contra 5.* Contra quintò: nam si in illis agentibus, & actionibus non experiuntur Thomistæ effectum aliquem in medio, quomodo ab experientia vniversali in agentibus creatis iactant, se probare, non fieri actionem in distans?

52 *Probat. 2. minor posita, num. 41.* Probatur secundò minor prædicta, posita *num.* 41. scilicèt, quod præsentia in loco non est conditio ad agendum: nam si talis præsentia esset conditio necessaria, vel esset ex parte effectus, vel ex parte actionis, vel ex parte agentis; sed ex nullo eorum est necessaria: ergo præsentia in loco non est conditio ad agendum. *Prob. min. quoad 1. p.* Probatur minor quoad primam partem: effectus tantum in suo esse dependet ab agente; sed potest recipere esse, quin sit ei intimè substantialitèr præsens: ergo talis præsentia non est necessaria conditio ex parte effectus. Probatur minor: causa efficiens, de qua hic est sermo, non petit esse intrinsicè in effectu; est namque ex suo genere extrinseca: ergo potest recipere esse, quin sit ei intimè substantialitèr præsens.

53 *Prob. quoad 2.* Probatur quoad secundam: actio solum est via ad communicandum esse effectui; sed si actio est transiens, de qua hic loquimur, est extrinseca agenti, & intrinseca passo; si verò sumatur pro causalitate, est respectus intrinsecus adveniens, vt dicitur 3. *Physicor.* & quocumque modo potest esse actio in distans: ergo talis præsentia non est conditio necessaria ex parte actionis. Probatur minor quoad vtrāque partem: nam si est extrinseca agenti, potest esse actio, vbi non est agens; si est relatio intrinsecus adveniens, hæc resultat inter extrema distantia, vt patet in relatione similitudinis inter duo alba: ergo sivè actio sit transiens, sivè sumatur pro causalitate, quocumque modo potest esse actio in distans.

54 *Prob. quoad 3.* Probatur quoad tertiam: causa efficiens ex suo genere est extrinseca;

er-

ergo non se communicat per intimam exhibitionem effectui, vt in materia evenit, & forma: ergo dat esse à se distinctum, & seiunctum: ergo prædicta præsentia non est necessaria ex parte agentis.

55 *Confirmat. hæc ratio.* Confirmatur hæc ratio: si talis præsentia esset necessaria ex parte agẽtis, vel esset ex parte agentis, vt creati, & hoc non: quia hoc dato, inferre non licet, esse necessariam agenti infinito, nam hoc esset ob limitationẽ agentis. Vel ex parte agentis, vt infiniti, & hoc neutiquam: quia talis indistantiæ necessitas derogaret infinitati Dei; esse enim coactum ad agendum solum in propinquum, videtur limitationem involuere. Vel ex parte agentis, vt sic, & hoc minus: primò: ob dicta *num.* 50. Secundò: quia si hoc esset, vtiquè agenti, finito, scilicèt, & infinito, conveniret, quod repulsum manet: ergo prædicta præsentia non est necessaria ex parte agentis.

56 *Probat. 3. suprà posita minor.* Probatur tertiò suprà posita minor: si per impossibile Deus esset in aliquo loco, vel situ determinato, posset producere immediatè aliquid in loco, vbi non esset: ergo præsentia in loco non est conditio ad agendũ. Probatur antecedens: Deus est Omnipotens, & Omnipotentia eius est voluntas, ad cuius velle sequitur, rem produci, vt apud aliquos est probabile; sed Deus potest velle, rem produci, vbi ipse non esset per essentiam: ergo si per impossibile Deus esset in aliquo loco, vel situ determinato, posset producere immediatè aliquid in loco, vbi non esset.

Confirmat. Confirmatur efficacitèr: si ad meum velle sequeretur, rem esse, possem agere immediatè in distans, quia possem, hoc velle; sed ad velle Dei sequitur, rem esse: ergo si per impossibile Deus esset in aliquo loco, vel situ determinato, posset producere immediatè aliquid in loco, vbi nõ esset.

57 *Respondet Caietanus.* Respondet Caietanus: illam conditionalem ab Scoto positam repugnantiam involuere; nam quod sit Omnipotens, & certo loco comprehendatur, non stant simul, quia ex Omnipotentia potest in quodcumq; vbicumque; cæterum ex eo, quod esset in certo loco comprehensus, non potest nisi in proximum.

58 *Contra 1.* Contra primò: nam illa suppositio repugnat tantum per locum ab extrinseco; sed huiusmodi suppositiones debent admitti, imò passim à Theologis admittuntur: ergo illa debet admitti. Totum est D. Thomæ; ipse namque facit suppositionẽ, quam ipse facit Scotus, vt diximus *num.* 20. Sumo nunc; atqui hac admissa suppositione, evidentèr colligitur: Deum posse immediatè agere in distans: ergo ruit solutio Caietani.

59 *Contra 2.* Contra secundò: quia ratio, ob quam nequit agere agens immediatè in distans, provenit ex limitatione situali, vel locali, vt ait Caietanus: ergo petit principium. Probatur consequentia: in præsenti quærimus: An agens in certo loco existens, possit agere in distans? Et negat Caietanus, ob limitationem localem: ergo respondet per id, quod est in controversia: ergo petit principium: ergo ruit solutio.

60 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundò conclusio: si per impossibile esset aliqua creatura, circa quam Deus nullam post creationem exerceret actionem, Deus erit in illa: ergo erit Deus, vbi non operatur: ergo præsentia Dei in rebus non demonstratur à posteriori per eius operationem. Antecedens est certum; alioquin Deus non erit Immensus. Consequentiæ clarent. Nec valet dicere: illam conditionalem repugnare. Non, inquam, valet. Primò: ob rationem paulo suprà datam. Secundò: nam possibile est, Deum committere omnimodam curam de aliqua creatura alicui Angelo: ergo non repugnat prædicta conditionalis.

Dices.

Contra 1.

Contra 2.

61 *Probat. 3. concluſ.* Probatur tertiò conclusio: quanto agens est virtuosius, tanto potest agere in aliquid magis distans; sed Deus est agens potentissimum, & infinitæ virtutis: ergo si per impossibile ab aliqua re distaret, adhuc posset in eam agere. Maior claret in Sole respectu aliorum agentium. Minor est certissima. Consequentia infertur.

62 *Probat. vltimò concl.* Probatur vltimò conclusio quoad vtramque partem: modus essendi Dei in rebus per essentiam est distinctus à modo essendi in illis per potentiam: ergo ratio essendi Dei in rebus per essentiam est distinctus à ratione essendi in illis per potentiam. Consequentia patet: nam modus distinctus petit distinctam rationem formalem. Antecedens est communis doctrina à D. Thoma recepta *in* 1. *part. quæst.* 8.

artic.

artic.3. Infero nunc: ergo cum operatio sit ratio essendi in rebus per potentiam, nequit esse ratio essendi in illis per essentiam: ergo præsentia Dei in rebus non demonstratur à posteriori per eius operationem. Item vrge Thomistas cum dicendis *num.*90.

§. V.

Argumento ex Authoritatibus Scripturæ occurritur.

63 *Arguitur ex Authoritatib. Scripturæ.*

OBijcies Authoritates, tum Scripturæ, vt Psalm. 138: *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, &c.* Et Actor.17: *Non longè est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Tum, Patrum, ex operatione Dei eius Vbiquitatem inferentium, vt videri est in Gonet *quæstione præsenti.*

64 *Solutio aliquorum.*

Aliqui respondent: prædictas authoritates non intelligi de præsentia Dei reali, & per essentiam, sed de obiectiva, & per cognitionem, ita, vt ex operatione Dei in cognitionem ipsius sufficienter deveniamus. Contra: nam multi Patres de præsentia reali locuntur. Imo Theodorus sic intelligit illud Psalmi *citat. Quo ibo à Spiritu tuo, &c.* Hieronymus *in cap.*66. Isaiæ. Et Ambrosius, *lib. de conditione dignitatis humanæ, cap. 2. ab initio,* de reali præsentia verba Actor.17. exponunt: ergo responsio ruit.

Contra.

65 *Solutio aliquorũ Scotistarum.*

Scotistæ verò passim ad hæc, & similia respondent: Scripturam, & Patres non inferre Vbiquitatem Dei ex operatione per locum ab intrinseco, idest, præcisè, & immediatè, vt Thomistæ asserunt; sed per locum ab extrinseco, idest, à concomitantibus, & connexis, seu materialiter, & consecutivè, sicut vnum attributum infertur ex alio, vt in his: Deus est infinitè potens: ergo & infinitè sciens. Deus est infinitus duratione: ergo & præsentia; quia in ente infinito non appareret ratio limitandi magis vnam, quam aliam perfectionem. Sic Faber *num.* 50. Smising *num.*38. Vulpes, & alij.

66 *Contra.*

Contra: per locum ab extrinseco, idest, à concomitantibus, æquè infertur Vbiquitas Dei ex duratione, alio vè attributo, ac ex operatione; sed Scriptura, & Patres, potiùs ex operatione, quam ex alio attributo, inferunt Dei Vbiquitatem: ergo non sufficit prædicta responsio. Maior probatur: illatio Vbiquitatis Dei ex eius operatione per locum ab extrinseco fit ratione infinitatis; sed ratione huius æquè fit ex duratione, alio vè attributo, ac ex operatione: ergo per locum ab extrinseco æquè infertur Vbiquitas Dei ex duratione, alio vè attributo, ac ex operatione. Totus syllogismus ex ipsa Scotistarum responsione apparet.

67 *Respondeo.*

Nos verò respondemus: Scripturam, & Patres inferre præsentiam Dei ex operatione per locum ab extrinseco, non solum à concomitantibus, sed etiam à causa efficiente, & ex hoc stat præcisa ratio: cur potius ex operatione, quam ex alio attributo, Scriptura, & Patres prædictam faciant illationem. Ratio est: nam relatio præsentiæ Dei in rebus dependet ab operatione, tanquam à causa efficiente ipsas res, ad quas terminari debet Divina præsentia, & hac ratione, præsentia per essentiam dependet à præsentia per operationem; prius enim est, res esse, quam Deum esse in illis per essentiam.

68 *Firmatur solutio.*

Et quod hic sit sensus Scripturæ, & Patrum colligitur ex D. Anselmo *in Monolog. cap.* 21. dicente: *Sed quia aliquid sine Deo neque vsquam, neque vnquam est, necesse est, illum esse vbiq; & semper.* En Anselmum adducentem Immensitatem, vt rationem formalem Vbiquitatis Dei, & Omnipotentiam, tanquam causam efficientem rerum, quibus Deus sit præsens ratione Immensitatis. Omitto responsiones in particulari, quia hac sola, Authoritates allatæ, & aliæ similes, solvuntur, & optimè.

§. VI.

Argumenta Gonet solvuntur.

69 *Arguit. 1.*

OBijcies primò ex Gonet: *num.*72: agens, quod operatur in omnibus rebus per virtutem sibi intraneã, & secum identificatam, debet esse immediatè, & secundum suam substantiam præsens in omnibus rebus; sed Deus est tale agens: ergo præsentia Dei in rebus per eius operationem demonstratur. Maiorem probat ex Philosopho 7 *Physicorum*, dicente: *Movens, & motum debent esse simul*: ergo agens, quod operatur in omnibus rebus per virtutem sibi intraneam, & secum identificatam, debet esse immediatè, & secundum suam substantiam præsens in omnibus rebus.

Res-

70 *Respond.* 1. Respondeo negando maiorem; ad probationem respondeo primò negando antecedens, imò, & ipsum adversarij negare tenentur; nam Div. Thomas illum falsificat in Angelo, vt diximus §. 4. *num.* 49. Thomistæ omnes in agente per virtutem diffusam, & causa instrumentali productiva gratiæ in anima. Plerique ex illis in alijs exemplis assignatis §. 4. *n.* 47.

71 *Secundò.* Respondeo secundò negata maiori, distinguendo antecedens: movens, & motum debent esse simul, simultate virtuali, concedo antecedens; præsentiæ, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè certum est, quod movens, & motum, debent esse simul, simultate virtuali, quia nequit agens agere in loco extrà spheram suæ activitatis, seu virtutis; falsum tamen est, quod non possit agere in loco à se distante distantia locali. Ex quo respondeo tertiò aliter distinguendo antecedens: movens, & motum debent esse simul, simultate contiguitatis virtualis, concedo antecedens; simultate contiguitatis Methaphisicæ, nego antecedens, & consequentiam. *Tertiò.*

72 *Quartò.* Respondeo quartò aliter antecedens distinguendo: movens, & motum debent esse simul, simultate temporis, concedo antecedens; simultate locali, nego antecedens, & consequētiam. *Quintò.* Respondeo quinto: dictum Philosophi, vt à Thomistis intellectum, probare: agentia creata debere esse cum passo penetrata, quia hæc est præsentia secundū substantiam. *Sextò.* Respondeo sextò: argumentum probare, Deum esse in omnibus rebus; sed non probat hoc præcisè habere ex sua operatione; quarè concedo syllogismum Gonet. Quid vltra contra nos? Nihil certè.

73 *Dices.* Dices: virtus Dei identificatur cum ipso Deo: ergo vbi est virtus, ibi est Deus; atqui per nos virtus est in omnibus rebus: ergo & Deus. *Confirmat.* Confirmatur: actio est in effectu: ergo si operatio est idem cum agente, agens erit, vbi operatio adest; sed operatio Dei est idem cum Deo, & vbicumque adest: ergo & Deus. *Respond.* 1. Respondeo primò: hanc replicam probare, Deum esse in omnibus rebus; non verò probare, hoc habere ex sua operatione; quarè omitto totum, quia non est ad rem.

74 *Respond.* 2. Respondeo secundò, concedendo antecedens, & distinguendo consequens: ergo vbi est virtus subiectivè secundū rem, vel localitèr, ibi est Deus, concedo consequentiā; terminativè, vel virtualitèr, subdistinguo: ibi est Deus ratione Immensitatis, omitto consequens; ratione operationis, nego consequentiam. Distinguo similitèr sumptam, & consequens. Similitèr respondeo ad confirmationem. *Ad cōfirm.*

75 *Explicatur solutio.* Explico distinctionem: esse præsens per virtutem, aut potentiam, non est, virtutem esse ibi formalitèr, entitativè, subiectivè, secundum rem, vel localitèr præsentem; sed esse ibi virtualitèr, aut terminativè, idest, quod sua virtute possit ibi causare effectū, quia effectus, etsi localitèr distans, est intra spheram activam virtutis. Hoc claret in virtute Solis producente aurum in visceribus terræ, in quibus virtus Solis formalitèr, entitativè, subiectivè, secundum rem, vel localitèr præsens non est, sed virtualitèr tantum, & terminativè.

76 *Arguit.* 2. Obijcies secundò ex eodem *num.* 82: sicut res corporea non est in loco per suam substantiam immeditaè, sed per contactum quantitativum, ita res Divina non est in loco per suam substantiam, sed per contactum virtutis; sed contactus virtutis Divinæ est eius operatio: ergo præsentia Dei in rebus per eius operationem demonstratur. *Confirm.* 1. Confirmatur primò ex eodem *num.* 83: Deus est in creaturis, quatenus realitèr contingit illas; sed essentia Divina, præcisa operatione, non contingit illas: ergo præsentia Dei in rebus per eius operationem demonstratur. Probatur minor: Deus non coniungitur cum creaturis contactu quātitativo, neque vt forma, neque vt accidens, neque vt suppositum substentans: ergo ratione operationis: ergo essentia Divina, præcisa operatione, non contingit creaturas.

77 *Confirm.* 2. Confirmatur secundò ex eodem *num. citat.* Deus est in rebus, sicut ens per essentiam in entibus per participationem; sed hoc modo in rebus est, quatenus à Deo media operatione causatis: ergo præsentia Dei in rebus per operationem demonstratur. *Tertiò.* Cōfirmatur tertiò ex eodem: Deus non existit actu, & formalitèr in rebus, nisi quatenus facit illas à se dependere; sed hoc habet præcisè per operationem: ergo præsentia Dei

in rebus per operationem demonstratur.

78 *Respond. 1. ad argum.* Respondeo primò ad argumentum, negando suppositum maioris: supponit enim, quod res corporea, vel materialis, sit in loco per quantitatem, quod est falsum; nam licèt quantitas sit ratio fundamentalis, cur res materialis sit in loco circunscriptivè; non tamen est talis ratio, cur sit in loco absolutè; nam res materialis, denudata omni quantitate, esset alicubi, vt diximus §. 3. *num.* 37. Ex quo retorque argumentum, vt in *num.* 38. contra Thomistas facta est retorsio.

79 *NOTA. 1.* Cæterum, quia credo, quod Gonet in argumento de loco circunscriptivo loquitur, ideò necessaria est alia responsio, antequam advertendum est primò: quod sicut in re corporea ratio fundamentalis essendi in loco circunscriptivè, est quantitas, vi cuius corpora occupare possunt tantum, vel tantum spatium; formalis verò est vbi, seu respectus localis præsentiæ, ratione cuius corpora actu, & formaliter sunt in loco. Ita pariter: in Deo ratio fundamentalis essendi in omnibus rebus, est Immensitas, quę à Theologis, & Patribus dicitur, sumpta analogia à quantitate molis, quantitas virtualis; vi cuius Deus necessariò potest, & debet omnibus rebus creatis, & creabilibus, quando ponuntur in esse, coexistere; ratio verò formalis est respectus rationis, Vbiquitas, vel præsentia, ratione cuius Deus actu, & formaliter sit præsens omnibus rebus.

80 *NOTA. 2.* Advertendum est secundò: quod sicut, vt inter corpora detur mutua præsentia localis, requiritur in genere causæ efficientis productio illorum corporum, vt conditio tantum ad eorum præsentiam localem; ita, vt inter Deum, & creaturas detur præsentia simultatis, requiritur operatio Dei erga creaturas in genere causæ efficientis, tantum vt conditio faciens terminum actu existentem, ad quem præsentia simultatis terminari debet. His notatis.

81 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundò ad argumentum Gonet, distinguendo maiorem: sicut res corporea non est in loco per suam substantiam immediatè, sed per contactum quantitativum, ita res Divina est in loco per contactum virtutis, efficienter, vel causaliter, concedo maiorem; formaliter, nego maiorem; nam formaliter est in loco per intimam suæ substantiæ præsentiam, vt diximus *num.* 79. in quo claritas stat distinctionis. Ad primam confirmationem distinguo minorem similiter. *Ad cōfirm.* Ad secundam distinguo maiorem similiter, minorem, & consequens. Ad tertiam concedo syllogismum de existentia per potentiam, & nego de existentia per presentiam, quibus terminis possunt distingui argumentum, & confirmationes omnes. Vide pro hoc vltimam probationem positam in §. 4. *num.* 62.

82 *Dices.* Dices: illud, per quod formaliter, & vltimatè determinatur Deus ad existendum in rebus, est ratio formalis, per quam formaliter existit in illis; sed operatio Dei est id, ratione cuius formaliter, & vltimatè determinatur Deus ad existendum in rebus, nam post operationem Dei nulla est alia ratio, per quam vlterius possit determinari ad existendum in rebus: ergo operatio Dei est ratio formalis per quam formaliter existit in rebus.

83 *Respondeo.* Respondeo distinguendo minorem; sed operatio Dei est id, ratione cuius formaliter, & vltimatè determinatur Deus ad existendum in rebus, existentia per potentiam, concedo minorem; per præsentiam, subdistinguo: causaliter, vel efficienter, concedo minorem; formaliter, nego minorem, & consequentiam; nam formaliter existit præsentialiter in rebus per ipsam actualem præsentiam, & per Immensitatem tanquam per rationem proximā fundandi, vel terminandi relationem talis præsentiæ.

84 *Vrgebis.* Vrgebis: licèt præsentia localis duorum, vel indistantia, sufficiat, vt alterum dicatur esse cum altero, vel alteri simplicitèr præsens; non autem sufficit, vt alterum dicatur esse in altero, vel alteri intimè præsens per suam substantiam, penetrando, & pervadendo alterum; sed hoc modo Deus est in rebus: ergo licèt præsentia localis Dei, & rerum sufficiat, vt Deus dicatur esse cum altero, vel alteri simplicitèr præsens; non tamen sufficit, vt Deus dicatur esse in altero, vel alteri intimè præsens per suam substantiam: ergo præter præsentiam localem, requiritur operatio, vt Deus dicatur esse in rebus, vel rebus intimè præsens.

Pro-

85 *Prob. mai.* Probatur maior: præsentia localis, vel indistantia duorum Angelorum, corporis, & animæ, loci, & locati, non sufficit, vt vnus Angelus sit in alio, corpus in anima, & locus in locatu: ergo licèt præsentia localis duorum, vel indistantia sufficiat, vt alterum dicatur esse cum altero, vel alteri intimè præsens; non tamen sufficit, vt alterum dicatur esse in altero, vel alteri intimè præsens per suam substantiam, penetrando, & pervadendo alterum.

86 *NOTA.* Ante responsionem noto: quod Deus adest rebus, non solum vt causa efficiens, sed etiam vt causa exemplaris, formans, & figurans singulas rerum essentias; nam sicut sigillum, non solum efficienter sui figuram imprimit, verum & illam efformat, & effingit in genere causæ exemplaris; ita Deus non solum efficit rerum essentias; sed illas efformat, & effingit in genere causæ exemplaris; vnde Patres, & Theologi asserunt: in omnibus rebus stare vestigium Dei, & in rationalibus imaginem. Hoc notato.

87 *Respond. 1.* Respondeo primò concedendo syllogismum, & negando secundam consequentiam: nam quod, vltrà præsentiam localem, vel indistantiam Dei, & rerum, requiritur, vt Deus dicatur esse in rebus, vel ipsis esse intimè præsens, non est operatio; sed quod forma Dei exemplaris participetur ab omnibus rebus, eisque imprimatur per modum vestigij, vel imaginis: hac enim de causa Deus est in creatura, non autem è contra. Hoc patet à simili: nam ideò anima dicitur esse in corpore, accidens spirituale in subiecto, actus vitalis in substantijs spiritualibus, omnesque perfectiones essentiales, & formales, in rebus, quarum sunt perfectiones; non verò è contra, quia anima format corpus, accidens, &c. non verò è contra.

88 *Retorqueo.* Respondeo secundò, retorquendo contra Thomistas: vt Deus dicatur esse in rebus, non sufficit operatio: ergo præter operationem aliquid aliud requiritur. Probatur antecedens: vt Rex dicatur esse in toto Regno, non sufficit operatio: ergo vt Deus dicatur esse in rebus, non sufficit operatio. Respondeant ipsi, & erit nostra solutio.

89 *Arguit. 3. Gonet.* Obijcies tertiò ex eodem *num* 84: nulla denominatio potest de nobo advenire Deo, nisi ex reali mutatione creaturarum; sed Deus non immutat creaturas, nisi ratione operationis, per quam aliquid producit in eis: ergo solum ratione operationis potest Deo de nobo advenire denominatio ex reali mutatione creaturarum. *Respond. 1.* Respondeo distinguendo minorem: sed Deus non immutat creaturas efficiètèr, vel causalitèr, nisi ratione operationis, concedo minorem; formalitèr, nego minorem, & distinguo similitèr consequens. Alijs terminis, distinguo minorem: in linea essendi, concedo minorem; in linea locandi, nego minorem; nam in hac linea immutat creaturas per Immensitatem, sicut in linea durationis per æternitatem. Ex quo.

90 *Respond. 2. retorquēd.* Respondeo secundò, retorquendo argumentum: Deus in tempore denominatur coexistens durationi per potentiam, & præsentiam: ergo hæ denominationes proveniunt ex mutatione creaturarum; sed Deus non immutat creaturas, nisi ratione operationis: ergo operatio Dei est ratio formalis coexistendi durationi, & non æternitas, quod negat Gonet *numer.* 100: ergo & est ratio formalis existendi in rebus per potentiam contra ipsum *num.* 96: ergo & per præsentiam contra eundem *num.* 123.

91 *Arguit. 4. Gonet.* Obijcies quartò ex eodem *num.* 85: eodem modo proportionalitèr est philosophandum de præsentia Dei generali, quam habet in omnibus rebus, ac de speciali, qua præsens est iustis per gratiam, beatis per gloriam, & Christum per vnionem hypostaticā; sed præsentia specialis fundatur in hoc, quod in iustis sit per infusionem gratiæ, beatis vniendo illis suam essentiam per modum speciei, & in Christo per modum subsistentiæ, & termini: ergo similitèr: præsentia generalis Dei debet fieri ratione alicuius operationis.

92 *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem, quam non probat Gonet. *Secundò.* Respondeo secundo, data maiori, distinguendo minorem: sed præsentia specialis fundatur in hoc, quod in iustis sit per infusionē gratiæ, beatis vniendo illis suam essentiam per modum speciei, & in Christo per modum substantiæ, & termini, efficientèr, vel causalitèr, concedo minorem; formalitèr, nego minorem; sic enim est in

iustis, quatenus gratia, quæ est participatio Divinæ essentiæ vnitur intimè cum iusto; in beatis est Deus, quatenus terminat tendentiam visionis, & amoris, quæ tendentia est vnio potentiæ cum obiecto; & in Christo per terminationem vnionis, qua Verbum dicitur vnitum. Respõdeo tertiò retorquendo argumentum: ergo præsentia generalis per potentiam, & præsentiam est ratione alicuius operationis, quod negat absolutè Conet *num.* 96. & 123.

Tertiò.

93 *Arguit.* 5. Obijcies quintò ex eodem *num.* 86: Deus ex Dionisio, Augustino, & Gregorio magis est in locis, vt illa continens, quam vt in illis contentus; sed Deus continet loca per suam operationem iuxtà illud Pauli ad Hæbreos 1. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*: ergo ratione operationis continetur. *Respondeo.* Respondeo: Patres velle: Deum non esse in locis contentum, & definitum, vti sunt corpora; sed continere, & super excedere loca; hoc autem fit formaliter per intimam suæ substantiæ præsentiam, quam Theologi vocant per illapsum; efficitèr vero per operationem; ex quo distinguitur minor argumenti.

94 *Arguit.* 6. Obijcies sextò ex eodem *num.* 89: ab æterno Deus est Immensus; sed ab æterno non est in creaturis: ergo Immensitas non est ratio actu existendi in rebus; sed solum est ratio formalis, per quam potest in illis existere, supposito, quod illas producat. Respondeo concedendo totum, ex quo nihil contra nos: nam vt diximus *num.* 79. Immensitas est ratio fundamentalis essendi in rebus per essentiam; formalis verò Vbiquitas, vel relatio; & operatio est tantum conditio in genere causæ efficientis ad talem relationem, quod claret paritate æternitatis.

§. VII.

Occurritur argumento Caietani.

95 *Arguit Caietanus.* OBijcies ex Caietano: agens perfectissimum debet esse præsens passo; atqui Deus est tale agens: ergo debet esse præsens passo. Probatur maior: agens perfectissimum debet habere effectum sub se omnibus modis, quibus potest: sed si est præsens substantialitèr effectui, habet effectũ sub se pluribus modis, quam si ita nõ esset: ergo agens perfectissimum debet esse præsens passo. Confirmatur primò: agere per præsentiam est perfectior modus agendi, quam agere per absentiam: ergo primum convenit Deo: ergo agere per præsentiam. Probatur antecedens exemplo Regis creati, cuius potentia, & Imperium perfectius esset, si non tantum moralitèr, verum, & physicè se extenderet in totum Regnum, & singulas partes ipsius: ergo agere per præsentiam est perfectior modus agendi, quam agere per absentiam. *Confirm.* 1.

Confirmatur secundò: causa perfectissimo modo operans, perfectissimo modo communicatur effectui: ergo perfectissimo modo ei coniungitur: ergo secundum substantiam; atqui talis causa est Deus: ergo perfectissimo modo communicatur effectui. 96 *Confirm.* 2. Confirmatur tertiò: agens simplicitèr infinitum necessariò debet esse in omnibus locis; sed Deus est talis agens: ergo Deus necessariò debet esse in omnibus locis. *Confirm.* 3.

Respondeo primò ad argumentum, negando maiorem; ad probationem, nego minorem; quia falsum est, quod agens perfectissimum per suam præsentiam substantialem in effectu habeat maius dominium super illum, vel habeat illum magis in sua potestate, (sic enim intelligitur ly *pluribus modis*) quia agens infinitæ virtutis æquale dominium habet super effectum in minori, vel maiori distantia, quia in agendo ab hac conditione non dependet. Imò hoc est, quod quæritur in præsenti: An, scilicèt, indistantia ponat effectum in maiori potestate agentis infiniti? Quare hoc supponere in argumento, est manifesta petitio principij. 97 *Respond.* 1 *ad argum.*

Firmatur hæc doctrina: perfectissimum Dei dominium super res creatas consistit in hoc, quod Deus possit illis vti, prout vult; sed hoc potest facere Deus in quacumque distantia ratione suæ virtutis infinitæ, quam supponimus retinere, supposita quacumque distantia: ergo falsum est, quod agens perfectissimum per suam præsentiam substantialem in effectu habeat maius dominium, vel habeat illum magis in sua potestate. 98 *Firmatur solutio.*

Respondeo secundò distinguendo maiorem probationis: agens perfectissimum debet habere effectum sub se omnibus modis, perfectionem di- 99 *Respond.* 2.

centibus in virtute activa agentis, concedo maiorem; imperfectionem dicentibus in prædicta virtute, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Licèt enim sit perfectio agentis perfectissimi ratione Immensitatis esse præsens substantialitèr omnibus rebus; tamen est imperfectio eius virtutis activæ indigere propinquitate, vel indistantia ad agendum, vt diximus *num.* 11. 52. & 61. ex quibus potest argumentum retorqueri. Vltrà quod.

100 *Retorq. 1. argum.*

Retorqueo primò: quanto enim pluribus modis potest agens communicare suam virtutem, tanto est perfectius; sed creatura potest illam communicare per præsentiam virtualem, & substantialem secundum Thomistas, & Deus adstrictus est, ad illam communicandam per præsentiam tantum substantialem: ergo creatura est agens Deo perfectius. Solvant Thomistæ.

101 *Retorq. 2.*

Retorqueo secundò: illud agens perfectiùs continet effectum, quod paucioribus conditionibus indiget ad illum causandum: ergo si agens perfectissimum indiget ad causandũ effectum conditione propinquitatis, vel indistantiæ, qua conditione non semper indiget agens creatum, hoc perfectiùs continebit effectum, quam illud. Respondeant Thomistæ.

102 *Ad 1. cõfirmation.*

Ad primam confirmationem, respondeo negando antecedens; quia agere per absentiam, perfectius est, quam agere per præsentiam; illud enim indicat maiorem esse spheram activitatis agentis; quarè retorsionem patitur confirmatio. Nec exemplum Regis creati est specialis vigoris; nam dominium Regis, vtpotè, limitatum, non se extendit ad res distantes, eas cognoscendo, disponendo, & dirigendo; ideoque perfectius esset, si non tantum moralitèr, verum, & phisicè per se ipsum se extenderet in singulas partes Regni; at Dominium Dei, vtpotè, infinitum, se extendit ad omnes res loco distantes, ita perfectè de illis disponendo, ac si eis foret intime præsens.

103 *Ad 2.*

Ad secundam nego antecedens. Primò: ex ipso enim sequitur, Deum æquè perfectè se singulis communicari creaturis, quod est falsum. Secundò: distinguo antecedens: causa perfectissimo modo operans, perfectissimo modo communicatur effectui causalitèr, vel efficientèr, seu communicatione per potentiam, concedo antecedens; formalitèr, & communicatione per essentiam subdistinguo: vi actionis, nego antecedens; vi Immensitatis, concedo antecedens, & distinguo similitèr consequens. Ad tertiam concedo totum: sed ita arguendo, non ex operatione, sed ex Infinitate, colligitur Vbiquitas Dei. *Ad 3.*

104 *Responsio generalis.*

Notta tamen, quod argumentum, & confirmationes convincunt certè, Deum esse præsentem omnibus rebus; non tamen probant, quod eius operatio sit ratio, cur omnibus adsit præsens, & hoc erat, quod in præsenti probare debebant, vt contra nos facerent; quarè adhuc totum concedendo, nostra stat firma conclusio. Hæc est ad argumentum, & confirmationes, generalis responsio.

§. VIII.

Argumenta Jesuitarum solvuntur.

105 *Arguit Suarius.*

OBijcies primò ex Suario: Deus actione creativa, & conservativa agit immediatè immediatione virtutis, & suppositi: ergo ratione creationis, & conservationis, Deus est immediatè in rebus secundum potentiam, & essentiam. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: Deus actione creativa, & conservativa agit immediatè immediatione suppositi, in causando concedo antecedens; in essendo nego antecedens; vel subdistinguo: ratione actionis, nego antecedens; ratione Immensitatis, concedo antecedens.

106 *Dices.*

Dices: actio creativa supponit in creante actum purum; sed actus purus necessariò est præsens rebus omnibus: ergo ex actione creativa, & conservativa Deus est in rebus omnibus. Probatur minor: de ratione actus puri est omnem potentialitatem excludere; sed posse esse præsentem, vbi non est, aliqua potentialitas est: ergo actus purus necessariò est præsens rebus omnibus. *Confirmat.* Confirmatur ex Grada: ex creatione colligitur infinitas potentiæ Divinæ, ex infinita potentia, infinitas essentiæ, & ex hac infinitas præsentiæ: ergo ex actione creativa, & conservativa Deus est in omnibus rebus.

107 *Respond. 1.*

Respondeo primò: quod nec dices, nec confirmatio est ad propositum, quia non ex vi operationis col-

ligitur præsentia Dei, sed ex ratione actus puri, & ex infinitate essentiæ, vt claret; quarè. Respondeo secundò distinguendo vtrumque consequens: colligitur mediatè ex actione creativa præsentia Dei in rebus, concedo consequentiam; immediatè, nego consequentiam; nam ex actione creativa immediatè sequitur in replica puritas actus, ex hac exclusio potentialitatis, & tandem Dei præsentia. In confirmatione verò, ex actione creativa immediatè sequitur infinitas potentiæ, ex hac infinitas essentiæ, & deniquè infinitas præsentiæ.

108 *Arguit Arriaga.* Obijcies secundò ex Arriaga *disput. 2. numer. 81.* per operationem Dei producuntur vbicationes omnium rerum: ergo Deus continet formalitèr perfectiones omnium vbicationū; atqui nequit eas formalitèr continere, quin formalitèr existat omnibus rebus: ergo Deus existit formalitèr in rebus omnibus. Probatur prima consequentia: existere in loco hoco dicit puram perfectionem; sed pura perfectio formalitèr continetur in Deo: ergo Deus continet formalitèr perfectiones omnium vbicationum. *Prob. 1. consequentia.*

109 *Respond. 1.* Respondeo primò, concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem, nego maiorē; alioquim Deus ab æterno careret aliqua pura perfectione, quod apud omnes est falsum. Respondeo secundò, negando consequentiam: quia ex antecedenti solum sequitur: Deum continere eminentèr vbicationes, vtpotè, causa æquivoca totalis eorum, vt dicunt communitèr Theologi, loquendo de Infinitate. *Secundò.*

110 *Ad probat. cōsequent.* Ad probationem dico: quod esse in loco per relationem realem, quomodo est creatura, si est perfectio, est mixta imperfectione, quia supponit subiectum informabile, & loco inclusum; esse autem in loco sine relatione reali, vti est Deus, non est perfectio, ob rationem datam.

111 *Respond. 3. retorquēd.* Respondeo tertiò, retorquendo argumentum in coexistentia Dei cum creaturis, & vniversalitèr in quacumque volitione libera Dei, quam ab æterno non habuit, habetque de facto, vel potest habere. Item: retorqueo contra ipsum ad hominem: nam ipse Arriaga *in 4. Phisicorum*, asserit: Vbicationem esse modum, & *in 2. Phisicorū*, tenet: modum non produci per actionem, sed se ipso egredi à re, cuius est modus: ergo in eius sententia falsum est, quod vbicatio producatur per operationem Dei, quod est eius antecedens contra nos positum.

112 *Respond. 4.* Respondeo quartò: concedendo antecedens, & omittendo consequēs; distinguoque minorem: nequit eas continere formalitèr in virtute productiva, (de hac enim loquitur Arriaga) quin formalitèr existat per potentiam omnibus rebus, concedo minorem; per essentiam, nego minorem, & consequentiam. Claret solutio ex totiès dictis.

§. IX.

Alia argumenta solvuntur.

113 *Arguit. 1.* OBijcies primò: Immensitas Dei, quatenus est ex se, non magis determinat Deum ad existendum in rebus, quæ sunt, quam in alijs, quæ possunt, vel poterunt esse: ergo debet dari aliquid, per quod formalitèr determinetur Deus ad existendum potiùs in rebus, quæ sunt, quam in alijs; atqui hoc nequit esse aliud, nisi operatio, per quam illas formalitèr posuit in esse: ergo operatio est, per quam sic Deus determinatur: ergo ex operatione Dei formalitèr infertur Vbiquitas illius.

114 *Respondeo.* Respondeo negando minorem: nam illud, per quod Deus determinatur formalitèr ad existendum potiùs in rebus, quæ sunt, quam in alijs, est præsentia, vel relatio in tempore superaddita, vel terminatio talis præsentiæ in creatura fundatæ: operatio verò solum est conditio in genere causę efficientis producens creaturas, vt diximus *§. 6. num. 79.*

115 *Arguit. 2.* Obijcies secundò: potentia Dei est infinita: ergo Deus ex vi suæ operationis est Vbique. Probatur consequentia: si non esset Vbique per operationem, eius potentia non esset infinita; sed per te potentia Dei est infinita: ergo Deus est Vbique ex vi suæ operationis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: ergo Deus ex vi suę operationis est Vbique per potentiam, concedo consequentiam; per essentiam, nego consequentiam.

116 *Arguit. 3.* Obijcies tertiò: si per impossibile Deus esset in certo loco, eius infinita virtute non posset agere in distans: ergo indistantia est conditio ad agendum: ergo saltim à posteriori præsen-

tia Dei in rebus per eius operationem demonstratur. Probatur antecedens: necessitas agendi in propinquum, non oritur ex imperfectione, vel finitate virtutis: ergo si per impossibile Deus esset in certo loco, eius infinita virtute non posset agere in distans.

117 *Prob. antec.* Probatur antecedens: si talis necessitas oriretur ex finitate virtutis, in omnibus agentibus creatis non esset æqualis prædicta necessitas; in illis namque non est æqualis virtus finita; sed videmus omnia æqualitèr indigere prædicta in distantia: ergo necessitas agendi in propinquum, non oritur ex imperfectione, vel finitate virtutis.

Respondeo. Respondeo negando hanc minorem. Imò oppositum videmus in sole respectu alterius agentis, in occulo perspicaci respectu alterius, non ita perspicacis, & sic in mille exemplis.

118 *Arguit. 4.* Obijcies quartò: posito auxilio Dei, necessariò sequitur motio liberi arbitrij: ergo posita operatione Dei, necessariò sequitur eius præsentia.

Respondeo. Respondeo, quidquid sit de paritate, distinguendo antecedens: posito auxilio Dei, necessariò, necessitate consequentiæ, sequitur motio liberi arbitrij, concedo antecedens; necessitate consequentis, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Hoc enim debebant probare Thomistæ, vt formalitèr ex operatione deducerent Vbiquitatem; nam ratio formalis alicuius effectus est causa necessaria illius necessitate consequentis, & ex vi sua; non verò ex accidenti, & necessitate consequentiæ tantum.

119 *Solutio ad plura argumenta.* Plura alia argumenta à Thomistis adducuntur, ex quibus aliqua solvuntur, *ex 3. Phisicorum*; & aliqua, quibus probant: quamcumque rem spiritualem esse in loco per operationem, in materia de Angelis solvuntur.

§. X.

Statuitur tertia conclusio, & argumenta solvuntur.

120 *3. Concluſ.* CONclusio tertia: *Deum esse vbique, non est ratione aliqua demonstrabile.* Sic Scotus *in Report. 1. dist. 37. quæst. 2. num. 10.* dicens: *Ideo respondeo, quod non videtur mihi, quod possit demonstrativè probari, Deum esse vbique per essentiam; sed ipsum tantum est mihi creditum, & non probatum.* Scotum sequuntur præter suos, Nominales, & Bazquez *citat.* à Smising *tract. 2. disp. 5. num. 31.* Hæc conclusio probatur, solvendo rationes contrariorum.

Prob. solvēdo rationes contrariorum. Prima ratio contrariorum sumitur ex infinitate, quam ad hanc formam reducit Gonet *tom. 1. disput. 4. de Attributis in particulari, artic. 5. numer. 63.* vis existendi in rebus, ac locis, non minus est infinita, quam eius essentia, à qua profluit; sed essentia Dei est simplicitèr infinita: ergo & eius Immensitas, seu virtus repletiva loci.

121 *1. ratio Gonet ex Infinitate.*

122 *Confirm. 1.* Confirmatur primò ex eodem *num. 64.* si Deus haberet locum determinatum, posset dari creatura, quæ occuparet maiorem locum; sed hoc est absurdum: ergo Immensitas Dei, seu virtus repletiva loci est simplicitèr infinita.

Confirm. 2. Confirmatur secundo ex eodem *num. 65.* cum D. Thom. *3. contra Gentes, cap. 68*: sic se habet res incorporea ad hoc, vt sit in loco per virtutem suam, sicut res corporea, vt sit in loco per quantitatem; sed si esset corpus habens quantitatem dimensivam infinitam, esset vbique: ergo Immensitas Dei, seu virtus replectiva loci est simplicitèr infinita.

123 *Respond. 1.* Respondeo primo ad argumentum, distinguendo maiorem: vis existendi in rebus, vt coincidit cum Immensitate, ab Vbiquitate distincta, non minus est infinita, quam eius essentia, à qua profluit, concedo maiorem; vt coincidit cum Vbiquitate, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Claret responsio ex *num. 2.*

Secundò. Respondeo secundò: dato, quod vis existendi in rebus sit perfectio, concedo totum syllogismum, nego tamen inde sequi: Deum actualitèr esse vbique; nam talis vis existendi in rebus esset perfectio libera, non verò necessaria; alioquin Deus ab æterno caruisset perfectione necessaria, quod negare tenentur omnes.

124 *Roboratur solutio 1.* Hæc responsio roboratur primò: etsi vis productiva creaturarum in Deo sit perfectio infinita, non ob hoc sequitur: quod producat infinita, sed solum, quod possit ea producere: ergo similitèr: etsi vis existendi in rebus sit in Deo perfectio infinita, non ob hoc sequitur, quod sit in rebus, sed quod possit esse in illis; atqui hoc non alia ratione, nisi quia dato, quod virtus productiva sit perfectio, est perfectio libera, qua carere, non est imperfectio; alioquin Deus ab æterno

esset

esset imperfectus: ergo paritèr: cum talis vis existendi in rebus esset perfectio libera, non verò necessaria.

125 *Secundò.* Roboratur secundò: secundum Gonet *citat. num.* 81. Deus est in omnibus rebus per eius operationem transeuntem ad extra; sed hæc apud omnes, & apud ipsum *num.* 98. est formaliter libera: ergo dato, quod vis existendi in rebus sit perfectio, est libera perfectio. Atqui hac Deus sine imperfectione potest carere, vt ab æterno caruit: ergo Infinitati non obest, quod Deus non sit vbiquè: ergo ex Infinitate non sequitur, Deum esse vbiquè.

126 *Retorqueo argum.* Respondeo tertiò, retorquendo contra ipsum argumentum: proprietas personalis non minus debet esse infinita, quam eius essentia, à qua profluit; sed essentia est simplicitèr infinita: ergo & proprietas personalis. Hanc consequentiam negat Gonet *tract.* 6. *disp.* 3. *num.* 158: ergo & illam, quia si semel conceditur, aliquam proprietatem non commensurari cũ essentia, ex commensuratione præcissè, non potest concludi Infinitas proprietatis.

127 *Respondeo ad 1. cõsim.* Ad primam confirmationem respondeo negando minorem: quia, cum esse vbiquè non sit perfectio Dei, absurdum non est, creaturam occupare maiorem locum, sicuti absurdum non est, quod creatura adæquetur cum Vbiquitate Dei, si ab ipso vbiquè poneretur, in quo non est repugnantia.

Ad 2. Ad secundam respondeo negando paritatem: nam si daretur quantitas infinita, necessario esset vbiquè, quia hoc esset eius effectus formalis, a quo effectu forma non impedita cessare nequit; at Deus est vbiquè liberè, non solum absolutè, quatenus non esset vbiquè, si non essent creaturæ, sed etiam ex suppositione, quod sint, quia hoc supposito, Deus esset vbique, si vellet, & non esset, si nollet. Hac solutione soluta manet alia ratio adducta à Gonet *citat. num.* 66.

Solvitur alia ratio Gonet.

128 *2. ratio ex immutabilitate.* Secunda ratio assumit pro medio immutabilitatem Dei, quæ ad hanc formam reducitur: nullum immutabile potest esse distans ab aliquo loco; sed Deus est immutabilis; ergo non potest esse distans ab aliquo loco, quod est esse vbiquè. Probatur maior: omne distans ab aliquo loco potest ad illum moveri; sed immutabile non potest moveri: ergo nullum immutabile potest esse distans ab aliquo loco.

129 *Confirm. 1.* Confirmatur primò ex Gonet *cit. num.* 67: si Deus non esset vbiquè, sequeretur: quod quotiès movebatur humanitas in terra, & nunc movetur in Eucharistia, Verbum moveretur de loco in locum: ergo esset mutabile. Confirmatur secundò: si Deus non esset vbiquè necessariò, sequeretur: quod inciperet esse localitèr, vbi priùs non erat, & desineret esse localitèr, vbi priùs erat; sed hoc est mutari: ergo Deus est vbiquè necessariò ob immutabilitatem. Confirmatur tertiò: nam hac ratione creatura quælibet movetur localitèr: ergo similitèr: Deus est vbiquè necessariò ob immutabilitatem.

Secundò.

Tertiò.

130 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: nullum immutabile, tàm subiectivè, quàm terminativè, potest esse distans ab aliquo loco, concedo maiorem; subiectivè tantum, & non terminativè, nego maiorem; distinguo minorem: Deus est immutabilis subiectivè, concedo minorem; terminativè, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem distinguo similitèr syllogismũ. Sic Smising iuxtà explicationem, quam dedit de immutabilitate.

131 *Melius respondetur.* Nos verò respondemus, distinguendo aliter maiorem: nullum immutabile, quoad omnem formam realem, & denominationem extrinsecam, potest esse distans ab aliquo loco, concedo maiorem; quoad formam realem tantum, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Ad probationem distinguo similitèr syllogismum. Ad primam confirmationẽ distinguo similitèr consequens. Ad secundam distinguo similitèr minorẽ. Ad tertiam postea, quia indiget speciali solutione.

Ad 1. & 2. confirm.

132 *Ratio solutionis.* Ratio solutionis sumitur ex Soto *in Report. dist. 37. quæst. 2. num.* 12. dicente: *Ad aliud dicendum, quod non sequitur: Deus incipit esse, vbi priùs non fuit: igitur mutatur*; & ratio est: quia per hoc nihil reale Deo advenit, sed tantum extrinseca denominatio, vel relatio rationis Dei ad creaturam, seu realis in creatura, & ad Deum terminata, vt de Deo Creatore, Conservatore, & humanitati vnito, ab omnibus conceditur.

133 *Ad 3. cõfirmation.* Ex his ad tertiam confirmationem dico: creaturam moveri localitèr mutatione proveniente à forma reali, quia cum incipit, & definit esse localitèr, adquirit, & deperdit relationem realem, quod in Deo non contingit. Ecce claram disparitatem. Sic Scotus *in Report. citat.*

134 *Retorqueo.* Deniquè retorqueo argumentum, & confirmationes: si ex immutabilitate Dei demonstraretur eius Vbiquitas, repugnaret, quod stante immutabilitate, Deus localitèr moveretur; sed stante immutabilitate, Deus movetur localitèr: ergo ex immutabilitate Dei non demonstratur eius Vbiquitas. Probatur minor: De facto Deus est immutabilis; sed de facto movetur localitèr: ergo stante immutabilitate, Deus movetur localitèr. Probatur minor: Deus de facto incipit esse, vbi priùs non erat, vt cum creat; & definit esse, vbi priùs erat, vt cum anihilat; sed hoc est mutari localitèr per vos: ergo de facto movetur localitèr.

135 *3. ratio ex æternitate.* Tertia ratio assumit pro medio æternitatem, quę sic efformatur: Deus per æternitatem necessariò coexistit omni durationi: ergo per Immensitatem necessariò coadest omni loco. Respondeo negando consequentiã. Disparitas est: quia cum coexistentia sit tantum simultanea duorum existentia, suppositа existentia Dei, & creaturæ, necessaria est coexistentia, quia necessaria est simultanea duorũ existentia. Cœterum coadesse omni loco præter existentiam Dei, & creaturæ, dicit indistantiam liberam, vt diximus *num.* 127. Quarè non sequitur necessariò, quod Deus coadsit omni loco.

136 *Ratio Pontij.* Pontius verò alitèr probat Vbiquitatem Dei hoc modo: Deus necessariò esset præsens vni Angelo, si ille existeret solus: ergo necessariò est præsens omnibus existentibus. Antecedens probat Pontius primò: si Deus non esset illi præsens, esset distans ab illo; sed non esset distans: ergo Deus necessariò esset præsens vni Angelo, si ille existeret solus. Probatur minor: vt esset distans, deberet Deus esse in loco distincto à loco Angeli; sed in tali casu non esset locus aliquis, in quo esset Deus, nec alius, in quo esset Angelus: ergo non esset distans.

Prob. 1. anteced.

137 *Secundò.* Probat secundò antecedens: si Deus non esset necessariò præsens illi Angelo; posset se facere illi præsentem; sed non posset se facere illi præsentem, nisi mediante aliquo modo, vel respectu, cuius natura esset, facere Deum præsentem Angelo: ergo hoc mediante Deus se faceret Angelo prę sentem; atqui non magis modus ille, vel respectus haberet talem naturam, quam ipsamet entitas Angeli, & Dei, cum hoc non sit imperfectio: ergo illæ entitates, ex suppositione quod existant habent necessariò esse sibi invicem præsentes.

138 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum, negando antecedens: ad primam probationem nego maiorem; quia tunc, nec esset præsens, nec distans positivè, quia non erat positivum velle de sui præsentia, vel distantia; esset tamen præsens, & distans negativè ob eandem rationem. Vndè si vellet, posset liberè facere, vt ab ipso oriretur indistantia, & sic esset illi præsens; & posset producere spatium intermedium, quo posito, si vellet, posset facere, vt ab ipso oriretur distantia, & sic esset ab illo distans. Ex quo patet ad minorem, & eius probationem.

Ad 1. prob.

139 *Ad 2.* Ad secundam probationem distinguo maiorem: si Deus non esset necessariò præsens illi Angelo, posset se facere illi præsentem, liberè, concedo maiorem; necessariò, nego maiorem, & minorem; quia ille modus, vel respectus, repugnat Deo propter eius immutabilitatem subiectivam. Ad sussumptam, suppositа repugnantia respectus, vel modi, nego minorem; nam respectus, vel modus esset talis naturæ, vt necessariò Deum faceret præsentem omnibus existentibus, quod non habet entitas Angeli, nec Dei.

140 *Dices pro Pontio.* Dices pro Pontio: licèt Deus se ipso faceret se præsentem Angelo effectivè; tamen formalitèr per se ipsum nequit se facere præsentẽ liberè; quia hoc non pertinet ad lineam effectivam: ergo necessariò, sicut ille modus, vel respectus, faceret illum præsentem. Respondeo: quod Deus se faceret prẹsentem formalitèr Angelo per indistantiam, quæ in Angelo esset respectus realis, & in Deo rationis; & liberè, quia prædicta indistantia dependet à velle Dei.

Respondeo.

)(ꝺ)(

EX

EX TRACTATU DE VISIONE.

VIsionem Dei esse naturalitèr impossibilem intellectui creato, diximus *tom. 1. in 1. Sent. diput. 6. num. 34.* & per sequentia rationem D. Thomæ impugnavimus, Scoti probationem declaravimus, & aliam nostram proposuimus. Sed quia ad illam respondent adversarij, dicendo: posibilem esse intellectui creabili; orta fuit sequens difficultas.

QUÆSTIO OCTAVA.

An Visio Dei sit posibilis intellectui creabili?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio, & probatur.

Num. 1 SVb alijs terminis hæc solet proponi difficultas, An, scilicèt, sit dabilis substantia creata, cui connaturalis sit Visio Dei? quam latè pertractandam proposuimus *tom. 1. in 1. Sent. disput. 13.* pro cuius adimpletione, relatis sententijs, triplicem, claritatis gratia, conclusionē statuam.

2 1. *Sentent.* In hac igitur difficultate, sic, vel sic proposita, duplex versatur opposita sententia. Prima affirmat: posibilem esse intellectum, qui naturalitèr Deum videre valeat, & consequentèr posibilem esse substantiam creatam, cui connaturalis sit Visio Dei. Ita Maior *in 4. dist. 49. quæst. 4. in fine.* Molina *1. part. quæst. 12. art. 5. disput. 2.* Beccanus *1. part. cap. 9. quæst. 5.* Herice *tract. de Visione, disput. 48. cap. 4.* Alarcon *tract. 1. disput. 2. cap. 7.* Hurtado *disput. 7. Phisic. sect. 1. §. 3.* Ripalda *lib. 1. de Ente supernaturali, disput. 23. sect. 4.* Et alij quam plures, quorum aliqui pro fundamento assumunt: non repugnare substantiam creatam intellectualem, ita perfectam in intelligendo, vt adæquet compositum ex intellectu, & lumine gloriæ. Alij autem assumunt pro fundamento: posibilem esse substantiam creatam intellectualem, quæ naturalitèr exigat lumen gloriæ, vt sibi debitum.

Maior. Molina. Beccanus. Herice. Alarcon. Hurtado. Ripalda.

3 2. *Sentent. Div. Thom. cum suis.* Secunda sententia per oppositum negat: posibilem esse intellectum, qui naturalitèr valeat Deum videre, & consequentèr negat: posibilem esse substantiam creatam intellectualē, cui connaturalis sit Visio Dei. Sic D. Thomas *1. part. quæst. 12. artic. 4. & 5. 3. contra Gentes, cap. 52.* quem secuntur discipuli citati ab Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 13. num. 3.* licèt ipse inconsequentèr procedat, cuius inconsequentiam *§. sequenti* ostendam. Ita etiam Scotus *in 2. dist. 23. §. ad 1.* Et *in 4. dist. 49. quæst. 11. in fine.* Et *quodlib. 14. artic. 2.* Et *collatione 11. §. Contra Charitas.* Scotum secuntur omnes sui discipuli, tàm veteres, quàm recentiores, ex quibus aliquos refert, & aliquos citat Mastrius *in 1. disput. 6. quæst. 10. num. 271.*

Scotus, & sui.

4 Præter hos itaquè vtriusque Scholæ, Thomistarum, scilicèt, & Scotistarum, opinionem hanc amplectuntur ex P. P. Societatis Valencia *tract. 2. in præsent. quæst. punct. 3.* Suarius *lib. 2. de Attributis negativis, cap. 9.* Vasquius *disput. 44. cap. 1.* Arrubal *disput. 21. cap. 2. & seqq.* Fassolus *à dubitatione 1.*

Valencia. Suarez. Bazquez. Arubal. Fassolus.

Sa-

Salas. Salas 1. 2. *quæst.* 3. *disput.* 3. *sect.* 2. His itaquè relatis, ordinem supra dictum servando. Sit.

5 *1. Conclus.* Prima conclusio: *Repugnat substantia intellectualis creata, ita perfecta in intelligendo, vt adæquet compositum ex intellectu, & lumine gloriæ.* Sic Authores pro secunda sententia relati; & *Probat. à priori.* à priori probatur. Primò ex subtili Magistro *in* 2. *citat*: quando vnum est perfectibile, vt intellectus, & alterum perfectivum, vt lumen gloriæ, impossibile est, quod vnum, quantumcumque crescat in perfectione substantiali, vel essentiali, sit alterum essentialitèr, vel illud vnitivè contineat, vtroque manente intra limites entis finiti: ergo impossibile est, dari substantiam intellectualem creatam, quæ vnitivè contineat compositum ex intellectu, & lumine gloriæ. Consequentia est manifesta.

6 *Probat. anteced.* Antecedens autem probatur: materia est perfectibilis per formam, & forma perfectiva materiæ (idemque de subiecto, & accidentibus) atqui stante limitatione materiæ, impossibile est, quod vnitivè contineat perfectionem formæ, quantumcumque materia crescat in perfectione essentiali: ergo, &c. Probatur minor: stante limitatione materiæ, quantumcumque materia crescat, solum creseeret in capacitate, & potentia: ergo stante limitatione materiæ, impossibile est, quod vnitivè contineat perfectionem formæ, quantumcumque materia crescat in perfectione essentiali. Hæc ratio est destructiva fundamenti oppositæ sententiæ, vt *infrà* videbimus, eaque vsus etiam fuit Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2.

7 *Probatur conclusio à posteriori.* Probatur secundò conclusio à posteriori ex eodem Doctore *in* 2. *sit*: si esset possibilis substantia intellectualis creata, quæ adæquaret compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, possibilis esset substantia intellectualis creata, quæ adæquaret compositum ex intellectu, & habitu fidei, & similitèr compositum ex voluntate, & habitu charitatis, seu gratiæ, alijsque donis supernaturalibus; sed hoc est falsum: ergo impossibilis est substantia intellectualis creata, quæ adæquet compositum ex intellectu, & lumine gloriæ. Consequentia est legitima. Maior patet: quia non magis repugnat substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, quam adæquans compositum ex intellectu, & habitu fidei, & compositum ex voluntate, & habitu charitatis, gratiæ, alijsque donis supernaturalibus, vt de se est manifestum.

8 *Prob. min.* Minor vero non est minus certa, & probatur: si esset possibilis substantia intellectualis creata, adequans compositum ex intellectu, & habitu fidei, & similitèr compositum ex voluntate, & habitu chariratis, vel gratiç, alijsque donis supernaturalibus, hæc evidentèr sequerentur. Primò: quod possibilis sit substantia intellectualis creata, quç solis naturç viribus absquè peculiari auxilio posset supernaturaliter creddere. Secundò: quod posset supernaturalitèr diligere. Tertiò: quod posset actus vitæ æternæ meritorios exercere; atqui hæc omnia plusquam falsa sunt: ergo falsum est, quod sit possibilis substantia intellectualis creata, quæ adæquet compositum ex intellectu, & habitu fidei, & similitèr compositum ex voluntate, & habitu charitatis, seu gratiæ, alijsque donis supernaturalibus.

9 *Confirmat.* Confirmatur: si esset possibilis substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, possibilis esset intellectus creatus, adæquans compositum ex potentia, & specie, & etiam compositum ex potentia, & cognitione; atqui hæc sunt repugnantia: ergo impossibilis est substantia intellectualis creata, quæ adæquet compositum ex intellectu, & lumine gloriæ. Consequentia est legitima. Maior constat: nam çquè repugnat substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex intellectu, & lumine gloriç, ac repugnat intellectus creatus, adæquans compositum ex potentia, & specie, & compositum ex potentia, & cognitione, vt de se apparet.

10 *Prob. min.* Minor vero est æquè certa, & vltrà probatur: si esset possibilis intellectus creatus, adæquans compositum ex potentia, & specie, & compositum ex potentia, & cognitione, hæc necessariò sequuntur. Primò: quod esset possibilis intellectus creatus, cognoscens obiectum absquè specie superaddita. Secundò: quod esset possibilis intellectus creatus, cognoscens absquè distinctione operationis elicitæ ab ipso.

Atqui hæc repugnantia sunt, vtpotè, solius Dei propriſsima: ergo repugnat, quod ſit poſsibilis intellectus creatus, adæquans compoſitum ex potentia, & ſpecie, & etiam compoſitum ex potentia, & cognitione.

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

11 *Arguit.* 1. ARguitur primò, & eſt præcipuũ adverſariorum fundamentum, ad hanc formam reddactum: compoſitum ex intellectu, & lumine eſt quid finitum: ergo dabilis eſt ſubſtantia intellectualis creata, vnitivè continens perfectionem illius. Antecedens eſt certum. Conſequentia probatur primò: continentia perfectionis finitæ non repugnat ſubſtantiæ intellectuali creatæ; ſed iuxta conceſſa compoſitũ ex intellectu, & lumine eſt quid finitum: ergo dabilis eſt ſubſtantia intellectualis creata, vnitivè continens perfectionem illius. Probatur ſecundò dicta conſequentia: dato quocumque finito, poteſt Deus perfectius, & perfectius producere; ſed per nos compoſitum ex intellectu, & lumine eſt quid finitum: ergo idem, quod anteà.

Prob. conſeq. 1.

Secundò.

Hoc argumentum (inquit Ill. Godoy *tom.* 1 *in* 1 *part. diſput.* 13 *num.* 73.) adeo torſit ingenium Molinæ, vt inter vtramque ſententiam affirmantẽ, & negantem, pendulum, & ſuſpenſum relinquerit, & revera in affirmantem magis propenſum; ſed mirum eſt, virum aliàs doctum, adeo levi præſum argumento, cum mille inſtantijs, eius inefficacia manifeſtè aperiatur. Et quidem conflatum ex ſubſtantia, & potentia proximè operativa, limitatum, & finitum eſt; & tamen in veriori ſententia non poteſt Deus ſubſtantiam creatam producere illi æquivalentem, & ratione ſui proximè operativam. Item: conflatum ex ſubſtantia, & ſpecie repræſentativa extrinſeci obiecti limitatum eſt; & tamen non poteſt Deus ſubſtantiam producere prædicto conflato æquivalentem, & ratione ſui abſquè ſuperaddita ſpecie cognoſcentem obiectum extrinſecũ. Item: conflatum ex intellectu, & intellectione actuali, limitatum, & finitum eſt; & tamen in nullius ſententia poteſt Deus intellectum producere ratione ſui, abſquè intellectione à ſe ipſo diſtincta, percipientem obiectum. Item: conflatum ex potentia creata, & auxilio dato ad patranda miracula, & conflatum ex intellectu, & illuſtratione ducente ad cognoſcendas cogitationes cordis divini, ſunt finitæ, & limitatæ perfectionis; & tamen nequit Deus aliquam potentiam ratione ſui æquivalentem illis producere. Deniquè, vt alia omittam, conflatum ex natura creata, & vnione hypoſtatica ſecundum id, quod vnio importat in recto, quid finitum, & limitatum eſt; & tamen nequit Deus, quantumcumque vtatur ſua extraordinaria potentia, naturam creatam producere æquivalentem reſultanti ex vtroque, cui connaturalis ſit ratione ſui perſonalitas divina terminans: valeat ergo argumentum Molinæ tot inſtantijs laborans ab ipſo, & eius Aſeclis neceſſariò diluendis.

Inconſequentia Ill. Godoy, & Thomiſtarum.

Ex his itaque oſtendo manifeſtam Ill. Godoy inconſequentiam; nam ita repugnat quod perfectio potentiæ, & habitus in aliquo adunentur, ac perfectio intellectus, & luminis, vt de ſe patet, & oſtendunt inſtantiæ Ill. Godoy contra Molinam factæ: ergo vnũ affirmare, & aliud negare, eſt manifeſta inconſequentia, vtpotè, aperta contradictio; atqui ſecundum negat Ill. Godoy *tom. citat. in* 1 *part.* & primum affirmat *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſput.* 15. *numer.* 24. vbi tenet, & ex Div. Thoma probat: quod virtus per ſe infuſa non ſolum dat poſſe, ſed etiam facilitatem ad actum ſupernaturalem: ergo inconſequentèr procedit manifeſtè. Hac inconſequentia oſtenſa contra Ill. Godoy.

12 *Reſpondet.*

Reſpondeo ad argumentum, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad primam probationem diſtinguo maiorem: continentia perfectionis finitæ eiuſdem ordinis cum ſubſtantia intellectuali creata, non repugnat ſubſtantiæ intellectuali creatæ, concedo maiorem; diverſi ordinis nego maiorem; diſtinguoque minorem: compoſitum ex intellectu, & lumine eſt quid finitum, & ſunt diverſi ordinis intellectus, & lumen, concedo minorem; eiuſdem ordinis, nego minorem, & conſequentiam. Ratio ſolutionis ſumenda eſt ex noſtra prima probatione à priori, & ampliùs ex dicendis in hoc §. apparebit.

Ad 1. *prob. conſeq.*

13 *Ad* 2. *reſpod.* 1.

Ad ſecundam probationem conſequentiæ reſpondeo primò, negando con-

consequentiam ; quia ex præmissis tantum sequitur, posse Deum producere conflatum ex intellectu, & lumine, perfectius conflatu ex hoc intellectu, & hoc lumine, quod de facto datur, quod libentèr concedimus, etsi ab aliquibus negetur ; & hoc sufficit ad verificandam prædictam maiorem secundæ probationis, ex qua nunquam sequitur, posibilem esse intellectum simplicem, adæquantem perfectionem illius compositi, quod probari debebat.

14 *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: dato quocumque finito simplici, potest Deus perfectius producere, concedo maiorem; dato quocumque finito conflato, subdistinguo: potest Deus perfectius producere in alio conflato, omitto maiorem; in vna simplici entitate, iterum subdistinguo: si sit eiusdem rationis, vel ordinis cum conflato, concedo maiorem; si sit diversæ rationis, vel ordinis cum conflato, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiã.

15 *Retorq. 1. 8. paritatibus.* Sed quia hoc est adversariorum fundamentum præcipuum, retorqueo primò argumentum, octo paritatibus sequentibus. Prima: compositum ex materia, & forma est quid finitum. Secunda: compositum ex subiecto, & accidente est quid finitum. Tertia: compositum ex intellectu, & habitu fidei est quid finitum. Quarta: compositum ex voluntate, & habitu charitatis, seu gratiæ, aliisque donis supernaturalibus, est quid finitum. Quinta: compositum ex potentia, & specie est quid finitum. Sexta: compositum ex potentia, & cognitione est quid finitum. Septima: compositum ex natura creata, & auxilio ad patranda miracula, est quid finitum. Octava: compositum ex humanitate, & vnione hypostatica, est quid finitum. Omitto alia plurima, & contra aduersarios.

16 *Infero 1.* Infero primo: ergo possibilis est materia vnitivè continens perfectionem formæ, & consequentèr materia ex se ipsa informata. *Secundò.* Secundò: ergo possibile est subiectum vnitivè continens perfectionem accidentis, & consequentèr subiectum ex se formalitèr album, calidum, &c. *Tertiò.* Tertiò: ergo possibilis est substantia creata intellectualis, adæquans compositum ex intellectu, & habitu fidei, & consequentèr potens supernaturalitèr credere solis naturæ viribus absquè peculiari auxilio. *Quartò.* Quartò: ergo possibilis est substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex voluntate, & habitu charitatis, seu gratiæ, aliisque donis supernaturalibus, & consequentèr potens sine peculiari auxilio solis naturæ viribus supernaturalitèr diligere, & actus meritorios vitæ æternæ exercere.

17 *Quintò.* Infero quintò: ergo possibilis est sensus, vel intellectus adæquans compositum ex potentia, & specie, & consequentèr cognoscens obiectum absque specie superaddita. *Sextò.* Sextò: ergo possibilis est substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex potentia, & cognitione, & consequentèr cognoscens per operationem à se non productam, & à se ipsa indistinctam. *Septimo.* Septimò: ergo dabilis est substantia intellectualis creata, adæquans compositum ex natura creata, & auxilio ad patranda miracula, & consequentèr vnitivè continens perfectionem illius compositi. *Octavo.* Octavo: ergo dabilis est substantia creata, adæquans compositum ex humanitate, & vnione hypostatica, consequentèrque vnitivè continens perfectionem illius. Assumo nunc: atqui incredibile est, hæc omnia à contrarijs admitti: ergo nec illorum fundamentum admitti debet; nam quacumque harum paritatum falsificata, & eorum falsificatur fundamentum. Quod ad septimam, & octavam paritatem respondent contrarij, videbimus *§ sequent. num. 36.* & reijciemus *num. 37. & 38.*

18 *Retorq. 2.* Retorqueo secundò argumentum; pro quo supponatur, dari intellectum vnitivè continentem conflatum ex intellectu, & lumine, quæ est aduersariorum opinio. Supponatur etiam, dari respectu huius intellectus aliquod lumen, vel auxilium supernaturale, vt est lumen, quod de facto datur respectu nostri intellectus. His suppositis sic arguo: conflatum ex hoc intellectu supposito, & suppositò lumine, est quid finitum: ergo dabilis est substantia intellectualis creata, vnitivè continens perfectionem illius, quo admisso progrediatur vsquè in infinitũ, quod negare debent contrarij. Ex hac duplici retorsione retorsa manet vtraque aduersariorum probatio, quæ facillimè, seruata terminorum proportione, efformari valet.

Ar-

19 *Arguit.* 2.

Arguitur secundò: dabilis est voluntas creata, quæ vnitivè contineat perfectionem habitus adquisiti: ergo dabilis est substantia intellectualis creata, quæ vnitivè contineat perfectionem luminis. Probatur antecedēs: dabilis est voluntas creata, quæ se sola producat actum intensiorem, quam alia voluntas cum habitu; sed hoc nequit facere voluntas, nisi vnitivè contineat perfectionem habitus: ergo dabilis est voluntas creata, quæ vnitivè contineat perfectionem habitus adquisiti. Consequentia est legitima. Minor evidens apparet. Maior autem, in qua poterat esse difficultas, est Scoti *in* 1. *dist.* 7. *quæst.* 2. §. *ad* 3. *concedo.*

20 *Respond.* 1.

Respondeo primò ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem, nego minorem; nam licèt illa voluntas produceret actum intensiorem, quam alia voluntas cum habitu; non ob hoc contineret vnitivè perfectionem habitus, quia non tribueret actui illam facilitatem, vel modum, quem tribuit actus, quod necessarium erat in voluntate, vt perfectionem habitus vnitivè contineret.

21 *Dices* 1.

Dices primò contra solutionem: dabilis est voluntas creata, quæ tribuat actui eandem facilitatem, quam tribuit habitus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: dabilis est voluntas creata, quæ tribuat actui eandem intensionem, quam tribuit habitus: ergo similitèr. Antecedens est certum, & à nobis concessum, vtpotè, Scoti *citat.* Consequentia paritate videtur certa, & probatur: æquè facilitas est propria habitui, ac intensio; sed per nos dabilis est voluntas creata, quæ tribuat actui eandem intensionem, quam tribuit habitus: ergo dabilis est voluntas creata, quæ tribuat actui eandem facilitatem, quam tribuit habitus.

22 *Respondeo.*

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego consequentiam. Disparitas est: nam respectu intensionis actus voluntas, & habitus habent virtutem eiusdem rationis, cum simul concurrant ad intensionem actus; at respectu facilitatis, quam tribuit habitus, voluntas, & habitus sunt diversæ rationis, quia vnum est perfectivile, & aliud perfectivum, quorum neutrum potest vnitivè continere virtutem alterius, vt diximus *num.* 5. & exemplo materiæ respectu perfectionis formæ, & subiecti respectu accidentium, declaravimus *num.* 6. Ex quo patet ad vltimam probationem; nam licèt intensio, & facilitas æquè habitui conveniant, sunt diversæ rationis; vndè ex continentia vnius non valet continentiam alterius inferre, & ex hoc potest distingui maior probationis.

23 *Dices* 2.

Dices secundò: perfectio inferioris contineri valet in superiori; sed facilitas habitus est perfectio inferior voluntate: ergo in illa valet contineri: ergo nulla est allata ad argumentum solutio. Respondeo distinguendo maiorem: perfectio inferioris eiusdem rationis cum superiori potest contineri in superiori, concedo maiorem; perfectio inferioris diversæ rationis cum superiori potest contineri in superiori, nego maiorem; distinguoque minorem: facilitas habitus est perfectio inferior voluntate, & diversæ rationis cum illa, concedo minorem; eiusdem rationis, nego minorem, & consequentiam. Solutio patet per dicta *num.* 22.

24 *Retorqueo.*

Et vltrà retorqueo replicam factam hoc exemplo, vt ex hoc valeat in infinitis infinitas formare retorsiones: perfectio inferioris contineri valet in superiori; atqui virtus generativa hominis est perfectio inferior Angelo: ergo virtus generativa hominis valet in Angelo contineri, quod est falsum apud ipsos adversarios, vtpotè, à nullo concessum.

25 *Respond.* 2. *ad argum.*

Respondeo iam secundò ad prædictum argumentum, distinguendo antecedens: dabilis est voluntas, quæ vnitivè contineat perfectionem habitus adquisiti, quoad intensionem, concedo antecedens; quoad facilitatem, nego antecedens; & hoc tantum convincit probatio, & approbat Scotus *citat.* ex quo amplius lucescit nostra à priori probatio; nam eo modo, quo voluntas, & habitus sunt diversæ rationis, quia vnum est perfectivum, & alterum perfectibile, impossibile est, quod neutrum possit alterum vnitivè continere, quantumcumque crescat in sua entitate; atqui intellectus, & lumen sunt diversæ rationis; tum, quia intellectus est perfectibilis per lumen, & lumen est perfectivum intellectus. Tum, quia lumen tribuit supernaturalitatem, quā intellectus tribuere nequit: ergo

quan-

quantumcumque intellectus creícat in entitate, impoſsibile eſt, quod intellectus vnitivè contineat perfectionem luminis.

26 *Arguit. 3. ſpecialitèr.* Arguitur tertiò ſpecialitèr contra nos ex Scotiſtarum doctrina generali cum Scoto: quod intelectus ſit perfectibilis per lumen gloriæ, non obeſt, vt ſit dabilis intellectus creatus vnitivè continens perfectionem luminis: ergo nulla eſt tota noſtra ratio à priori. Probatur antecedens: quod intellectus ſit perfectibilis per lumen gloriæ, non obeſt, vt ſit dabilis intellectus creatus, ſibi identificans lumen gloriæ: ergo. Probatur antecedens: quod principium eſſendi ſit perfectibile per principium operandi, v. g. anima rationalis per intellectum, non obeſt, vt principium eſſendi creatum, ſcilicèt, anima, ſibi identificet principium operandi, nempè, intellectum: ergo quod intellectus ſit perfectibilis per lumen gloriæ, non obeſt, vt ſit dabilis intellectus creatus, ſibi identificans lumen gloriæ. Antecedens eſt omnium Scotiſtarum, aſſerentium cum Magiſtro *in 2. diſt. 16.* potentias animæ realitèr cum anima identificari. Conſequentia videtur paritate certa.

27 *Reſpond.* Reſpondeo ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem, nego etiam antecedens, & ad huius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Diſparitas eſt: nam principium eſſendi, & principium operandi ſunt eiuſdem rationis, cum reſpectu operationis vtrumque habet virtutem eiuſdem rationis, & æquè proportionatam ad operationem; at intellectus, & lumen ſunt diverſæ rationis, vt totiès dictum manet; vndè non tenet paritas.

28 *Replicabis.* Replicabis: intellectus, & lumen ſunt eiuſdem rationis: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: principium eſſendi, & principium operandi ſunt eiuſdem rationis: ergo ſimilitèr intellectus, & lumen. Antecedens eſt à nobis conceſſum. Conſequentia probatur primò: ideò principium eſſendi, & principium operandi ſunt eiuſdem rationis, quia vtrumque habet virtutem ad eandem operationem; ſed intellectus, & lumen habent virtutem ad eandem operationem, nempè, viſionem: ergo intellectus, & lumen ſunt eiuſdem rationis. Probatur ſecundo dicta conſequentia: ideo iuxtà à nobis dicta *num.* 22. voluntas, & habitus habent virtutem eiuſdem rationis quoad intenſionem actus, quia voluntas, & habitus ſimul concurrunt ad illam; atqui intellectus, & lumen ſimul concurrunt ad viſionem: ergo ſunt eiuſdem rationis.

Conſeq. probat. 1.

Secundò.

29 *Reſpond. ad replic.* Reſpondeo ad replicam, negando antecedens, & ad probationem, nego conſequentiam, ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: ideò principium eſſendi, & principium operandi ſunt eiuſdem rationis, quia vtrumque habet virtutem ad eamdem operationem, præciſè, nego maiorem; quia vtrumque habet virutem proportionatam ad eandem operationem, concedo maiorē, & hoc eſt, quod diximus *num.* 27. in reſponſione ad argumentum. Diſtinguo minorem: intellectus, & lumen habent virtutem ad eandem operationem, improportionatam in intellectu ſeorſim à lumine, concedo minorem; proportionatam, nego minorem, & conſequentiam; quia intellectus ſine lumine nunquam poteſt eſſe proportionatus ad Deum videndum.

Ad 1. prob.

30 *Ad 2.* Ad ſecundam probationem, quæ etiam ad hominem contra nos procedit, diſtinguo maiorem: ideò voluntas, & habitus habent virtutem eiuſdem rationis, quoad intenſionem actus, quia voluntas, & habitus ſimul concurrunt ad illam, ſuppoſita in vtroque ſeorſim proportione cum intenſione actus, concedo maiorem; proportione non ſuppoſita, nego maiorem; & diſtinguo minorem: intellectus, & lumen ſimul concurrunt ad viſionem, ſuppoſita in vtroque ſeorſim proportione cum viſione, nego minorem; proportione non ſuppoſita, concedo minorem, & nego conſequentiam.

31 *Alitèr reſpond.* Alijs etiam terminis diſtinguo primam probationem poſitam in replica: ideò principium eſſendi, & principium operandi ſunt eiuſdem rationis, quia vtrumque habet virtutem ad eandem operationem, præciſè, nego maiorem; quia vtrumque habet virtutem eiuſdem ordinis, concedo maiorem; & hac diſtinctione, diſtinguo minorem, & nego conſequentiam. Ad ſecundam probationem ſimilitèr diſtinguo maiorem: ideò voluntas, & habitus habent virtutem

eiuſ-

eiusdem rationis quoad intesionem actus, quia voluntas,& habitus simul concurrunt ad illam, & sunt in eodē ordine cum intensione actus, concedo maiorem; quia voluntas, & habitus simul concurrunt ad illam, præcisè, nego maiorem; qua distinctione, distinguo minorem,& nego consequentiam; quia intellectus, & lumen non sunt in eodem ordine, cum intellectus sit naturalis, & lumen supernaturale,

32 *Retorqueo.* Deniquè: argumentum probat multum;convincit enim, dari de facto intellectum creatum sibi identificantem lumen gloriæ, quod eisdem terminis argumenti ostendo,& sic retorqueo: quod intellectus sit perfectibilis per lumen gloriæ, non obest, vt de facto detur intellectus creatus, vnitivè continens perfectionem luminis: ergo datur de facto substantia intellectualis creata, adęquans compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, quod concedere non audent cōtrarij. Probatur antecedens: quod intellectus sit perfectibilis per lumen gloriæ, non obest, vt de facto detur intellectus creatus, sibi identificans lumen gloriæ: ergo, &c. Probatur antecedens: quod principium essendi sit perfectibile per principium operandi, v. g. anima rationalis per intellectum, non obest, vt principium essendi creatum, v.g. anima, identificet sibi de facto principium operandi,nempè,intellectum:ergo,&c.

§. III.

Statuitur secunda conclusio, & probatur.

33 *2. Concluſ.* SEcunda conclusio: *Repugnat substantia intellectualis creata,quæ naturalitèr exigat lumen gloriæ, vt sibi debitum.* Sic Scotus *citat. num.*3. Probatur primò à priori: de ratione entis supernaturalis absolutè,& simplicitèr est, quod superexcedat exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis; sed lumen gloriæ est supernaturale absolutè, & simplicitèr: ergo excedit exigentiam omnis naturæ creaturæ, & creabilis:ergo repugnat substantia intellectualis creata, quæ naturalitèr exigat lumen gloriæ, vt sibi debitum. *Probat.* 1. Maior probatur primò: non minus est de ratione supernaturalis excedere exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, ac est de ratione naturæ excedi ab omni supernaturali creato, & creabili; sed de ratione naturæ est sic excedi: ergo de ratione entis supernaturalis est absolutè, & simplicitèr, quod superexcedat exigentiam omnis naturæ creatæ,& creabilis. *Maior probat.* 1. Syllogismus patet: alioquim nec supernaturale esset simplicitèr supernaturale, vt opponitur naturali; nec natura esset simplicitèr natura, vt opponitur supernaturali.

Probatur secundò eadem maior: si ens supernaturale simplicitèr non excederet omnem naturam creatam, & creabilem, esset tantum supernaturale secundum quid, scilicèt, respectu huius, vel illius naturæ; sed hoc est falsum: ergo de ratione entis supernaturalis est absolutè, & simplicitèr, quod superexcedat exigentiam omnes naturæ creatæ, & creabilis. 34 *Probat.* 2. Probatur tertiò dicta maior: si ens supernaturale simplicitèr excederet tantum exigentiam illius, vel huius naturæ, species debitæ Angelo superiori (quas admittunt contrarij) essent simplicitèr supernaturales; cum sint suprà exigentiam Angeli inferioris; imò, & proprietates cuiuscumque Angeli, cum sint suprà exigentiam reliquarum substantiarum creatarum; sed hoc est falsum: ergo, &c. *Tertiò.*

Probatur secundò conclusio destruendo fundamentum adversariorum: si non repugnaret substantia intellectualis creata, cui esset connaturale lumen gloriæ, maximè, quia hoc est finitum; sed hæc ratio est nulla: ergo repugnat substantia intellectualis creata, quæ naturalitèr exigat lumen gloriæ, vt sibi debitum. Maior est fundamentum adversariorū. Minor patet ex à nobis dictis *§. antec.* præsertim *à num.* 12. *vsquè ad* 19. ex quibus sic probatur: dantur de facto multę entitates finitæ,quæ nulli substantiæ creabili possunt esse connaturales, vt claret in auxilio dato ad patranda miracula, & vnione hypostatica: ergo quod lumen gloriæ sit finitum, non est ratio, vt sit possibilis substantia intellectualis creata, cui esset connaturale lumen gloriæ. 35 *Probat. 2. concluſ.*

Respondent contrarij: esse disparitatem; nam miraculum,& vnio hypostatica sunt suprà virtutem omnis causæ creatæ, etiam supernaturalis, ob connexionem, quam virtus ad patranda miracula habet cum infinita- 36 *Respondent contrarij.*

tate, & vnio hypostatica cum substantia Verbi; quarè nulli creaturæ possunt esse connaturalia.

37 *Contra* 1. Contra primò: virtus patrativa miraculorum, & humanitas affecta vnione hypostatica, est quid finitum; sed hoc non obstante, possibilis non est substantia intellectualis creata, cui sit connaturalis virtus patrativa miraculorum, nec similitèr hypostatica vnio: ergo ex eo, quod lumen gloriæ sit quid finitum, non rectè probatur: possibilem esse substantiam intellectualem creatam, cui sit connaturale lumen gloriæ: ergo ratio aduersariorum ex finitate luminis desumpta, est omninò nulla. Atqui nostra probatio, ad quam est responsio, procedit contra rationem contrariorum: ergo cum falsitatem illius istæ paritates concludant, nulla est (quidquid sit de veritate opinionis) aduersariorum ratio.

38 *Contra* 2. Contra secundò: nam responsio prædicta est manifesta petitio principij; quia id est, quod inquirimus, cur, scilicèt, virtus patrativa miraculorũ petat esse suprà virtutem omnis naturæ creatæ, & creabilis cuiuscumque ordinis; & ens supernaturale non petat superare exigentiam omnis naturę prædictæ? Similitèr etiam, cur substantia creata, vel creabilis non petat subsistentiam Diuinam, modo finito sibi vnitam; & exigat lumen gloriæ, aliaque dona supernaturalia? Et certè, ratione aduersariorum inspecta, conuincens videtur probatio contra ipsam.

§. IV.

Argumenta contraria solvuntur.

39 *Arguit.* 1. ARguitur primò: si repugnaret substantia intellectualis creata, cui lumen gloriæ esset connaturale, vel repugnaret ex ratione entis creati vt sic, vel ex ratione substantiæ creatæ; sed neutro modo repugnat: ergo possibilis est substantia intellectualis creata, cui sit connaturale lumen gloriæ. Probatur minor quoad primam partem: visio Dei est connaturalis lumini; sed lumen est quid creatum: ergo ex ratione entis vt sic, non repugnat substantia intellectualis creata, cui sit connaturale lumen gloriæ. Probatur quoad secundam: datur accidens, scilicèt, lumen, cui sit connaturalis visio Dei: ergo dabilis erit substantia, vtpotè, accidente nobilior, cui sit connaturale lumen, & visio: ergo non repugnat talis substantia ex ratione substantiæ creatæ.

40 Vid. quęst 10. *Respondet.* Hoc argumentum petit difficultatem illam, An, scilicèt, sit dabilis substantia creata supernaturalis? De qua agemus *quæstione* 10. ibiquè concesso accidente supernaturali negabimus, substantiam creatam supernaturalem esse possibilem, rationemque assignabimus, & argumentum, ex hoc capite deductum, retorquemus. Pro nunc autem, ne eadem repetamus, respondeo ad argumentum: repugnare ex secundò capite, quatenus repugnat substantia creata supernaturalis.

41 *Arguit.* 2. Arguitur secundò, & est principale contrariorum fundamentum: lumen gloriæ est finitum: ergo non repugnat substantia intellectualis creata, cui sit connaturale. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, cuius ratio sumitur ex *num.* 12. & retorqueo octo paritatibus positis *numer.* 15. & præsertim paritatibus de virtute patrativa miraculorum, & hypostatica vnione, de quibus diximus *num.* 35.

42 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: lumen gloriæ est accidens: ergo dabilis est substantia creata, cui sit connaturalis. Probatur consequentia: omni accidenti debet correspondere aliquod subiectum sibi connaturale; sed hoc non est Deus; cum nequeat esse subiectum: ergo quid creatum: ergo dabilis est substantia creata, cui sit connaturalis. Probatur maior: omne accidens dicit ordinem naturalem ad subiectum: ergo omni accidenti debet correspondere aliquod subiectum sibi connaturale.

43 *Respond.* 1. Respondeo primò ad argumentum, concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo dabilis est substantia creata, cui lumen gloriæ sit connaturale, connaturalitate passiuæ inclinationis, concedo consequentiam; connaturalitate exigentiæ, nego consequentiam, & hac distinctione maior probationis est distinguenda. Itaquè esse connaturale stat dupliciter. Vno modo iuxtà naturalem inclinationem subiecti. Alio modo iuxtà debitum, vel exigentiam in subiecto. Primò modo certum est, quod omni accidenti debet correspondere aliquod subiectum sibi connaturale,

ideſt, quod habeat naturalem inclitionem ad illud, & hoc modo quælibet ſubſtantia creata eſt ſubiectum connaturale cuiuſcumque accidentis, vtpotè, ſubſtantiæ perfectivum, ad quod omne ſe extendit inclinatio naturalis, & in hoc ſenſu dixit Scotus *in* 1. *Prologi*. Et *in* 4. *diſt*. 49. *quæſt*. 10. Beatitudinem eſſe homini naturalē. Secundò autem modo falſum eſt argumentum, vt conſtat ex noſtris probationibus, & conſtabit etiam ex 4. *Reſponſione*.

44 *Reſpond.* 2. Reſpondeo ſecundò negando conſequentiam, ad probationem nego maiorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens: omne accidens dicit ordinem naturalem ad ſubiectū deribationis, vel receptionis, concedo antecedens; receptionis præciſè, nego antecedens, & conſequentiam. Sunt enim aliqua accidentia, quę non petunt ſubiectum connaturale receptionis, ſed tantum derivationis, ſeu originationis. Exempla. Cœlum imprimit mari virtutem ad motum fluxus, & refluxus, quæ virtus connaturalitèr derivatur à Cœlo, & recipitur in mari, quod non eſt ſubiectum connaturale illius. Item: accidens infinitum (quod poſsibile eſſe, plures concedunt) connaturalitèr derivatur à Deo; non tamen haberet ſubiectum connaturale receptionis, quia adhuc in ſententia horum repugnat ſubſtantia creata infinita. Sic ſimilitèr de accidentibus ſupernaturalibus.

45 *Reſpond.* 3. Reſpondeo tertiò diſtinguendo alitèr antecedens: omne accidens eiuſdem ordinis cum ſubiecto dicit ordinem naturalem ad illud, concedo antecedens; accidens ſuperioris ordinis, nego antecedens, & conſequentiam. Ratio eſt: nam accidens ſuperioris ordinis, vt eſt accidens ſupernaturale, ſolum deſeruit ad elevandam creaturam, vt aſſequatur beatitudinem, quam viribus naturæ conſequi non valet; forma autem elevativa non petit ſubiectum connaturale, quin potiùs ſubiectum elevabile.

46 *Retorqueo.* Ex hacque doctrina oritur optima noſtræ concluſionis probatio, & vrgens contra argumentum retorſio, quam ſub hac forma declaro: omne accidens ſupernaturale ab intrinſeco, & ex natura ſua petit eſſe in ſubſtantia creata, tanquam in ſubiecto elevabili per ipſum: ergo nullum tale accidens petit eſſe in illa, tanquam in ſubiecto connaturali: ergo nullum tale accidens dicit ordinem naturalē ad ſubiectum. Antecedens patet: quia omne accidens ſupernaturale ab intrinſeco, & ex natura ſua eſt elevativū ſubſtantiæ creatæ; ex quo claret conſequentia; nam hoc ipſo omne accidens ſupernaturale petit eſſe in ſubſtantia, tanquam in ſubiecto elevabili: ergo non connaturali.

47 *Reſpond.* 4. Reſpondeo quartò alitèr diſtinguendo antecedens: omne accidens dicit ordinem naturalem ad ſubiectum receptivum, vel per paſsivam inclinationem, vel per exigentiam, concedo antecedens; per exigentiam præciſè, nego antecedens, & conſequentiam. Certum namque eſt: quodcumque accidens exigere ſubiectum aliquod, & quod quodvis ſubiectum habeat inclinationem paſsivam ad quodcumque accidens ſui perfectivū, vt in Phiſica docuimus de materia prima; cœterum falſum eſt: ſubiectum exigere tale accidens, vt claret in auxilio dato ad patranda miracula, & vnione hypoſtatica, quæ exigunt ſubiectum; ſubiectum verò non exigit illa, quia ſunt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam. Hæc ſolutio conſonat cum dictis in 1. *Reſponſione*.

48 *Reſpond.* 5. Reſpondeo quintò alitèr adhuc diſtinguendo antecedens: omne accidens dicit ordinem naturalem præciſè, concedo antecedens; naturalem, & naturalitatis, nego antecedens Alijs terminis: dicit ordinem naturalem, ſic, quod prædictus ordo ſit naturalis accidenti, concedo antecedens; hoc enim eſt dicere ordinem naturalem præciſè; ſic, quod prædictus ordo ſit naturalis accidenti, & ſubiecto, nego antecedens; hoc enim eſt dicere ordinem naturalitatis. Solutio claret ex *num. anteced.*

49 *Retorq.* 1. Ex quo retorqueo primò argumentum: omne accidens dicit ordinem naturalem ad ſubiectum; ſed vnio hypoſtatica, & auxilium ad patranda miracula, ſunt accidentia: ergo dicunt prædictum ordinem: ergo dabilis eſt ſubſtantia creata, cui vnio prædicta, & prædictum auxilium ſint connaturalia, quod negant omnes.

50 *Retorq.* 2. Retorqueo ſecundò: omne accidens dicit ordinem naturalem ad ſubiectum: ergo omne accidens de facto exiſtens dicit ordinem natura-

lem ad subiectum existens de facto: ergo datur de facto substantia intellectualis creata, cui lumen gloriæ (similitèr de alijs donis superna uralibus) sit connaturale. Respondeant ad retorsionem contrarij,& erit pro nobis solutio suprà datas ad argumentū.

51 *Arguit. 4.* Arguitur quarto: datur de facto subiectum, cui sit connaturalis visio beatifica, scilicèt, conflatum ex intellectu,& lumine: ergo dabilis est creatura, cui lumen sit connaturale. Probatur consequentia: conflatum ex intellectu,& lumine est creatura: ergo dabilis est creatura,cui lumen sit connaturale. *Respondeo.* Respondeo distinguendo primum consequens: ergo dabilis est creatura, per se vna, cui lumen sit connaturale, nego consequentiam; non per se vna,vt est conflatum ex intellectu, & lumine, concedo consequentiam. Nec hoc est contra nos asserentes: impossibilem esse creaturam sine elevatione, cui connaturale sit lumen gloriæ; nam conflatum prædictum, est intellectus elevatus, de cuius connaturalitate sequentem instituam quæstionem. *Retorqueo.* Retorqueo etiā argumentum: datur de facto subiectum, cui sit connaturalis visio beatifica: ergo de facto datur creatura,cui lumen sit connaturale, quod est contra adversarios. Disparitatē assignent, & ratio disparitatis convincet impossibilitatem talis creaturæ.

§. V.

Conclusio responsiva quæstionis proponitur,& firmatur.

52 *3. Concluſ.* TErtia conclusio: *Nulli intellectui creabili est possibilis naturalitèr visio Dei.* Seu quod idem est: *Repugnat substantia creata intellectualis, cui connaturalis sit visio Dei.* Sic Scotus *citat. num.* 3. & omnes *ibi citat.* Fabet Scriptura:nam Paul. 1. *ad Thimot.* 1. ait:*Immortali, & invisibili*; alijsque locis appellat Deum lucem habitare inaccessibilem,quem nullus hominum vidit, nec videre potest. Fabent etiam Patres, pro quibus sufficiat D.Augustinus *lib.* 11. *de Civitate Dei, cap.* 2. his verbis: *Quamvis non omnis beata esse possit creatura, nec enim hoc munus adipiscuntur Feræ,Saxa,Ligna,&c. Ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, à quo creata est.* Omitto alias authoritates, quia, meo videri, non convincunt, eo, quod eas adversarij magna probabilitate solvunt.

53 *Rationes aliquorum.* Ratione autem multiformitèr multi probant, quorum rationes non refero, quia de earum efficacitate aliud est dubium, in præsenti non quæsitum. D. Thomas 1. *part. quæst.* 12 *artic.* 4. Et 1. 2. *quæst.* 5. *artic.* 3. Et 3. *contra Gentes, cap.* 52. vtitur quadam ratione, quam sub distincta forma à Thomistis proponitur; nam Ill. God. *tom.* 1. *in* 1. *part. disput.* 13. *num.* 51. illam subscrivit per gradus immaterialitatis; alij autem per modum essendi rei cognitę,& cognoscentis. Sed quia sic, vel sic efformata, eadem est ratio, quæ à nobis declarata, & impugnata manet *tom.* 1. *in* 1. *Sentent. disput.* 6. *à num.* 35. *vsque ad* 46. ibi videndum relinquo, & ad probandam conclusionem progredior.

54 *Probat. 1. concluſ.* Probatur primò conclusio:si esset possibilis intellectus creatus, cui visio Dei esset connaturalis,talis intellectus adęquaret compositum ex intellectu, & lumine,hocque esset illi naturalitèr debitum; atqui impossibilis est intellectus, adæquans compositum ex intellectu, & lumine, & cui lumen sit naturalitèr debitum: ergo impossibilis est intellectus,cui visio Dei sit naturalitèr possibilis. Maior est fundamentum contrariorum. Minor patet ex præiactis conclusionibus. Consequentia legitimè infertur.

55 *Probat. 2. ex Scoto.* Probatur secundò conclusio ratione Scoti *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. *§. Respondeo ad quæstionem, & quodlibeto* 14. *artic.* 2. *in principio*:impossibile est,intellectum creabilem posse elicere visionem Dei,nisi obiectum sit præsens in se, vel in alio; sed non est creabilis intellectus, habens Deum naturalitèr præsentem in se, vel in alio: ergo impossibilis est intellectus,cui visio Dei sit naturalitèr possibilis. Maior est certa;nam ab obiecto, & potentia paritur notitia. Minor pro prima parte ab Scoto probatur ex Ambrosio 1. *in Luc. cap.* 1. dicente: *Naturæ Dei est non videri; nam si non vult, non videtur, si vult,videtur.*

56 Pro secunda autem probatur: si intellectus creabilis haberet Deum naturalitèr præsentem in alio, vel esset in alio continente Deum formalitèr,eminentèr, virtualitèr; vel intentionalitèr? Sed nullo modo:ergo non est creabilis intellectus,habens Deum

naturaliter præsentem in alio. Probatur minor quoad primam partem: nequit Deus contineri in alio formaliter, eminenter, vel virtualitèr; nam hoc modo continens est perfectius contento, aut saltim æquè perfectum, vt est notorium; sed nihil est, nec potest esse Deo perfectius, nec æquè perfectum: ergo intellectus creabilis non haberet Deum præsentem in alio formalitèr, eminentèr, aut virtualitèr.

57 Quoad secundam verò partem probatur: nam licèt possit dari species intentionalis, Deum repræsentans, nequit tamen produci ab aliquo obiecto naturali, nec naturalitèr ab ipso Deo: ergo intellectus creabilis non haberet naturalitèr Deum præsentem in alio intentionalitèr. Probatur antecedens: vnum obiectum non producit speciem alterius, vt de se patet; nec Deus ad extra naturalitèr agit, vt docet Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Et *dist.* 8. & 39: ergo licèt possit dari species intentionalis, Deum repræsentans, nequit tamen produci ab aliquo obiecto naturali, nec naturalitèr ab ipso Deo.

58 *Dices.* Contra hanc rationem replicant Fasolus, & Amicus: potest aliquid à Deo liberè dependere, & simul esse naturalitèr debitum creaturæ: ergo quod species Dei ab ipso liberè dependeat, non obest, vt intellectui creabili possit esse naturalitèr debita. *Prob. antec. 1. ratione.* Antecedens probatur primò ratione: posita quacumque exigentia ex parte creaturæ, semper Deus liberè movet illam ad suos actus: ergo potest aliquid à Deo liberè dependere, & simul esse naturalitèr debitum creaturæ. *Prob. exemplis 2.* Secundò probatur exemplis: Angeli naturalitèr petunt species; sed liberè à Deo producuntur: ergo. Item: species abstractiva Dei est Angelis naturalitèr debita iuxta Scotum; sed à Deo liberè producitur: ergo. Denique: quæcumque causa secunda naturalitèr petit concursum causæ primæ; sed hic est à Deo liberè: ergo quod species Dei ab ipso liberè dependeat, non obest, vt intellectui creabili possit esse naturalitèr debita.

59 *Respondeo ad replicã, & ad 1. probat.* Respondeo ad replicam distinguendo antecedens: potest aliquid liberè, vt oponitur naturali, à Deo dependere, & simul esse naturalitèr debitum creaturę, concedo antecedens; liberè, vt coincidit cum supernaturali, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens, & antecedens probationis à ratione. Ad primum exemplum, distinguo similitèr minorem. *Ad 1. & 3. exemplum.* Ad tertium eadem distinctione distinguenda est minor cũ consequenti.

Ad secundum, quod ex Scoto traditur, nego maiorem; imò Scotus oppositum docet: nam *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. dicens: Angelum posse videre Deũ per speciem sibi naturalem, illam appellat naturalem, quatenus fuit Angelo ab initio infusa, & non spectans ad gratiam, vel gloriam; expræsse tamen ibidem affirmat: talem speciem esse supernaturalem, quatenus nequit naturalitèr adquiri, vel produci; est enim (ait Doctor *citat.*) à causa supernaturali, & supernaturalitèr agente. 60 *Ad 2. exemplum.*

Ex qua verissima Scoti intelligentia manifestè apparet, deceptos fuisse Authores prædictos, Scotum citantes, vt alij cum Suario decepti sunt, iudicantes: Scotum docere, posse Angelum naturalitèr Deum videre. Decepti (inquam) sunt omnes isti, quorum deceptio orta fortasse fuit ex eo, quod Scotum *cit.* non legerunt; imò, neque *quæst.* 2. *Prologi*, §. *Arguitur*. Nec *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. § 3. *dico*. Nec *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. *in initio*, dicentem: *Hæc est maior hæresis, quam hæresis Pelagij, qui posuit, quod homo sine gratia possit iustificari.* Et denique, nec *quodlib.* 14. §. *de secundo principali*, quibus in locis oppositum tenet Doctor. Et quando veritatem aliquam haberet, Scotum id docere, distinguenda esset maior exempli secundi distinctione cæteris data. 61 *Solidatur Scoti opinio*

Explicatur iam solutio tradita; quando enim Scotus ait: Deum non naturalitèr, sed liberè producere speciem sui, non accipit *naturalitèr*, vt opponitur tantum libero, sed etiam vt opponitur supernaturali; & è contra: accipit *liberè*, non solum pro principio libero, vt à naturali distincto, sed etiam pro principio supernaturali, excludente omnem exigentiam ex parte creaturæ. Et quod hæc sit vera Scoti mens, ostenditur clarè. 62 *Explicatur solutio.*

Si Scotus hic accepisset *liberè*, vt distinguitur solum à principio naturali, adhibuisset rationes, quibus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Et *dist.* 8. *quæst. vltima*, §. *Quantum ad* 2. Et *dist.* 39. §. *Contra istam*. Et *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. contra Philosophos probaverat libertatem Dei 63 *Mens Scoti declaratur.*

in agendo ad extra; atqui has non adducit, solumque probat authoritate PP. Augustin. & Ambros: ergo non accipit *liberè*, vt solũ opponitur principio naturali; idque accipit in sensu, quo à Patribus docetur. Tunc sic: sed Patres asserunt: Deum supernaturaliter solum esse à creatura visibilem: ergo quando hoc probat Scotus ex eo, quod species Dei sit liberè ab ipso, accipit *liberè*, non solum pro principio libero, vt à naturali distincto, sed etiam pro principio supernaturali, excludente omnem exigentiam ex parte creaturæ.

64 *Firmatur.* Neque novum est: rem fieri à Deo liberè, sivè à Divina voluntate, esse idem, ac supernaturaliter fieri; sic enim intelliguntur plura loca Scripturæ, scilicèt, *Ita Domino placuit, ita factum est: Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te: Gratiam, & Gloriam dabit Dominus*, in quibus voluntas Dei sumitur pro principio gratuito, vel supernaturali. Sic etiam loquitur Anselmus *lib. de Concordia gratiæ, & lib arb. cap. 4.* Sic etiam Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 2.* ad vltimum dico, quod si accipiatur gratia pro gratuita Dei voluntate, Deus dicitur ex gratia operari omne illud, quod non includitur in natura rei, sed magis excedit facultatem eius, &c.

65 *Alij replicant.* Alij verò sic replicant contra rationem Scoti: quia ex illa sequitur, quod nullam habere possumus de Deo cognitionem, adhuc confusam, & imperfectam, scilicèt, secundum prædicata communia, vel propria ex communibus; sed hoc est falsum: ergo falsa est Scoti ratio. Probatur sequela: Deus, nec in se, nec in alio est naturaliter præsens intellectui creato; sed hæc est nostra, & Scoti ratio: ergo ex illa sequitur, quod nullam habere possumus de Deo cognitionem adhuc confusam, & imperfectam. *Respondeo.* Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, distinguo maiorem: nec in alio, repræsentante Deum perfectè, & distinctè, concedo maiorem; confusè, & imperfectè, nego maiorem, & eadem distinctione, distinguo minorem, & nego consequentiam.

66 *Veritas solutionis ostenditur.* Ad hoc enim, vt Deus confusè, & imperfectè à nobis cognoscatur, sufficit, quod Deus contineatur in creatura, tanquam in effectu, quia eo modo, quo continetur, est præsens; sed continetur imperfectè: ergo imperfectè cognoscitur. Item: potest creatura producere speciem, Deum imperfectè repræsentantem; vtpotè, vestigium eius: ergo possumus Deum naturaliter cognoscere imperfectè. Nec hoc est contra rationem Scoti; Scotus namquè loquitur de cognitione perfecta, & distincta.

67 *Dices.* Dices: Angelus superior non continetur in inferiori; sed ab illo naturaliter cognoscitur: ergo non requiritur continentia obiecti, vt naturaliter cognoscatur. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: Angelus superior non continetur entitativè in inferiori, concedo maiorem; repræsentativè, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Angelus enim inferior continet repræsentativè superiorem, quia potest illum in se immediatè habere præsentem, vel habere speciem impressam illius, quod sufficit, vt illum naturaliter cognoscat.

68 *Pro adversarijs replico contra rationẽ Scoti.* Ego vero pro adversarijs sic contra rationem Scoti replico: quod Deus sit obiectum liberum, & voluntarium, non obest, vt sit possibilis intellectus creatus, cui sit connaturalis visio Dei; sed hæc est Scoti ratio: ergo nulla est. Consequentia est legitima. Minor patet ex dictis *num. 55.* Maior verò probatur: secreta cordium, quæ sunt actus liberi voluntatis Angelicæ, & humanæ, sunt obiecta libera; sed hoc non obest, vt sit possibilis intellectus creatus, scilicèt, Angelicus, cui sit connaturalis cognitio talium secretorum: ergo quod Deus sit obiectum liberum, & voluntarium, non obest, vt sit possibilis intellectus creatus, cui sit connaturalis visio Dei. Maior est vniversaliter vera. Minor est omnium Scotistarum, asserentium cum Scoto *in 2. dist. 9. quæst. 2.* posse Angelum naturaliter cognoscere secreta cordium. Consequentia paritate, & ad hominem videtur certa.

69 *Respondeo.* Fateor, hanc replicam contra nos vrgere, sed ad illam respondeo, negando paritatem. Disparitas est: nam Deus ad extra merè contingenter agit; non verò naturaliter, vel necessariò; ideòque in ordine ad intellectũ creatum est obiectum liberum, & voluntarium; sed actus voluntatis Angelicæ, & humanæ, scilicèt, secreta cordium, licèt in ratione effectus produ-

ci-

cibilis sint liberi; quatenus producuntur à causa, ad vtrumlibet indeterminata; tamen in ratione obiecti intelligibilis per comparationem ad intellectum, non sunt obiecta libera, & voluntaria, sed naturalia, illum naturaliter moventia, & necessario suam speciem in eum mittentia. Vndè in forma respondeo negando maiorem, ad cuius probationem, nego etiam maiorem; quia licèt secreta cordium sint libera in ratione effectuum producibilium; non sunt libera in ratione obiecti; visio autem Dei vtroque modo est libera, vt manet dictum, per quod claret disparitas.

70 *Retorq.* 1. Soluta iam replica ad hominem contra nos facta, retorqueo replicam primò: quod secreta cordium, quæ sunt actus liberi voluntatis Angelicę, & humanæ, sint obiecta libera, & voluntaria, non obest, vt intellectus Angelicus habeat de facto virtutem naturaliter cognoscitivam talium secretorum: ergo quod Deus sit obiectum liberum, & voluntarium, non obest, vt intellectus creatus habeat de facto virtutem ad Deum naturaliter videndum. Antecedens est Scoti opinio, ex qua contra nos fuit replica facta. Consequentia est vi paritatis contra nos factæ, contra adversarios ad hominem evidens. Atqui falsum etiam est apud adversarios, quod detur intellectus creatus habens de facto virtutem ad Deum naturaliter videndum: ergo paritas contra nos facta, etiam contra ipsos militat, eo, quod multum probat.

71 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò: quod secreta cordium, quæ sunt actus liberi voluntatis Angelicæ, & humanæ, sint obiecta libera, & voluntaria, non obest, vt Angelicus intellectus plura de facto cognoscat secreta naturaliter, imò, & omnia in sententia probabili: ergo quod Deus sit obiectum liberum, & voluntarium, non obest, vt intellectus creatus Deum de facto naturaliter videat. Atqui hoc est falsum etiam apud adversarios: ergo paritas contra nos facta militat etiam contra ipsos, eo, quod multum probat. Antecedens quoad primam partem patet; nam Angeli boni plura secreta hominum, scilicèt, orationes nostras mentales, & bona desideria cognoscunt, texte Scoto *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 4. & est apud omnes certum. Quoad secundam partem est antecedens indubitatum; nam Angelum de facto cognoscere secreta cordium, tenet probabiliter Scotus *citatus*, & defendit Vulpes *disput.* 11. *artic.* 5.

§. VI.

Solvuntur Argumenta.

72 *Arguit.* 1. ARguitur primò contra conclusionem: quod non sit dabilis intellectus creatus naturaliter Deum videns, provenit solum ex deffectu virtutis illius; sed quolibet intellectu dato, potest Deus alium, & alium perfectioris virtutis producere: ergo dabilis est intellectus creatus, cui connaturalis sit visio Dei. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: provenit ex deffectu virtutis superioris ordinis ad intellectum, concedo maiorem; eiusdem ordinis cum intellectu, nego maiorem; distinguoque minorem: quolibet intellectu dato, potest Deus alium, & alium producere perfectioris virtutis intra ordinem intellectus, concedo minorem; suprà ordinem illius, nego minorem, & consequentiam. Solutio constat ex dictis §. 2. *per totum*, per ibique dicta variè potest argumentum in adversarios retorqueri. Vltrà quæ.

73 *Retorqueo.* Retorqueo sic: quod non sit dabilis intellectus creatus naturaliter cognoscens secreta Divina, provenit solum ex deffectu virtutis illius; sed quolibet intellectu dato, potest Deus alium, & alium perfectioris virtutis producere: ergo dabilis est intellectus creatus, cui connaturalis sit cognitio secretorum Dei, quod apud omnes contrarios est falsum.

74 *Arguit.* 2. Arguitur secundò specialiter: ita est propria Dei invisibilitas, ac est propria Dei cognitio secretorū cordium; sed hoc non obstante, intellectus Angelicus est per nos naturaliter potens ad cognoscenda secreta cordium: ergo dabilis etiam erit intellectus creatus naturaliter potens ad Deum videndum. Probatur maior: sicut in Scriptura, & Patribus asseritur: Deum esse invisibilem; ita in Scriptura, & Patribus asseritur: solum Deum cognoscere secreta cordium: ergo ita est propria Dei invisibilitas, ac cognitio secretorum cordium. Antecedens pro prima parte constat ex dictis *num.* 52. Pro secunda autem patet: nam 3. *Regum* 8. Et 2. *Paralipom.* 6 di-

ci-

citur: *Tu solus nostri corda hominum.* Et *Ieremias* 17: *Pravum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* In pluribusque locis novi Testamenti pro comprobanda Christi Divinitate dicitur: eum cognovisse huiusmodi secreta. Et denique Ieremias ait: Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.

75 *Respondeo.* Respondeo: quod hoc argumentū patitur retorsiones factas *num.* 70. & 71. In forma autem distinguo maiorem: ita est propria Dei invisibilitas, ac cognitio secretorum cordium, in aliquo sensu vtraque intellecta, concedo maiorē; respectu naturalis visionis, & naturalis cognitionis, nego maiorē; qua distinctione, distinguo probationē, & patebit solutio, loca Scripturæ pro vtraque parte explicando.

76 *Explico 1. loca Scripturæ.* Quando enim dicitur in Scriptura: solum Deum cognoscere secreta cordium, debet intelligi. Primò: universaliter de omnibus prorsus secretis, scilicet, præsentibus, præteritis, & futuris, quod solus Deus naturaliter cognoscit, quin alius præter Deum certo, & evidenter naturaliter illa cognoscat. *Secundò.* Secundò debet intelligi ex propria perfectione, sic, quod illorum cognitio nequeat Deo impediri, quomodo Angelus non cognoscit, nec cognoscere valet, cum possit à Deo impediri, vt de facto impediuntur à Deo Angeli mali.

77 Tertiò debet intelligi de Deo, tanquam Iudice vniversali occultorum, quomodo nullus Angelus occulta cognoscit; quæ explicatio optimè quadrat locis ex Scriptura adductis, quia in illis est sermo de modo scrutandi per modum Iudicis vniversalis, præmiando bona desideria, & puniendo mala, vt clarescet ex verbis Ieremiæ *cit.* prosequitur enim sic: *Qui do vnicuique iuxtà viam suam, & iuxtà fructum inventionum suarum.* Et hoc modo explicant loca prædicta Hieronymus, & alij Patres. *Tertiò.*

78 *Explico Patres.* Per has itaque explicationes explicantur Patres, ex cognitione secretorum inferentes Christi Divinitatē, scilicèt, quod eam deducunt ex cognitione Iudiciaria, vniversali, & ex propria perfectione inimpedibili, quibus modis ita est propria Dei secretorum cognitio, quod nulla creatura valet illa sic naturaliter cognoscere. Aſt loquendo de omnino nuda, & simplici secretorum cognitione, non ita est propria Dei, vt Angelus non valeat illa naturaliter cognoscere, in quo stat differentia à Dei invisibilitate, quæ ita est propria Dei, vt nec detur, nec dabilis sit intellectus creatus, Deum naturaliter potens videre, quorum neutrum ab Authoritate convincitur, vt de secretorum cognitione notificat Authoritatum explicatio, & de invisibilitate diximus *num.* 52. & vtrumque probant Scoti rationes.

o)(§)(o

QUÆSTIO NONA.

An Visio Dei sit saltim connaturalis intellectui elevato?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur conclusio.

Num. 1 *Intellectus creatus nequit naturaliter Deū videre, imò nec creabilis.* CErtum est primò: visionem Dei esse supernaturalem respectu intellectus creati in sua natura considerati, & ita certum, ac certum est: intellectum creatum nequire Deum naturaliter videre, quod est verum, & de fide, in Concilijs diffinitum, in Scriptura inventū, & à Patribus passim traditum, quorum Authoritates in recentioribus videri valent. Secundò certum est: non solum intellectum creatum, verum etiam creabilem, nequire Deum naturaliter videre, vt constat ex dictis

Potest elevari ad videndū Deū.

quæst. anteced. Certum est tertiò: intellectum creatum posse per supernaturalem elevationem Deum videre, vt tenet fides, & constat ex Matthæo 18: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Et 1. Ioann. 3. *Videbimus eum, sicuti est*; nosque diximus *tom. 1. in 1. Sent. disp. 6. num. 2.* ex hocque orta est præsens difficultas, An, scilicèt, Visiò Dei sit saltim connaturalis intellectui elevato? Circa quam.

2

1. Sentent. Thomistæ. Smising. Sossa. Felix.

Duplex est opposita sententia. Prima est affirmativa, quam defendunt communitèr Thomistæ, & de qua non disputavit Ill. God. Eam etiam tenent ex Scotistis Smising *disp. 6. numer. 288.* Sossa *difficult. 29. num. 3. & 15.* Felix *cap. 6. difficult. 2. num. 9.* Secunda sententia est negativa, quam ex Scotistis tuentur Vulpes *disput. 23. artic. 12.* Sghemma *tit. 32. quæst. 12*; & passim (ait Mastrius) Scotistæ omnes, in quo fuit absquè dubio Mastrius deceptus; tum, quia Scotistæ paucissimi hanc pertractant difficultatem, vt notavit Sossa *citat.* Tum, quia ex his pauciss imis, duos tantum citat Mastrius pro negativa, & tres sunt pro affirmativa a nobis citati.

2. Sentent. Vulpes. Sghema.

3. Sentent. Mastrius.

Tertia est problematica, quam habet Mastrius *in 1. disp. 6. quæst. 2. artic. 5.* licet in affirmativam potiùs inclinetur. His relatis. Sit.

3

Conclusio.

Conclusio: *Visio Dei est connaturalis intellectui elevato.* Sic Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad argumenta, ỳ. Aliter potest dici.* Et *in 3. dist. 14. quæst. 1. §. in 1. quæstione, ỳ. Etsi obijctatur.*

Probat. 1.

Probatur primò conclusio: illud est supernaturale respectu alicuius, quod est suprà naturam illius; sed Visio Dei non est suprà naturam intellectus elevati; ergo non est supernaturalis respectu illius: ergo est illi connaturalis. Hæc consequentia clarèt: quia hic loquimur de naturali, prout opponitur supernaturali. Maior est apud omnes certa. Minor probatur: si Visio Dei esset suprà naturam intellectus elevati, intellectus sic elevatus indigeret alia elevatione ad Deum videndum; sed hoc est falsum: ergo Visio Dei non est suprà naturam intellectus elevati. Probatur maior: ideò intellectus secundum se indiget elevatione ad videndum Deum, quia Visio Dei est suprà naturam intellectus secundum se: ergo si Visio Dei esset suprà naturam intellectus elevati, intellectus sic elevatus indigeret alia elevatione ad videndum Deum.

4

Confirm. 1.

Confirmatur primò: tunc operatio est connaturalis potentiæ, quando hæc operatur iuxtà vires suas; sed intellectus elevatus, seu virtus conflata ex intellectu, & lumine, iuxtà vires suas elicit visionem; alioquin indigeret alia elevatione, vt suprà dixi: ergo visio Dei est connaturalis intellectui elevato.

Secundò.

Confirmatur secundò: ideò visio est supernaturalis intellectui secundum se, quia hic indiget consortio agentis superioris ad eliciendam visionem; sed intellectus elevatus non indiget consortio agentis superioris ad eliciendam visionē: ergo visio non est supernaturalis respectu intellectus elevati, & consequentèr est illi connaturalis.

5

Tertiò.

Confirmatur tertiò: eandem proportionem habet ex parte potentiæ intellectus elevatus ad eliciendam visionem, quam habet potentia naturalis ad actum sibi connaturalem; sed hic est connaturalis potentiæ: ergo Visio Dei est connaturalis intellectui elevato.

Quartò.

Confirmatur quartò: lumen est naturalissimum principium productivum visionis: ergo visio producta ab intellectu, informato lumine, est ei connaturalis. Probatur consequentia: quia calor est naturale principium productivum caloris, calor productus ab aqua, informata calore, est ei connaturalis; sed per te lumen est naturalissimum principium productivum visionis: ergo visio producta ab intellectu, informato lumine, est ei connaturalis,

6

Respondent contrarij.

Respondent contrarij Scotistæ: omnia hæc tantum probare connaturalitatem secundum quid, seu ex ordinatione Divina; non verò simplicitèr, & absolutè, seu ex natura rei. Ratio est: quia visio non est lumini debita ex natura rei, vt calor igni, sed tantum ex ordinatione Divina, seu ex vi decreti, quo statuit Deus, lumen producere visionem, sicut de gratia in ordine ad santificandum, discurrit Scotus. Idem dicunt de lumine in ordine ad supernaturalizandum intellectum, scilicèt, hoc ei non convenire ex natura rei, sed ex vi decreti, quo statuit Deus, lumen præstare hunc effectum intellectui in ordine ad Visionem Dei.

7

Contra 1.

Contra primò: lumen gloriæ ex

na-

natura sua est productivum visionis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non est assignabilis alius effectus, ad quem producendum, inclinetur lumen gloriæ ex natura rei præter visionem beatam: ergo lumen gloriæ ex natura sua est productivum visionis. Antecedens est certum; alioquim assignent Scotistæ contrarij, ad quem effectum producendum inclinet intellectum habitus luminis gloriæ, cum ignoremus, alium præter visionem ei correspondere in genere efficientis. Consequentia vero probatur: lumini ex natura sua, vt est talis qualitas, debet correspondere aliquis effectus; sed non est assignabilis alius effectus, ad quem producendū, ex natura sua inclinetur lumen gloriæ præter visionem beatam: ergo ex natura sua est productivum visionis.

8 *Confirmat.* Confirmatur: quod gratia ex natura rei non sanctificet, non infert, quod lumen ex natura rei non sit principium supernaturalizandi intellectum, & producendi visionem: ergo ruit paritas responsionis. Probatur antecedens: quod gratiæ præter sanctificationem correspondeat alius effectus ex natura rei, nō infert, quod lumini ex natura rei correspondeat alius effectus præter visionem; alioquim assignent: ergo, &c. *Vrgetur.* Vrgetur: si sanctificatio esset vnicus effectus gratiæ, ex natura rei ipsi conveniret; ideò enim ad hoc negandum assignat Scotus alium effectum gratiæ; sed visio est vnicus effectus luminis: ergo visio convenit lumini ex natura rei.

9 *Contra 2.* Contra secundò: habitus fidei (idem de spe, & Charitate) ex natura sua inclinat ad proprium effectum, quem producit, ex communi omniū consensu: ergo habitus luminis, ipsi correspondens, ex natura sua inclinat ad proprium effectum, quem producit: ergo ex natura sua supernaturalizat intellectum ad producendam visionem, quæ est proprius effectus illius: ruit ergo solutio.

10 *Contra 3.* Contra tertiò: quia secundum Scotum *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. §. *Ad argumentum, pro opinione ad tertium*, ita naturaliter se habet ad suum actū forma, quæ supernaturaliter producitur, sicut se habet ad suum actum forma, quæ est merè naturalis; sed hæc ex natura sua est productiva sui actus: ergo & illa: ergo lumen naturaliter se habet ad suum actum, scilicèt, visinem: ergo visio est lumini simpliciter connaturalis: ergo & intellectui illuminato: ergo nulla est tota contrariorum solutio.

11 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundò conclusio: concursus Dei ad visionem nec est specialis, nec indebitus intellectui elevato: ergo est ei connaturalis. Consequentia patet: nam concursus, qui nec est specialis, nec indebitus, non est supernaturalis. Antecedens probatur ex Scoto *citat.* vbi paulo infrà, ait: Spiritum Sanctum cooperari voluntati habenti charitatē, quia Spiritus Sanctus omni causæ secundæ generaliter cooperatur ad illum actum, ad quem secundum formam suam ordinatur, quomodo est diligere in voluntate habituata: ergo gratia Dei generaliter concurrit cum voluntate habituata ad actum supernaturalem: ergo hic concursus, nec est specialis, nec indebitus voluntati habituatæ; ergo similiter de intellectu elevato, seu habituato.

12 *Confirm. 1.* Confirmatur primò: si concursus Dei ad visionem esset specialis, & indebitus intellectui elevato, indigeret hic speciali elevatione ad visionem producendam; hac enim ratione concursus Dei est indebitus intellectui non elevato; sed hoc est falsum: ergo concursus Dei ad visionem, nec est specialis, nec indebitus intellectui elevato. *Confirm. 2.* Confirmatur secundò: si cōcursus Dei ad visionem esset specialis, & indebitus intellectui elevato, non minus miraculum esset, Deum concurrere cum intellectu non elevato, ac cum intellectu elevato; sed hoc est falsum: ergo concursus Dei ad visionem, nec est specialis, nec indebitus intellectui elevato. *Confirm. 3.* Confirmatur tertiò: si Deus negaret concursum intellectui elevato ad visionem producendam, eodem modo adhiberet illi violentiam; ac cuicumq̄ causæ expeditæ ad producendū suum effectum, si illi negaret generalem concursum: ergo concursus Dei ad visionem, nec est specialis, nec indebitus intellectui elevato: ergo est ei connaturalis.

o)(§)(o

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

Argumentis in contrarium occuritur.

13 *Arguit. 1.*

ARguitur primò, & est replica contra secundam probationem conclusionis: ad actum supernaturalem requiritur concursus Dei specialis, & gratuitus; sed visio beata est actus supernaturalis: ergo requirit concursum Dei specialem, & gratuitum: ergo nequit esse connaturalis intellectui elevato. Maior est Scoti *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. Et *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. Et *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. imò iuxtà diffinitionem Concilij Tridentini. Minor, & consequentiæ sunt certæ. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: respectu potentiæ secundum se consideratæ, concedo maiorem; respectu potentiæ elevatæ, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similitèr primum consequens, negoque secundum.

14 *Explicatur solutio.*

Concursus itaquè Dei, qui est specialis, gratuitus, & supernaturalis respectu potentiæ secundum se consideratæ, est generalis, debitus, & connaturalis respectu potentiæ elevatæ, vt constat ex probationibus nostræ conclusionis, ex quibus retorqueri potest argumentum, vltrà quod sic: omni formæ, debetur concursus ad producendum effectum, ad quem ex natura sua est determinata; sed intellectus elevatus, seu conflatum ex intellectu, & lumine, est ex natura sua productivum visionis: ergo ei debetur concursus ad illam. *Retorqueo.*

15 *Replicabis.*

Replicabis: homo iustus indiget speciali Dei concursu ad operandum, vt Patres, & Concilia docent: ergo etiam intellectus elevatus. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: homo iustus indiget speciali concursu Dei ad operandum, respectu hominis secundum se considerati, concedo antecedens; respectu homini elevati per gratiam, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Patet solutio ex *num. anteced.*

16 *Dices.*

Dices: posito lumine in intellectu, adhuc obiectum beatificum, scilicèt, Deus, liberè, & voluntariè movet: ergo concursus Dei est specialis, gratuitus, & supernaturalis respectu intellectus adhuc elevati. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: liberè movet, vt liberè coincidit cum contingentèr, concedo antecedens; vt coincidit cum supernaturalitèr, nego antecedens, & consequentiã; licèt enim Deus liberè moveat, non ob hoc concursus Dei est supernaturalis, vt patet in concursu Dei exacto à quacumque causa naturali, qui licèt si liber; non tamen est supernaturalis. Sic similitèr, & ex hoc retorqueatur replica.

17 *Vrgebis.*

Vrgebis: posito lumine in intellectu, Deus liberè movet, vt liberè opponitur naturali: ergo concursus Dei non est connaturalis intellectui elevato. Hæc replica habet magnam æquivocationem in termino illo *naturali*, quæ hoc exemplo, & ex hoc in infinitis particularibus clarebit. *Retorqueo.* Deus liberè movet, vt liberè opponitur naturali, ad quemcumque actum cuiuscumque causæ naturalis expeditæ ad illum: ergo concursus Dei non est connaturalis. Respondeant contrarij, & pro nobis respondebunt.

NOTO pro solutione.

Noto ergo ad solutionem, quod naturale, vt ad præsens attinet, dupliciter sumi potest. Primò, pro eo, quod est determinatum ad vnum, quo sensu naturale opponitur libero. Secundò: pro eo, quod fit iuxtà exigentiam alicuius, quo sensu naturale convenit, vel coincidit cum supernaturali, si hoc fiat iuxtà exigentiam alicuius, & est idem ac connaturalitèr, solumque opponitur omnino supernaturali, ideſt, non solum supernaturali in entitate, verum etiam suprà exigentiam quamcumque. Hoc notato.

18 *Respondeo.*

Respondeo distinguendo antecedens: Deus liberè movet, vt liberè opponitur naturali, sumpto naturali primò modo, concedo antecedens; secundò modo capto, nego antecedens, & consequentiam. Claret solutio ex notatione, licèt enim Deus liberè moveat, potest naturalitèr movere, non naturalitèr primò modo sumptum, quia sic sunt indifferentiæ oppositæ; sed secundo modo captum, quia sic non opponuntur, vt constat exemplo allato in argumento, & ex dictis *num.* 16. Sic paritèr in præsenti.

19 *Arguit. 2.*

Arguitur secundò: stante decreto Dei, quod prolatis verbis consecrationis panis transubstantietur in Corpus Christi, transubstantiatio est debita prolatis illis verbis; sed non est naturalis: ergo etsi visio sit debita intellectui elevato, non ob hoc erit naturalis. *Respondeo.* Respondeo: concedo maiorem,

rem, omitto minorem, & nego consequentiam. Disparitas est: quia in transubstantiatione non est aliquod principium physicum constitutum in actu primo, vt illam efficiat; cæterũ in præsenti intellectus elevatus est physicum principium in actu primo ad operandum, cui debetur ipsa operatio.

20 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: si visio esset connaturalis intellectui elevato, intellectus elevatus videret Deum æquè naturaliter, ac cœcus semel illuminatus naturaliter videt: sed hoc est falsum: ergo visio non est connaturalis intellectui elevato. Probatur maior: ideò cœcus semel illuminatus naturaliter videt, quia habet formam creatam, qua potest vti naturaliter ad videndum; sed intellectus elevatus habet formam creatam, qua potest vti naturaliter ad videndum Deum: ergo si visio esset connaturalis intellectui elevato, intellectus elevatus videret Deum æquè naturaliter, ac cœcus semel illuminatus naturaliter videt.

21 *Respondeo.* Respondeo negando maiorem, & distinguendo probationem: quia habet formam creatam secundum se debitam ipsi cœco, concedo maiorem; indebitam, nego maiorem; distinguo minorem: habet formam creatam debitam intellectui secundum se, nego minorem; indebitam, concedo minorem, & nego consequentiam; verum itaquè est, intellectum elevatum naturaliter videre Deum; falsum tamen, quod videat Deum æquè naturaliter, ac cœcus illuminatus videt, cuius ratio est: quia lumen non debetur intellectui secundum se; potentia verò visiva est homini secundum se debita, & consequentèr est homini aliquomodo secundum se naturalis, & solum supernaturalis secundum modum; intellectui verò secundum se nullo modo est lumen naturale, nisi passivè, quod ad præsens non facit.

22 *Arguit.* 4. Arguitur quartò: lumen gloriæ est intellectui omninò supernaturale: ergo etiam visio est supernaturalis ei adhuc elevato. Probatur consequentia: lumen gloriæ tribuitur intellectui, vt constituatur in actu primo supernaturali ad producendam visionẽ; sed quando actus primus est alicui supernaturalis, etiã actus secundus debet esse illi supernaturalis: ergo etiam visio est supernaturalis intellectui adhuc elevato. Probatur minor: si actus primus esset supernaturalis, & secundus naturalis, actus secundus non esset actui primo proportionatus; sed hoc implicat: ergo quando actus primus est alicui supernaturalis, etiam actus secundus debet esse illi supernaturalis.

23 *Respond.* 1. Respondeo primò negando consequentiam, & distinguendo probationem: lumen gloriæ tribuitur intellectui non elevato, vt constituatur in actu primo supernaturali ad producendam visionem, concedo maiorẽ; intellectui elevato, nego maiorem; omitto minorem, & nego consequentiam, quia ex hoc tantum infertur, quod visio sit supernaturalis intellectui non elevato, quia huic tantum est lumen supernaturale, hunc̃q constituit in actu primo supernaturali, vt claret ex distinctione maioris.

24 *Respond.* 2. Respondeo secundo, negando consequentiam, ad probationem nego minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: si actus primus esset supernaturalis, & secundus naturalis entitativè, absolutè, vel quoad substantiam, actus secundus non esset actui primo proportionatus, concedo maiorem; si actus primus esset supernaturalis, & actus secundus naturalis comparativè, actus secundus non esset actui primo proportionatus, nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Itaquè vt inter actum primũ, & secundum detur proportio, sufficit, quod si primus est supernaturalis entitativè, secundus etiam sit ita supernaturalis; cæterum ad proportionem non obest, quod secundus sit naturalis comparativè ad primum, imò hoc est necessarium, quia si primus est supernaturalis, secundus est iuxtà exigentiam primi, & consequentèr illi naturalis.

25 *Explicatur* Explicatur hoc: Pater Æternus producit Filium per potentiam ipsi naturalem, & tamen talis potentia est in se, absolutè, & quoad substantiam supernaturalis: ergo visio potest esse naturalis intellectui elevato; in se tamen, absolutè, & quoad substantiam supernaturalis. Et ratio est iam tacta; nam hoc modo esse aliquid naturale, nihil aliud est, quam esse iuxtà exigentiam alicuius, seu esse illi connaturale, quod etiam convenit entibus

quoad

quoad substantiam supernaturalibus, , vt patex exemplo allato.

26 *Retorqueo argum.* Deniquè retorqueo argumentum: quando actus primus est alicui supernaturalis, etiam actus secundus debet esse illi supernaturalis; sed actus primus ad videndum est cœco supernaturalis: ergo,& actus secundus, scilicèt, videre, est ipsi supernaturalis:ergo cœcus semel illuminatus naturalitèr non videt, quod apud omnes est falsum. Maior patet; alioquim actus secundus non esset actui primo proportionatus, vt vrgebat argumentũ. Minor à nullo negatur. Consequentiæ optimè inferuntur. Idem argumentum est de mortui resurrectione.

27 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: nunquam actus est naturalis potentiæ, nisi quando potentia est naturalis, vel operatur per formam naturalem; sed non est naturale intellectui habere lumen gloriæ: ergo non est ipsi naturalis visio beata. *Respondeo.* Respondeo primò negando maiorem; nam aliquando actus est naturalis potentiæ,etsi potentia sit supernaturalis, vel operetur per formam supernaturalem, vt dixi de potentia generativa Patris, quæ est supernaturalis, & tamen generare est naturale potentiæ. *Secundò.* Respondeo secundò omittendo totum, quia tantum probat de intellectu secundum se considerato.

28 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: lumen gloriæ non extrahit intellectum à sua naturali virtute: ergo quantumvis elevatus remanet substantialitèr naturalis: ergo ipsi etiam vt elevato est visio supernaturalis. *Respondeo.* Respondeo distinguẽdo antecedens: lumen gloriæ non extrahit intellectum à sua naturali virtute, nec ipsum perficit, elevat,& sub nobo genere supernaturalitatis cõstituit, nego antecedens; non extrahit, ipsum tamen perficit, elevat, & sub nobo genere supernaturalitatis constituit, concedo antecedens, & distinguo similitèr primum consequens, negoque secundum. Solutio claret in gratia, quæ non destruit naturam; ipsam tamen ita perficit,& elevat, vt quatenus elevata, non vt naturalis, sed vt supernaturalis operetur. Similiter ergo.

o)(§)(o

QUÆSTIO DECIMA.

An sit possibilis de potentia Dei absoluta substantia supernaturalis creata?

§. I.

Sententia negativa probatur.

Num. 1 HAnc quæstionem pertractare promisimus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disp.*15. & promissum adimpleo. Affirmant Recentiores *quæst.* 8. pro prima sententia relati. *Conclusio.* Negant cæteri Theologi pro secunda sententia *ibi citat.* quorum veram sententiam pro conclusione statuens, *Probat.* 1. illam ostendo primò à priori: impossibilis est substantia creata, quæ sit sua operatio: ergo impossibilis est substantia creata supernaturalis. Antecedens pater: quia impossibilis est substantia creata, quæ sit Deus, de quo duntaxat est proprium,esse suam operationem,vt asserunt Patres,nempè, Dionisius *cap.* 11. *de Cælesti Hierarch.* Anselmus *cap.* 8. *de Casu Diaboli.* Et Leo I. *in Epist.*91. *cap.*5. vbi hęc habet verba: *Sicut solius Dei proprium est, increatum esse, sic etiam nemo hominum veritas, nemo Sapientia, nemo Iustitia est, sed multi participes sunt veritatis, Sapientiæ, & Iustitiæ. Solus autem Dominus nullius participationis est indigens.*

2 *Prob. consequent.* Consequentia probatur: impossibilis est substantia creata, quæ sit sua operatio: ergo impossibilis est substantia creata, quæ non sit natu-

ralis: ergo impossibilis est substantia creata supernaturalis. Probatur prima consequentia : impossibilis est substantia creata, quæ non sit principium operationis, à se distinctæ : ergo impossibilis est substantia creata, quæ non sit naturalis. Probatur consequentia : impossibilis est substantia creata, quæ sit sua operatio, vel quæ non sit principium operationis, à se distinctæ ; sed hoc ipso impossibilis est substantia creata, quæ non participet conceptum riguroſum naturæ: ergo impossibilis est substantia creata, quæ non sit naturalis. Maior est concessa. Minor constat ex diffinitione naturæ, quæ est principium motus, & quietis, à se distincti. Consequentia est legitima.

3 *Confirm.* 1. Confirmatur primò : repugnat substantia creata, quæ non participet diffinitionem naturæ ex *num. anteced*: ergo repugnat substantia creata, quæ non sit natura, vel naturalis: ergo repugnat substantia creata supernaturalis; hæc enim nec potest esse natura, nec naturalis, sed suprà naturam, & supernaturalis. *Confirm.* 2. Confirmatur secundò: ab opposito diffinitionis naturæ legitimè infertur, Deum esse supernaturalem, vt distinguitur ab omni substantia creata, & creabili: ergo ex diffinitione naturæ legitimè infertur, omnem substantiam creatam supernaturalem repugnare. Antecedens patet : quia Deo repugnat diffinitio naturæ. Consequentia claret : nam omni creatæ substantiæ convenire debet naturæ diffinitio.

4 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundò conclusio : repugnat substantia creata, cui sit connaturale lumen gloriæ, ac ipsa visio beatifica ; sed si esset possibilis supernaturalis substantia creata, illi esset connaturale lumen gloriæ, & visio beata: ergo repugnat substantia supernaturalis creata. Maior constat ex *quæstione* 8. Minor ex doctrina adversariorum, ex possibilitate talis substantiæ inferentium connaturalitatem luminis, & visionis. Consequentia est legitima.

5 *Dices.* Dices: dabilem, esse substantiam æquivalentem solum compositio ex intellectu, & fide, quę substantia absq; dubio esset supernaturalis, & tamen visio beata non erit illi connaturalis, vtpotè, nec conflato cui equivalet, quia solum posset Deum cognoscere abstractivè. *Contra.* Contra : nam admissa possibilitate huius substantiæ, infertur possibilitas alterius, æquivalentis conflato ex intellectu, & lumine gloriæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ideò illa est possibilis, quia conflatum ex intellectu, & fide est finitum per vos ; sed etiam est finitum conflatum ex intellectu, & lumine gloriæ: ergo admissa possibilitate huius substantiæ, infertur possibilitas alterius, æquivalentis conflato ex intellectu, & lumine gloriæ. Imò contra sic respondentes efficacissimè vrget argumentum positum *quæst.* 8. *numer.* 11.

6 *Probat. 3. concluſ.* Probatur tertiò conclusio: repugnat substantia creata, ex natura sua impeccabilis ; sed talis esset substantia creata supernaturalis : ergo repugnat talis creata substantia supernaturalis. Maior est Scoti, & à contrarijs pro nunc concessa. Minor probatur: talis substantia esset realiter gratia, vel saltim haberet potentias supernaturales; sed repugnat, gratiam, vel potentiam supernaturalem esse principium peccati : ergo substantia creata supernaturalis esset impeccabilis. Probatur minor: omne supernaturale est suffragium contra peccatum ex illo Ioannis 1. *cap.* 3. *Omnis, qui natus est ex Deo, non potest peccare*: ergo repugnat, gratiam, vel potentiam supernaturalem esse principium peccati.

7 *Dices* 1. Dices primò : talem substantiam posse habere potentias naturales. Hęc tamen solutio est valdè insufficiens in nostra doctrina; asserimus namque cum Scoto, quod potentiæ identificantur realiter cum substantia, vt dicitur in libris de anima. Vndè si substantia est supernaturalis, & supernaturales debent esse potentiæ. Cœterum quia hoc adversarios non vrget. *Contra* 1. Contra primò: substantia naturalis nequit habere potentias supernaturales : ergo nec è contra. *Contra* 2. Contra secundò: substantia spiritualis nequit habere potentias materiales : ergo similiter: substantia supernaturalis nequit habere potentias naturales.

8 *Dices* 2. Dices secundò: talem substantiam posse absolutè peccare, nec tunc malitia proveniret à Deo, sed à voluntate creata; sicut actus fidei, qui supernaturalis est, potest viciari, cuius malitia non provenit à Deo, sed ab homine. *Contra.* Contra: principium, à quo pro-

ve-

veniret peccatum, esset supernaturale,& consequenter specialiter à Deo: ergo malitia esset à Deo. Antecedens probatum manet *num. anteced.* illudque concedunt Alarcon, & Ripalda, quorum est responsio. Consequentia probatur: si quando actus fidei viciatur, malitia proveniret ab habitu fidei,& non ab homine, à quo provenit, malitia esset à Deo, quia proveniret à principio supernaturali, & cõsequenter specialiter à Deo; sed per te principium, à quo proveniret peccatum,esset supernaturale,& specialiter à Deo: ergo malitia esset à Deo.

9 *Dices 3.* Dices tertiò: talem substantiam peccare posse peccato puræ ommissionis. *Contra.* Contra: talis ommissio proveniret à voluntate saltim interpretativè; sed talis voluntas est supernaturalis,& specialiter à Deo: ergo proveniret a Deo talis ommissio. Consequentia patet ex *num.anteced.*

Dices 4. Dices quartò: talem substantiam non esse omninò impeccabilem. Primo: quia tantum æquivaleret complexo ex intellectu,& fide, voluntate, & spe, cum quibus componi valet peccatum mortale. Secundo: quia saltim peccare posset venialiter, per quod à Deo distingueretur. Tertiò: quia eius sanctitas esset diversæ rationis à sanctitate gratiæ habitualis,consequenterque cum peccato componibilis. *Reijcitur.* Sed vltrà impugnationes ad responsiones antecedentes, optimè hanc solutionem impugnat Ill. God. *tom.*1. *in* 1. *part. disput.*15. *numer.* 10. 12.& 15.Nosque illam efficaciter reiecimus per dicta *num.*5.quin ea repetere sit necessarium.

10 *Probat. deniq; concl.* Probatur denique conclusio à posteriori: nullus est conceptus supernaturalitatis, qui substantiæ creabili conveniri possit: ergo repugnat substantia supernaturalis creata. Probatur antecedens: si supernaturalitas accipitur, vt accidenti convenit,scilicèt, quod sit suprà naturam, & exigentiam subiecti, repugnat substantiæ, cum ipsi ordo ad subiectum repugnet. Si pro eo,quod est suprà omnes substantias creatas, & creabiles, planè constat: solam Dei substantiam esse supernaturalem. Si pro eo, quod illi sit debitum aliquod donum supernaturale, hoc impugnatum est *quæst.* 8. §.3. Si denique sumatur pro eo, quod speciali modo intentionaliter nos vnit cum Deo, hoc substantiæ repugnat, quia nequit per se ipsam immediatè Deo vniri:ergo nullus est conceptus supernaturalitatis, qui substantiæ creabili convenire possit.

§. II.

Argumentis contrariorum occurritur.

11 *Arguit. 2.* ARguitur primò: substantia supernaturalis non repugnat, quia ens creatum; nam gratia est ens creatum, & supernaturale; nec quia substantia supernaturalis; Deus enim est supernaturalis substantia:ergo non repugnat substantia supernaturalis creata. *Respond.1.* Respondeo primo retorquendo argumentum: de facto datur ens creatum supernaturale, scilicèt, gratia; & substantia supernaturalis, nempè, Deus: ergo de facto datur substantia creata supernaturalis. Respondeo secundo: repugnare quia substantia creata,ob rationes nostræ conclusionis.

12 *Dices.* Dices: non repugnant extrema seorsim sumpta, scilicèt, substantia creata, & supernaturalitas: ergo nec coniuncta. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam: quia plura involvunt repugnantiam,vt coniuncta,quam seorsim non involvunt, vt patet de Chymera,& eius extremis.

13 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: possibile est accidens supernaturale: ergo & substantia. Probatur consequentia: substantia nobilior est accidente; sed per te accidens supernaturale est possibile: ergo & substantia. *Retorqueo.* Hoc argumentum probat etiam de facto; quarè retorqueo contra adversarios: datur de facto accidens supernaturale,scilicèt, visio, lumen, &c: ergo de facto datur substantia supernaturalis, quod negant contrarij. Probatur consequentia: substantia est nobilior accidente; sed per vos datur de facto accidens supernaturale: ergo de facto datur supernaturalis substantia. Respondeant ipsi,& sibi respondebunt.

14 *Respondeo.* Ego verò respondeo ad argumentum,negando consequentiam, & distinguendo maiorem probationis: substantia est nobilior accidente secundum rationem accidentis,concedo maiorem; secundum rationem entis supernaturalis, nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam. Itaquè sicut substantia in

ratione ſubſtantiæ eſt nobilior omni accidenti creato,& creabili in ratione accidentis; ita accidens ſupernaturale in ratione ſupernaturalitatis nobilius eſt omni ſubſtantia creata,& creabili. Nec hic ad invicem exceſſus negari valet.Sic Scotus *in 3.diſt.13.quæſt.1.§. Ad ſecundum principale.*

15 *Ratio ſolutionis.* Ratio autem, cur ſit poſsibile accidens ſupernaturale; non verò ſubſtantia, eſt: quia ſupernaturalitas, de qua hic loquimur, conſiſtit in attingentia immediata finis ſupernaturalis; ſed hæc poteſt accidenti convenire, & nullo modo ſubſtantiæ:ergo ex poſsibilitate accidentis ſupernaturalis non infertur poſsibilitas ſubſtantiæ ſupernaturalis.

16 *Prob. min. quoad 1. p.* Probatur minor de accidente: accidens ſupernaturale, de quo in præſenti,eſt ipſa attingentia actualis finis ſupernaturalis,vt viſio,vel habitualis, vt lumen;ſed inter obiectum attactũ, & ipſam attingentiam nihil mediat: ergo attingentia immediata finis ſupernaturalis poteſt convenire accidenti:ergo ipſi convinit ſupernaturalitas,de qua hic loquimur.

17 *Prob. quoad 2.* Probatur minor de ſubſtantia:nulla ſubſtantia poteſt attingere immediatè finem ſupernaturalem; ſed ſupernaturalitas, de qua hic loquimur, conſiſtit in attingentia immediata finis ſupernaturalis:ergo ſupernaturalitas,de qua hic loquimur, nullo modo poteſt ſubſtantiæ convenire.Probatur maior:nulla ſubſtantia poteſt attingere immediatè finem ſupernaturalem, niſi ſit identicè lumen, vel viſio; ſed nulla ſubſtantia poteſt eſſe identicè lumen,vel viſio:ergo nulla ſubſtantia poteſt attingere immediatè finem ſupernaturalem. Maior patet:nam finis ſupernaturalis immediatè ſolum attingitur per viſionem formalitèr, & per lumen effectivè. Minor eſt omnibus certa,quia illud ſolius Dei eſt propriſsimum. Hæc eſt optima noſtræ concluſionis probatio.

18 *Arguit. 3.* *Aliter formatur argument.* Arguitur tertiò: de facto datur vnio hypoſtatica,quæ eſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis: non ergo repugnat ſupernaturalis ſubſtantia. Aliter hoc adverſarij argumentum efformant: ratione vnionis hypoſtaticæ habet natura humana connaturalem vnionem immediatam cum fine ſupernaturali:ergo dabilis eſt ſubſtantia creata, quæ per ſe habeat connaturalem vnionem immediatam cum fine ſupernaturali;ſed hoc eſt,ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem ex à nobis dictis: ergo dabilis eſt ſubſtantia creata ſupernaturalis. Probatur antecedens: Chriſto Domino ratione vnionis debetur gratia, & gloria; nam eſt Filius Dei naturalis: ergo ratione vnionis hypoſtaticæ habet natura humana connaturalem vnionem immediatam cum fine ſupernaturali. Huic argumento maximè fidunt contrarij.

19 *Reſpond.1.* *Reſpond.2.* Reſpondeo primò negando antecedens;nam vnio hypoſtatica eſt accidens,& non modus ſubſtantialis. Quo dato. Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam:& diſparitas eſt: nam prædicta vnio habet modum accidentis;advenit enim naturæ humanę, ipſique inheret, quarè ſupernaturalis eſſe poteſt,quatenus eſt id,quo natura creata formalitèr vnitur cum ente ſupernaturali. Aſt ſubſtantia creata nequit per ſe ipſam formalitèr vniri cũ ente ſupernaturali, ſed mediante aliquo accidente;alioquim eſſet formalitèr ſua beatitudo, quod ita repugnat, ac eſſe intelligens per ſuam ſubſtantiam.

20 *Ad aliam argum. efformationem reſpõdeo 1.* Ad aliam eiuſdem argumenti efformationem reſpondeo primò, negando antecedens, ad probationem, nego antecedens; quia Chriſto Domino non debetur abſolutè gratia, & gloria;ſed ex congruentia,vt ait Scotus *in 3.* & cum eo Scotiſtæ. Nec ſecundum humanitatem eſt Filius Dei naturalis,vt ait Doctor *cit.* Quo dato.

21 *Reſpond.2.* Reſpondeo ſecundò,negando conſequentiam: nam ſi natura humana haberet connaturalem vnionem immediatam cum fine ſupernaturali,ita, quod illi gratia,& gloria deberentur; hoc non eſſet ratione ſuæ ſubſtantiæ, ſed ratione vnionis, quæ eſt accidens, & quod vnum accidens ſit alteri connaturale, non eſt inconveniens; viſio enim beata connaturalis eſt intellectui informato lumine gloriæ;eſſet tamen maximum inconveniens, quod accidens ſupernaturale eſſet connaturale cuicumque ſubſtantiæ creatæ. Primum patet ex dictis *quæſt.anteced.* Secundum ex dictis *quæſt.8.§.3.*

22 *Retorq. 1.* Retorqueo nunc argumentum in vtraque forma. Primò:datur de facto vnio hypoſtatica,quę eſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis: ergo de facto datur ſubſtantia creata ſupernatura-

lis.

Secundò.

lis. Retorqueo secundo: vnio hypostatica est connexa cum subsistentia Verbi, ipsamque exigit: ergo si ex huius possibilitate arguitur possibilitas substantiæ creatæ supernaturalis, & arguetur possibilitas substantię creatę hypostaticæ connexæ cum subsistentia Verbi, ipsamque exigentis, quod non conceditur ab adversarijs. Videant nunc efficatiam sui argumenti.

23 *Arguit. 4.*

Arguitur quartò: cuicumque actui correspondet potentia sui ordinis; sed dantur actus supernaturales, vt visio beata: ergo datur potentia eiusdem ordinis, scilicèt, supernaturalis; atqui hæc nequit esse alia, nisi substantia supernaturalis, quia potentia accidenti correspondens est substantia: ergo datur substantia supernaturalis. Hoc argumentum probat de facto, vt claret ex ipso, quarè retorsionem patitur. Vltrà quod respondeo primò, distinguendo maiorem: cuicumque actui correspondet potentia sui ordinis in natura creata, nego maiorem; in toto genere entium, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo similitèr consequens, & sussumptam. Solutio est Scoti *in 4. dist. 49. quæst. 11. §. Ad argumenta*, & patebit sequenti responsione.

Respond. 1.

24 *Respond. 2.*

Respondeo secundò, distinguendo aliter maiorem: cuicumque actui correspondet potentia passiva, concedo maiorem; activa, nego maiorem; distinguo minorem: dantur actus supernaturales, dicti supernaturales respectu potentiæ agentis, concedo minorem; respectu passivæ, nego minorem; & distinguo consequens: ergo datur potentia activa eiusdem ordinis, nego consequentiam; passiva, subdistinguo: eiusdem ordinis cum actu comparato ad agens, nego consequentiam; comparato ad potentiam passivam, concedo consequentiam, sed nego suppositum, quia hoc modo nec actus est supernaturalis, ex quo patet ad sussumptam.

25 *Explicatur solutio maioris.*

Explico distinctionem maioris: certum est, quod omni actui correspondet potentia passiva susceptiva, vt de quolibet claret; falsum tamē, quod correspondeat potentia activa, vt patet in effectu naturali per solam creationem producibili, v.g. materia prima, anima rationalis, & Angelus, quibus non correspondet potentia creativa naturalis. Item: patet in effectibus naturalibus quoad substantiam, & supernaturalibus quoad modum, scilicèt, visus restitutio, mortui resurrectio.

26 *Explicatur solutio minoris.*

Explico distinctionem minoris: actus dicuntur supernaturales, non respectu potentiæ passivæ, in qua recipiuntur, sed respectu potentiæ activæ, vel agentis, vt dicitur, dum agitur de supernaturalitate visionis. Ex quo patet distinctio consequentis, scilicèt, actibus supernaturalibus, vt visio, &c. correspondere potentiam passivam connaturalem, modo, quo *quæst. 8. numer. 43.* cum Scoto dixi: beatitudinem esse homini naturalem. Neque ex hoc sequitur, talem potentiam passivam esse supernaturalem; nam sicut talis potentia est naturalis, etiam respectu actus supernaturalis, ita actus supernaturalis, qui talis dicitur in ordine ad agens, est naturalis respectu potentiæ passivæ, vtpotè, maxima illius perfectio.

27 *Arguit. 5*

Arguitur quintò: non repugnat forma substantialis incompleta supernaturalis: ergo nec substantia completa. Probatur antecedens: non repugnat forma, quæ materiam exigat, & materiæ exigentiam excedat: ergo non repugnat forma substantialis incompleta supernaturalis. Probatur antecedens: non repugnat forma accidentalis, quæ subiectum exigat, & subiecti exigentiam excedat, vt lumē, visio, &c: ergo paritèr. Respondeo negando paritatem, cuius ratio declarata est *num. 15. 16. & 17.*

Respondeo.

28 *Arguit. 6.*

Arguitur sextò: Angelus, & anima rationalis sunt supernaturales: ergo datur substantia supernaturalis creata. Probatur antecedens: Angelus, & anima rationalis sunt producibiles à solo Deo: ergo sunt supernaturales.

Respond. 1.

Respondeo primò negando antecedens, ad cuius probationem, nego consequentiam; quia vt aliquid sit supernaturale, vltrà hoc, quod à solo Deo producatur, requiritur, quod pertineat ad ordinem gratiæ, & gloriæ.

Secundò.

Respondeo secundò, distinguendo antecedens: sunt supernaturales physicè, concedo antecedens; Theologicè, nego antecedens, & distinguo similitèr consequens.

Explicatur

Physica itaquè supernaturalitas consistit in hoc, quod aliqua entitas sit à solo Deo producibilis, quod certè convenit Angelo, animæ rationali,

imò, & materiæ primæ, sed de hac non loquimur in præsenti. Theologica verò supernaturalitas, de qua loquimur, consistit in attingentia immediata finis supernaturalis, vt diximus *numer.* 15. quæ simplicitèr omni substantiæ creatæ ex ibi dictis repugnat. Deniquè retorque argumentum, quia probat de facto.

Retorque.

29 *Arguit.* 7. Arguitur septimò: Deus non est minus potens ad producendas substantias, quam ad producenda accidentia; sed Deus potest producere accidens supernaturale: ergo & substantiam. Respondeo negando consequentiam; quia quod Deus possit, vel non possit aliquid facere, pensandum est ex eo, quod illud implicet, vel non implicet; non verò ex parte Dei, quarè argumentum nullius est momenti. Vel distinguo maiorem: quoad sufficientiam, concedo maiorem; quoad efficatiam, nego maiorem; distinguo minorem: quoad sufficientiam, & efficatiam, concedo minorem; quoad sufficientiam tantum, nego minorem, & distinguo consequens, vt maiorem. Denique argumentū probat de facto

Respondeo.

30 *Arguit.* 8. Arguitur octavò: substantia supernaturalis non esset infinita: ergo non repugnat. Confirmatur: supernaturalitas non est constitutiva Dei: ergo potest communicari substantiæ creatæ. Respondeo primò ad argumentum, concedo antecedens, & nego consequentiam, ob dicta *quæst.* 8. *à numer.* 12. *vsque ad* 19. Respondeo secundò, distinguendo antecedens: substantia supernaturalis non esset infinita, & esset, concedo antecedens; non esset præcisè, nego antecedens, & consequentiam. Solutio constat ex probationibus conclusionis. Ad confirmationem, nego consequentiam, quia creare non est constitutivum Dei, & tamen nequit creaturæ communicari. Sentire, & ridere non est constitutivum hominis, & tamen lapidi repugnat. Imò argumentum multum probat, vt patet.

Respond. 1.

Respond. 2.

§. III.

Solvuntur aliqua specialia argumenta.

31 *Arguit.* 9. ARguitur nonò: datur substantia per accidens supernaturalis: ergo dabilis est substantia per se supernaturalis. Antecedens patet in beatis. Consequentia probatur: possibile est, quod omnis causa per accidens reducatur ad causam per se; sed iuxta à nobis concessa datur substantia per accidens supernaturalis: ergo dabilis est substantia per se supernaturalis. Consequentia videtur legitima. Minor est concessa. Maior autem, in qua poterat esse difficultas, patet primò: nam causa per accidens ordinatur ad causam per se. Secundò: quia nulla causa per accidens est prima in illo ordine. Tertiò deniquè: quia est commune Philosophorum proloquium.

Respondeo ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem, distinguo maiorem: possibile est, quod omnis causa per accidens reducatur ad causam per se illius ordinis, quo est causa per accidens, nego maiorem; alterius ordinis, concedo maiorem, nec amplius convincunt probationes; sicque concessa minori, nego consequentiam; quia vt causa per accidens reducatur ad causam per se, sufficit, quod ad Deum, qui est causa per se, reducatur.

32 *Respondeo.*

Replicabis: omnis causa per accidens debet reduci ad causam per se, sibi correspondentem: ergo debet reduci ad causam per se illius ordinis, quo est causa per accidens: ergo ruit solutio. Probatur antecedens inductione: quia namque datur causa per accidens caloris, frigoris, &c. datur causa per se, illis correspondens, scilicèt, calor, frigus, &c: ergo omnis causa per accidens debet reduci ad causam per se, sibi correspondentem; consequentèrque dabilis erit substantia creata per se supernaturalis, ad quam, vt ad causam correspondentem, reducatur substantia per accidens supernaturalis.

33 *Replicabis.*

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem, distinguo antecedens: quia datur causa per accidens caloris, frigoris, &c. datur causa per se, illis correspondens præcisè, nego antecedens; & quia sunt eiusdem ordinis, ommito antecedens, & nego consequentiam; nam de ratione causæ per accidens solum est, quod reducatur ad aliquam causam per se, ad quod nullatenus requiritur, quod causa per se, ad quam reducitur, sit eiusdem ordinis, quo est causa per accidens, seu quod causa per se sit creata, si creata est causa per accidens; sed

34 *Respondeo.*

suf-

sufficit, quod in toto genere entium redducatur ad aliquam causam per se; & hoc tantum valent probationes argumenti, vt attendenti patebit, & consonat cum dictis *num* 23. *& seqq.*

35 *Replicabis adhuc.* Replicabis adhuc: omnis causa per accidens debet reduci ad causam per se illius ordinis, quo est causa per accidens: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: omnis causa per accidens in naturalibus reducitur ad causam per se illius ordinis, quo est causa per accidens: ergo omnis causa per accidens debet reduci ad causam per se illius ordinis, quo est causa per accidens. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem omisso antecedenti, nego consequentiam; quia hoc commune Philosophorum proloquium: *Causa per accidens reducitur ad causam per se*, licèt sit verum in eodem ordine in naturalibus, vt probant exempla allata *numer.* 33. tamen in supernaturalibus est verum dumtaxat in diverso ordine, & hoc sufficit ad veritatem proloquij.

36 *Replicabis deniquè.* Replicabis deniquè: hæc solutio est manifesta principij petitio: ergo nulla. Probatur antecedens: hæc solutio tenet: prædictum proloquium esse verum in naturalibus; non verò in supernaturalibus; sed hoc est, petere principium manifestè: ergo solutio data est manifesta petitio principij. *Respond.* 1. Respondeo primò, negando antecedens, ad cuius probationem, nego maiorem; quia solutio tenet: prædictum proloquium esse verum, tàm in naturalibus, quàm in supernaturalibus, licet diverso modo, scilicèt, in naturalibus verificari de causis eiusdem ordinis; in supernaturalibus verò de causis diversi ordinis, quod non est principium petere. *Secundò.* Respondeo secundò, omissa maiori, negando minorem; quia quando diceremus, esse verum in naturalibus, & falsum in supernaturalibus, id diceremus ob rationes vtrumque convincentes, vt de naturalibus dictum est *num.* 33. & de supernaturalibus ob rationes nostræ conclusionis, quibus accedunt dicta *num.* 17. vbi ratio satis notoria est pro hac solutione declarata.

37 *Arguit.* 10. Arguitur decimò: ex possibilitate accidentis supernaturalis sequitur possibilitas substantiæ supernaturalis: ergo possibilis est talis substantia. Probatur antecedens: ideò ex possibilitate accidentis supernaturalis non sequeretur possibilitas substantiæ supernaturalis, quia accidens supernaturale non exigeret subiectum proprium, & connaturale, in quo reciperetur; sed accidens supernaturale exigit subiectū proprium, & connaturale, in quo recipiatur: ergo ex possibilitate accidentis supernaturalis sequitur possibilitas substantiæ supernaturalis. Probatur minor: accidens infinitum, si esset, exigeret subiectum proprium, & connaturale, in quo recipiatur: ergo similiter. Antecedens patet: nam ideò omnes nunc temporis Philosophi negant infinitum accidens contra aliquos antiquos, hoc concedentes, quia tale accidens exigeret subiectum proprium, & connaturale, in quo reciperetur, & consequentèr esset dabilis substantia infinita, quam negant. Consequentia claret. Primò: nam magis distat substantia creata ab infinitate, quam à supernaturalitate. Secundò: quia non minus est suprà naturam creatam supernaturalitas accidentis, quam accidentis infinitas: ergo tenet paritas.

38 *Respondeb.* Respondebis ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem, negabis minorem, ad cuius probationem, concesso antecedenti, negabis consequentiam. Disparitatem dabis: nam accidens infinitum, si esset, exigeret subiectum proprium, & connaturale, eo, quod non posset elevare substantiam creatam ad esse infinitā; ast accidens supernaturale, cum posset elevare substantiam ad esse supernaturalizatam, non exigit subiectum proprium, & connaturale. Ex quo potest distingui vltimum antecedens: infinitum, si esset, exigeret subiectum proprium, & connaturale, quia accidens præcisè, nego antecedens; quia accidens, & quia non posset elevare substantiam ad esse subiectum proportionatum illius, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia cū accidens supernaturale possit elevare substantiam ad esse subiectum proportionatum illius, opus non est, vt exigat subiectum proprium, & connaturale.

39 *Explicatur solutio.* Explicatur solutio: verum est, quod repugnat substantia, tàm infinita, quàm supernaturalis. Etiam verum est, quod repugnat accidens infinitum; non verò supernaturale. Cæterum hoc provenit ex eo, quod

subs-

substantia creata habeat pro vltimo fine beatitudinem, quam viribus naturæ consequi nequit; benè tamen viribus gratiæ, ideo dantur accidentia supernaturalia, vt adhunc finem consequendum, illam elevent, & sic eam faciant subiectum proportionatum ad illa accidentia recipienda. Ast cum repugnet, substantiam creatam ad esse infinitam elevari; ideò non solum substantia, verum & accidens repugnat infinitum.

40 *Dices contra solutionem.* Dices contra hanc solutionem: accidens infinitum, si esset, non posset elevare substantiam ad eam infinitandam; accidens verò supernaturale elevare potest substantiam ad eam supernaturalizandam: ergo magis distat substantia creata ab infinitate, quam à supernaturalitate. Antecedens est solutio tradita. Consequentia ex vi antecedentis notoria, & vltrà ostenditur: substantia creata non dicit potentiam obedientialem ad infinitatem; benè verò ad supernaturalitatem: ergo magis distat substantia creata ab infinitate, quam à supernaturalitate. Infero nunc: ergò ad exigere subiectum proprium, & connaturale, magis distat accidens infinitum, quam accidens supernaturale. Hæc consequentia est legitima; alioquim substantia creata non magis distaret ab infinitate, quam à supernaturalitate. Sumo nunc: atqui accidens infinitum, si esset, exigeret subiectum proprium, & connaturale: ergo potiori iure hoc debet exigere accidens supernaturale.

41 *Respondeo ad argum.* Ob hanc replicam aliter est argumento occurrendū. Respondeo itaq̃ negando paritatem, cuius disparitas est: nam accidens infinitum, si esset, esset eiusdem ordinis cum substantia; ideoque exigeret subiectum propriū & connaturale; accidens verò supernaturale, vt ex vi vocis liquet, est superioris ordinis ad quamcumq̃ substantiam, non solum creatam, verum & creabilem; ideòque subiectum proprium, & connaturale exigere nequit. Quod autem accidens infinitum, si esset, esset eiusdem ordinis cum substantia, patet; quia non esset supernaturale; alioquim in argumento non esset paritas, sed identitas, & tunc casus negaretur antecedens, quo negato, rueret argumentū. Quod verò accidens supernaturale sit superioris ordinis ad quamcumq; substantiā creatam, vel creabilem, constat ex dictis *n.* 10. & ex allatis *quæst.* 8. *n.* 33. *& alibi.*

42 *Arguit.* 11. Arguitur vndecimò: supernaturalitas est ad extra communicabilis: ergo communicabilis est substantiæ creatæ. Antecedens patet in lumine gloriæ, & alijs habitibus supernaturalibus. Consequentia probatur: asserere, supernaturalitatem esse prædicatum ad extra communicabile, hocque de accidentibus concedere, idque de substantia negare, est inconsequenter procedere; sed per nos supernaturalitas est ad extra communicabilis: ergo communicabilis est substantiæ creatæ. Probatur maior ab inductione: supposita in communi Philosophorum opinione, impossibilitate Cathegorematici infiniti, hoc de infinito secundum multitudinem concedere, & de infinito secundum qualitatem, vel extensionem negare, est inconsequenter procedere. Item: supposita communicabilitate sapientiæ Divinæ, hoc de Petro affirmare, & negare de Paulo, est inconsequenter procedere, & sic etiam de alijs: ergò asserere, supernaturalitatem esse prædicatum ad extra communicabile, hocque de accidentibus concedere, idque de substantia negare, est inconsequenter procedere.

43 *Confirmat.* Confirmatur, & quædam solutiones præcluduntur: hoc ipso, quod supernaturalitas sit prædicatum peculiari modo ad extra communicabile, & modo peculiari incommunicabile; æqualiter est substantiæ, & accidentibus communicabile, si ex eius communicatione in substantia non sequitur peculiaris modus impossibilitatis eius communicationis; atqui ex eius communicatione in substantia non sequitur peculiaris modus impossibilitatis eius communicationis: ergo æqualiter est substantiæ, & accidentibus communicabilis supernaturalitas. Maior videtur certa: nam repugnantia communicationis est ille peculiaris modus impossibilitatis eius communicationis; quia enim hæc repugnantia non sequitur in accidentibus, communicatur ipsis.

44 *Prob. min.* Minor probatur: peculiaris modus impossibilitatis communicabilitatis supernaturalitatis est modo infinito, & illimitato communicari; sed hic peculiaris modus non sequitur

in

in substantia: ergo ex communicatione supernaturalitatis in substantia non sequitur peculiaris modus impossibilitatis eius communicationis. Maior est manifesta: quia prædicata Divina ad extra communicabilia imperfectè,& diminutè,modo, scilicèt, finito, communicantur; non verò perfectè,& adæquatè, scilicèt, modo infinito, sicut sunt in ipso Deo. Minor est certa; nam talis substantia non haberet supernaturalitatē modo infinito. Tum primo: quia supernaturalitas, sicut quodlibet aliud Divinū prædicatum, est sic ad extra incommunicabilis. Tum secundò: quia talis substantia non esset infinita, vt nos cum omnibus concedimus. Consequentia legitima videtur.

45 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem, nego maiorem,& ad huius probationē, nego consequentiam; quia in exemplis allatis de infinito,& sapientia Divina, eadem est in omnibus ratio, consequentèrque esset, inconsequentèr procedere. Cœterum de supernaturalitate est in substantia,& accidentibus ratio valdè diversa, quam de accidente assignavimus *num.* 16.& de substantia *num.* 17. estque valdè notoria, & æquè efficax. *Ad cōfirm.* Ad confirmationem nego maiorem; quia peculiaris modus impossibilitatis communicationis supernaturalitatis, scilicèt, modo infinito, nec est ratio, qua repugnat, supernaturalitatem communicari substantiæ creatæ; quia tali modo præcisso, stat ratio repugnantiæ, scilicet, immediata attingentia finis supernaturalis, quæ nullo modo potest substantiæ creatæ convenire, vt dictum est *num.* 17. *citat.*

46 *Arguit.* 12. Arguitur duodecimo: quod simpliciter, & absolutè impossibile non est, a Deo factibile est; sed simpliciter, & absolutè substantia creata supernaturalis impossibilis non est: ergo substantia creata supernaturalis à Deo factibilis est. Maior patet ab oppositō: nam quod simpliciter,& absolutè impossibile est, a Deo factibile non est: ergo e contra. Minor probatur: quod simpliciter, & absolutè impossibile est, nullo modo possibile est; sed substantia creata supernaturalis aliquomodo possibilis est: ergo simpliciter, & absolutè substantia creata supernaturalis impossibilis non est. Consequentia est legitima. Minor certa: nam substantia creata, lumine gloriæ illustrata, est saltim accidentalitèr supernaturalis. Maior patet in creatura respectu infinitatis, immensitatis, & actus puri, &c. Et vltrà ostenditur: quod simpliciter, & absolutè impossibile est, nullo modo est ens; sed quod nullo modo est ens, nullo modo possibile est, quiad ad hoc, vt sit possibile, debet esse ens: ergo quod absolutè, & simplicitèr impossibile est, nullo modo possibile est.

47 *Respondeo.* Hoc argumentum patitur magnam æquivocationem, quæ per sequentem responsionem auffertur. Respondeo ergo distinguendo maiorem: quod simpliciter, & absolutè nullo modo impossibile non est, à Deo factibile est, concedo maiorem; quod simpliciter, & absolutè aliquo tantum modo impossibile non est, subdistinguo: à Deo factibile est, modo, quo impossibile non est, concedo maiorem; modo, quo impossibile est, nego maiorem; distinguoque minorem: simplicitèr, & absolutè substantia creata accidentalitèr supernaturalis impossibilis non est, concedo minorem; per se supernaturalis, nego minorem, & distinguo consequens: ergo substantia creata per accidens supernaturalis à Deo factibilis est, concedo consequentiam; substantia per se supernaturalis, nego consequentiam.

48 Et ex hoc distinguo maiorem probationis: quod simpliciter, & absolutè impossibile est omnibus modis, nullo modo possibile est, concedo maiorem; quod simpliciter, & absolutè impossibile est vno tantum modo, nullo modo possibile est, nego maiorem,& concessa minori, distinguo consequens distinctione data, per quam omnia, quæ in argumento proponuntur, soluta manent.

49 Deindè: argumento benè inspecto, ad illius solutionem tenentur omnes; nam probat contra omnes Thomistas, & contra Sectatores huius præsentis opinionis, posse idem corpus esse in duplici loco circunscriptivè, eo, quod sacramentalitèr, vel diffinitivè possit esse in pluribus. Probat item: possibilem esse creaturam intellectualem creatam omninò impeccabilem per naturam; eo, quod

sit possibilis talis creatura omninò impeccabilis per gratiam; & in vniversum probat contra quamcumque quæstionem de potentia Dei absoluta procedentem, quibus etiam accedunt dicta *quæst.* 8. *num.* 15. per quæ omnia valet argumentum retorqueri, simul cum eo, quod probat de facto, vt ex argumento claret, quorum retorsiones facillimè possunt ad formam redduci.

QUÆSTIO UNDECIMA.

An Lumen Gloriæ sit quid habituale?

CVm certum de fide sit, vt diximus *quæst.* 9. *num.* 1. intellectum creatum non posse viribus suis Deum intuitivè videre; benè verò elevatum, necessariò infertur, intellectum creatum indigere aliqua supernaturali illustratione, quæ à Theologis lumen gloriæ appellatur, qua suppositâ, orta est præsens difficultas, valdè inter Scotistas litigata. Pro qua. Sit.

§. I.

Aliqua certa statuuntur, & opiniones declarantur.

Num. 1

Lumen gloriæ non est quid increatum.

QVia enim Authores variant, & vnusquisque pro libito de lumine gloriæ singularem sibi adscribit sententiam, certa ab incertis separare, est necessarium. Certum est primò contra plures, quos citat Ægidius *lib.* 9. *quæst.* 3. lumen gloriæ non esse quid increatum; sed quid creatum. Probaturque hac ratione: quia anima ad credendum, & amandum Deum, non elevatur immediatè à Deo, sed per fidem, & charitatem: ergo similiter: ad videndum Deum per aliquid creatum debet elevari, sicut sunt fides, & charitas.

2

Lumen gloriæ habitus distinctus à charitate, & gratia.

Secundo certum est: lumen gloriæ esse distinctum habitum à charitate, & gratia. Probatur: charitas est habitus, voluntatem intrinsicè elevans ad diligendum Deum in via, & fruendum in Patria; sed actus voluntatis nequit inhærere intellectui; alioquim confunderentur actiones potentiarum: ergo lumen gloriæ est habitus distinctus à charitate, & gratia. Deindè: quia sequitur: lumen gloriæ inhærere cuilibet viatori existenti in gratia; quia gratia viæ, & Patriæ sunt eiusdem speciei; sequela est falsa: ergo lumen gloriæ est habitus distinctus à charitate, & gratia.

3

Lumen gloriæ non est ipsa visio.

Certum est tertiò: lumen gloriæ non esse ipsam visionem. Primo: nam si lumen gloriæ esset ipsa visio, quæstio de necessitate luminis ad visionem stulta penitus esset, quia stultum est, inquirere necessitatem eiusdem ad se ipsum; sed non est stulta prædicta quæstio: ergo lumen est quid distinctum à visione. Secundò: quia charitas, & fides distinguntur ab actu charitatis, & fidei: ergo & lumen à visione.

4

Est quid intrinsecum intellectui.

Quartò certum est: lumen gloriæ esse quid intrinsecū intellectui. Probatur brevitèr: habitus charitatis intrinsicè inhæret voluntati, & habitus fidei intellectui: ergo & lumen. Confirmatur: lumen in Patria correspondet fidei in via; sed habitus fidei intrinsicè inhæret intellectui: ergo & lumen.

5

Est quid creatum.

Quintò certum est: lumen gloriæ esse quid creatum, à charitate, gratia, & visione distinctum, intrinsicèque inhærens intellectui. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. *litt. G.* quæ satis claret ex probationibus allatis; alia enim non indiget probatione, quia in hoc ampliùs non est immorandum. Quod ergo difficultatem includit, est: An hoc intrinsecum, quod est lumen, sit quid habituale? Circa quod.

6

1. *Sentent. Nominales. Smising.*

Prima sententia asserit: lumen gloriæ non esse quid habituale, sed actualem illustrationem, idest, influxum Dei supernaturalem, elevantem intellectum ad visionem Dei. Sic cū Nominalibus Smising *disp.* 6. *quæst.* 4. *num.* 66. in quam sententiam (ait) Scotum magis inclinari, ipsamque vt

pro-

Mastrius.

probabilem defendit Mastrius *disp.6. quæst.3.artic.2.à num.*103. licèt oppositam probabiliorem iudicet.

7

2.Sentent. Scotus. Lychetus. Tartaretus Faber. Rada. Pitigianus. Posnanienſ. Vulpes. Felix. Soſſa. Mastrius. D.Bonav. D.Thomas. Thomistæ.

Secunda ſententia tenet: lumen gloriæ eſſe habitum ſupernaturalem, elevantem intellectum ad viſionem Dei. Sic Scotus locis *infrà* citandis,& cum eo Lychetus, Tartaretus,Faber, Rada, Pitigianus, Poſnanienſis, & Vulpes à Felice citati, & ipſe cum illis. Soſſa *difficult.28. num.*31. etſi oppoſitum probabile iudicet *numer.* 30. Mastrius citatus *à num.* 97. Sic etiam Seraphicus Doctor D. Bonaventura *in 3.diſt.*14. *artic.*10. *quæſt.* 3. *ad vltimum.* Et *artic.* 2. *quæſt.* 1. *ad tertium.* Ita deniquè D.Thomas 1. *part. quæſt.* 12. *artic.* 5. *in ſolutione ad* 1. *& ad* 2. cum quo Thomiſtæ omnes. Hæ ſunt opiniones, ſed quia difficultas eſt, non ſolum de ipſa quæſtione inſe,verum etiam de mente Scoti, & Concilij. Ideò. Sit.

§. II.

De mente Scoti reſolvitur difficultas.

8

Concluſio.

Conclusio: *Ingenua Scoti ſententia eſt: Lumen gloriæ eſſe quid habituale.* Sic contra Smiſing Scotiſtæ citati pro ſecunda ſententia, præſertim Vulpes *diſp.*23. *art.*7. *num.*15. Probatur primò: nam *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.*2. *§.ad* 1. *de ſecunda via*, ſic ait: *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iſte ex parte intellectus poteſt poni, correſpondere charitati ex parte voluntatis*: ergo ex Scoto lumen eſt quid habituale.

Probat. 1.

9

Probat. 2.

Probatur ſecundò: quia *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.*2. *litt.B.* ait: *Similiter ad recipiendam ipſam viſionem non requiritur habitus*: ergo accipit lumen pro habitu.Imò ibidem disiunctivè loquitur, dicendo: *Hic habitus, vel lumen.* Item: *quæſt.*2. *§. in* 1. *quæſtione, ỳ. Hic ſupponendo vnum*, ait: *Supponendo,quod intellectus ſe poſsit habere activè reſpectu viſionis Verbi, tunc poſſe dici, ſicut ad quartam quæſtionem diſtinctionis præcedentis*, nempè, *voluntatem indigere habitu charitatis ad eliciendam fruitionem*: ergo ſimilitèr iudicat: intellectum indigere habitu luminis ad eliciendam viſionem:ergo ex mente Scoti,lumen gloriæ eſt quid habituale.

10

Probat. 3.

Probatur tertiò: nam *in* 4.*diſt.*49. *quæſt.* 11. *§. Reſpondeo*, ait: *Secundum illam opinionem aſſerentem, intellectum eſſe cauſam activam viſionis ſine habitu luminis, hominem non habere potentiam proximam videndi Deum, ſed remotam; cum habitu autem luminis habere eam propinquam*: ergo ex Scoto lumen gloriæ eſt quid habituale.

11

Arguit. 1. *Smiſing.*

Arguit primò Smiſing ex Scoto *in* 3.*diſt.*14. *quæſt.* 2. *§. in* 1. *quæſt. ỳ. Reſpondeo, & dico*, dicente: *In quocumq; inſtanti priori naturaliter ipſa viſione, nulla eſt cauſa naturaliter prior ipſa viſione; vſquè enim ad illud inſtans naturæ, quo intellectus videt, non habet intellectus, vndè poſsit in iſtam viſionem, ſed tantum præcedit naturaliter ipſe intellectus in ſe, & obiectum, quod poteſt elicere ipſam viſionem*, ſic Scotus, ex quo clarè colligitur, lumen non eſſe: ergo ex Scoto lumen gloriæ non eſt quid habituale.

12

Reſpond. 1.

Reſpondeo primò: Scotum negare lumen, ſuppoſito, quod intellectus paſsivè tantum ſe habeat ad viſionem, vel quod idem eſt: negare lumen,vt eſt diſpoſitio ad recipiendam viſionem; neutiquam verò negare lumen, ſuppoſito, quod intellectus activè concurrat ad viſionem. Hæc ſolutio ad ſummum firmanda eſt, quia hic eſt locus, vbi Doctor totaliter exprimit ſuam ſententiam de neceſsitate luminis.

13

Firmatur reſponſio 1.

Firmatur primò: nam Scotus *cit. ſub litt.B.* ſic ait: *Itaquè poteſt dici,quod intellectus animæ Chriſti poteſt paſsivè recipere viſionem.* Et *infrà* ait: *Similiter ad recipiendam ipſam viſionem, non requiritur habitus aliquis prior ipſa viſione, quia habitus non diſponit potentiam ad recipiendum actum*, quæ verba pro me adduxi *num.*9: ergo negat Scotus lumen, ſuppoſito, quod intellectus paſsivè tantum ſe habeat ad viſionē, vel illud negat, vt eſt diſpoſitio ad viſionem recipiendam.

14

Firmat. 2.

Firmatur ſecundò: nam Scotus *cit.at.* poſt quam dixit:Lumen non eſſe neceſſarium, abſolutè loquendo, quærens deindè *ỳ. Etſi quæratur quid ſit dicendum de facto*, ait: *Sed quantum ad receptionem, de qua eſt quæſtio modo propoſita, non videtur ſimpliciter neceſſarium concedere, lumen prius perficere intellectum, quam viſionem*: ergo negat Scotus lumen, ſuppoſito, quod intellectus paſsivè tantum ſe habeat ad viſionem,vel illud negat, vt eſt diſpoſitio ad viſionem recipiendam.

15

Firmatur tertiò: nam poſt verba

Firmat. 3. ab Smising relata, ait Scotus: *Quia non est motivum naturaliter proportionatum huic passo*; sed ly *huic passo* claret denotat, Scotum loqui de receptione: ergo loquitur Scotus de intellectu merè passivè se habente. Item: Scotus in argumento *citat.* non ponit aliam causam efficientem visionem, nisi Deus, qui est obiectum, vt claret ex vltimis verbis: *Et obiectum, quod potest elicere ipsam visionem*: ergo loquitur Scotus de intellectu merè passivè se habente.

16 *Frmatur 4.* Firmatur quartò: quia Scotus *cit.* ỳ. *Hic supponendo vnum*, adducit verba relata *num.* 9: ergo supposito, quod intellectus activè se habeat ad visionem, indiget habitu luminis, sicut voluntas habitu charitatis: ergo tam longè abest Scotus ab intento Smising, quod potiùs sit pro nobis eodem loco, quo ab ipso citatur.

17 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundò, dato, quod Scotus neget lumen ex suppositione, quod intellectus activè concurrat ad visionem, illud negare tanquam necessarium ad agendum ex parte obiecti, scilicèt, vt species impressa, qua actu Deus fiat visibilis, vt claret ex his Scoti verbis: *Quia in intellectione naturali lumen præcedens visionem requiritur propter imperfectionem obiecti, quod vel non est de se actu intelligibile, vel si est, non est per se sufficiens ad movendum intellectum. Neutrum istorum est in proposito, quia essentia Divina est lux summè ex se, & de se intelligibilis, & de se perfectissimè motiva intellectus*: ergo illud tantum negat, tanquam necessarium ex parte obiecti.

18 *Respond. 3.* Respondeo tertiò: Scotum, suppositione facta, negare lumen, vt necessarium ex parte potentiæ, tanquam principium totale respectu visionis, vt expressè colligitur ex exemplo, quod affert de visu supernaturalitèr cœco restituto, quia tunc intellectus naturalitèr eliceret visionem, sicut potentia visiva, licèt ei visus supernaturalitèr restituatur: ergo loquitur Scotus de lumine, vt necessariò ex parte potentiæ, tanquam principium totale respectu visionis.

19 *Respond. 4.* Respondeo quartò: Scotum *citat.* negare lumen, vt necessarium absolutè loquendo, vt diximus *numer.* 14. non verò vt necessarium de facto; & ratio est: quia secundum ipsum, visio potest fieri sine habitu luminis, imò & sine aliqua alia qualitate actuali intrinsicè inhærente intellectui; de facto verò est necessarium lumen ad visionem producendam, quod totum dictum manet, & probatum *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disp.* 18.

20 *Arguit. 2.* Arguitur secundò ex Scoto *in* 3. *dist.* 31. §. *Respondeo*, dicente: *Non est necessarium ponere aliquem habitum in patria creatum in ipsa anima, qui sit principium videndi, vel tendendi in obiectum, saltim alium, nisi charitatem*: ergo ex Scoti mente lumen gloriæ non est quid habituale. *Respond. 1.* Respondeo primò: Scotum negare luminis habitum ad facilitandam potentiam ad eliciendum actum, quia potentia est de se summè inclinata. *Secundò.* Respondeo secundò: negare illud, vt necessarium ex parte obiecti, scilicèt, ad hoc, vt obiectum fiat præsens per illud, tanquam per speciem impressam. *Tertiò.* Tertiò: negare illud, vt necessarium ad reiterandum actum, quia cum ibi non sit cessatio, neque reiteratio erit.

21 *Probatur solutio.* Quælibet ex his solutionibus colligitur ex verbis Scoti immediatis; ait enim: *Habitus ponitur in intellectualibus, vt obiectum sit præsens intellectui; vt intellectus possit promptè operari circà illud, quod non posset, si obiectum est quolibet actu de nobo adipiscendum; sed ibi obiectum semper erit præsens, semper agens in potentiam.* Vbi ex illis verbis: *Vt intellectus possit promptè operari circa illud*, colligitur prima solutio ratione ibi dicta. Ex his: *Ibi obiectum semper erit præsens*, colligitur secunda. Ex his, & illis: *De nobo adipiscendum*, colligitur tertia.

22 *Arguit. 3.* Arguit tertiò ex Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. §. *Respondeo ergo*, ỳ. *Præterea visio est*, vbi ait: *Lumen gloriæ ad visionem non videtur mihi necesse poni*: ergo ex mente Scoti lumen gloriæ non est quid habituale. *Respond. 1.* Respondeo primò: Scotum loqui ex suppositione, quod intellectus merè passivè se habeat ad visionem; ait enim ibi: *Si autem intellectus sit merè passivè, &c.* non verò loqui ex suppositione, quod activè concurrat. Primò: quia Scotus *ibi litt. G.* dicit: Lumen esse necessarium. Secundò: quia *quæst.* 10. *Report.* §. *Ad aliud concedo*, ait: *Si autem ponatur, quod intellectus aliquomodo est activus respectu visionis Dei, non potest agere, nisi cum lumine gloriæ.* Quid clarius!

23 *Respond. 2.* Respondeo secundò: Scotum ibi comparare necessitatem charitatis cum necessitate luminis, & ait: non esse de fide, dari lumen in intellectu respectu visionis, sicut est de fide, dari charitatē in voluntate respectu fruitionis. Hæc solutio patet ex verbis Scoti immediatè antecedentibus, quę Smising tacuit, ait enim Scotus: *Sed quia secundum Scripturam, & fidem habemus ponere charitatem, saltim necesse est, eam ponere in beato propter operationem eliciendam; Lumen autem gloriæ, &c.* Ergo Scotus ibi tantum vult, non esse de fide, dari lumen in intellectu respectu visionis, sicut est de fide, dari charitatem in voluntate respectu fruitionis.

24 *Respond. 3.* Respondeo tertiò: Scotum ibi negare lumen, sicut requiritur in visione corporali, in qua lumen requiritur, solum vt conditio, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ; cæterum lumen gloriæ requiritur, vt principium ad efficiendam visionem. Hanc solutionem colligo ex eo, quod Scotus ibi dicat: Lumen esse necessarium, vt dixi *num.* 22. & ex eo, quod ibi statim agat de visione corporali.

25 *Respond. 4.* Respondeo quartò: quod ex Scoto *citat.* potiùs oppositum deducitur; nam inquit: duas posse assignari in intellectu formas supernaturales. Vnā correspondentem obiecto, quæ dicitur species, cuius necessitatem simplicitèr, & absolutè excludit. Alteram ex parte intellectus, quam (ait) esse lumen gloriæ, cuius necessitatem solum excludit ab intellectu, ex suppositione, quod merè passivè se habeat ad visionem, vt claret ex verbis ipsius pro prima responsione relatis *numer.* 22.

26 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: nam Scotus vbiquè docet, visionē intellectus (seclusa limitatione status præsentis) non fieri per speciem, vel habitum, sed causari ab ipso obiecto immediatè: ergo ex mente Scoti lumen gloriæ non est quid habituale.

Respondeo. Respondeo: Scotum, vbicumque id doceat, negare habitum ad visionem, vt necessarium ex parte obiecti, vt dixi *num.* 17. vel vt necessarium ex parte potentiæ, tanquam principium totale visionis, vt dixi *num.* 18. vel vt necessarium absolutè loquendo, vt dixi *num.* 19. non verò negare illum, vt necessarium de facto ex parte potentiæ ad visionem producendam.

27 *Arguit. 5.* Arguit quintò ex Scoto *quodlib. 14. artic. 2. §. Hic intelligendum est*, vbi non agnoscit aliam causam moventem intellectum creatum ad visionē essentiæ Divinæ, quam ipsam essentiam Divinam mediante sua voluntate, quæ est virtus illius obiecti motiva ad extra: ergo ex mente Scoti lumen gloriæ non est quid habituale.

Respondeo. Respondeo: Scotum ibi solum docere, essentiam Divinam non naturaliter, sed liberè visionem beatam efficere; de necessitate verò luminis nihil agit.

28 *Arguit. deniquè.* Arguitur denique ex Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 11. §. Respondeo*, dicente: *Lumen non esse necessarium, quia ipsum obiectum est lux, & maior lux in se, quam quodlibet creatum.* Imò addit: *Vndè minus mihi videtur necesse, ponere lumen, quam speciem*; atqui speciem prorsus negat: ergo negat, lumen gloriæ esse quid habituale.

Respondeo. Respondeo vt in *numer.* 24. Scotum ibi negare lumen, vt necessarium ex parte obiecti, quod claret ex Scoti verbis, imò & ex eo, quod ibi comparative ad lumen corporale, quod requiritur, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ ex ipso Scoto dicente: *Requiritur, non solum propter obiectum, sed propter oculum*, negat lumen gloriæ, quod tantum requiritur ex parte potentiæ, eo, quod *obiectum est lux, & maior lux in se, quam quodlibet creatum.*

29 Si autem alia sint loca, in quibus videatur, Scotum negare lumen, clarè videbitur, quod loquatur ex suppositione, quod intellectus merè passivè se habeat ad visionem, quia ad ipsam recipiendam lumen necessariū non est vt dispositio, vt dicemus *quæst. sequent. §. 2.* Si verò negat illud ex suppositione, quod intellectus activè concurrat, illud negat, vt necessarium ex parte potentiæ, tanquam causa totalis visionis, vel vt necessarium ex parte obiecti, tanquam species impressa. Ob hæc ergo, vt sequenti quæstione declarabimus, ab aliquibus conceditur lumen, contra quos totis viribus stat Scotus.

§. III.

Resolvitur difficultas in se.

30 *Conclusio.* CONclusio: *Lumen gloriæ est habitus supernaturalis elevans intellectum, vt connaturaliori modo pro-*

ducat beatam visionem. Sic omnes Authores *num.7.* relati, estque conclusio ita conformior diffinitioni Concilij Vienensis sub Clemente V. quæ habetur in Clementina *Ad nostrum de Hæreticis*, vt oppositum hæreticum, temerarium, periculosum, vel erroneum ab aliquibus iudicetur; sed quid quid sit de hoc, de quo *sequenti §.* discutiemus.

31 *Probat. 1. concluſ.* Probatur primò conclusio: connaturaliùs operatur potentia per habitum, quo constituatur proportionata in actu primo ad supernaturalitèr operandum, quam per auxilium actuale, sivè extrinsecum, sivè intrinsecum, sivè per modum principij, sivè per modum obiecti: ergo intellectus connaturaliùs producet visionem per habitum, quo constituatur proportionatus in actu primo ad supernaturalitèr operandum, quam per auxilium actuale, sivè intrinsecum, sivè extrinsecum, sivè per modum principij, sivè per modum obiecti: ergo vt visio supernaturalis fiat connaturaliori modo, petit elici à potentia elevata per habitum supernaturalem; atqui supernaturale, quod ponitur in intellectu ad visionem producendā, est lumen gloriæ: ergo lumen gloriæ est habitus supernaturalis elevans potentiam, vt connaturaliori modo producat beatam visionem.

32 *Prob. antec.* Probatur antecedens: vt intellectus, & voluntas connaturaliùs eliciant supernaturales actus credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi, dantur habitus infusi, scilicèt, fides, spes, & charitas; non verò auxilium aliquod actuale: ergo connaturaliùs operatur potentia per habitū, quo constituatur proportionata in actu primo ad supernaturalitèr operandum, quam per auxilium actuale, sivè extrinsecum, sivè intrinsecum, sivè per modum principij, sivè per modum obiecti. Ex quo.

33 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secudò conclusio: ad connaturaliùs eliciendos actus supernaturales tantum quoad modum, vt in Scoti sententia sunt actus fidei, spei, & charitatis, dantur habitus supernaturales, & non actualia auxilia, vt fatentur omnes: ergo potiori iure ad connaturaliùs eliciendum actum supernaturalem quoad substantiam, vt in Scoti sententia est visio beatifica, dabitur supernaturalis habitus, & non auxilium actuale.

34 *Probat. 3.* Probatur tertiò conclusio: Lumen gloriæ in Patria succedit lumini fidei, quod beati habuerunt in via ex communi Patrum, & Theologorum consensu; sed lumen fidei ponitur per modum habitus in intellectu, vt connaturaliùs producat actum fidei: ergo lumen gloriæ est habitus supernaturalis elevans intellectum, vt connaturaliori modo producat beatam visionem.

35 *Probat. 4.* Probatur quartò conclusio: intellectus activè concurrit ad visionem, sicut voluntas ad fruitionem, vt tenet communior opinio: ergo datur habitus supernaturalis ex parte intellectus correspondens charitati ex parte voluntatis. Consequentia hæc est Scoti *citat. num. 9.* Infero ampliùs: ergo sicut voluntas secundum ordinem causarum iam dispositum non potest frui Deo sine habitu charitatis ex Scoto *in 3. dist. 13. quæst. 4. litt. Q. & R.* ita nequè intellectus poterit Deum videre sine habitu luminis. Infero deniquè: ergo sicut charitas debet elevare voluntatē antecedentèr, tum, vt actus secundus supernaturalis oriatur à principio ex parte potentiæ proportionato; tum, vt talis actus fiat connaturaliori modo, sicut petit eius natura; ita similitèr respectu intellectus. Hæc consequentia est Scoti *in 1. dist. 1. quæst. 4. ad 4.*

36 *Respond. 1. Smising.* Ad hæc omnia respondet Smising *citat. num. 97.* dupliciter. Primò: esse disparitatem inter visionem, & fruitionem; quia visio nata est causari immediatè ab obiecto præsenti; non verò amor, sed mediante cognitione, quæ quia tantum est conditio, indiget habitu charitatis, vt principium intrinsecum illius, cum quo voluntas est principium immediatum amoris.

Secundò. Secundò: quia habitus Theologici principalitèr ponuntur in nobis, vt simus fideles, & Iusti ex Scoto *in 3. dist. 36. §. Quantum ad 4. artic.* Et *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad solutionem huius quæstionis*, qui habitus, cum sint activi secundario, sunt principia operationum; sat lumen solum potest poni, vt sit principium visionis, ad quod non requiritur.

37 *Adversus 1. resp. contra 1.* Adversus primam responsionem contra primò: quia disparitate prædicta solum probatur: Lumen non requiri ex parte obiecti, quod nos

con-

concedimus; non verò non requiri ex parte potentiæ, imò oppositum evidenter deducitur, tum, ex ipsius responsione; tum ex nostris probationibus, præsertim ex quarta. *Contra 2.* Contra secundò: quia ea ratione, qua in voluntate ponitur habitus charitatis, poni debet in intellectu habitus luminis, vt ex Smising clareret, si rationem assignaret: ergo nulla est prima illius solutio.

38 *Adversus 2. contra 1.* Adversus secundam responsionem contra primò: quia habitus charitatis (similitèr de fide, & spe) non est forma sanctificans sub conceptu charitatis, vt cum Scoto tenet communis opinio in *tractatu de gratia*: ruit ergo responsio Smising ruit. *Contra 2.* Contra secundò: nam quidquid sit de hoc, habitus charitatis ponitur in voluntate ob fines *num.* 35. enumeratos, & ab Scoto traditos: ergo ob eosdem fines poni debet in intellectu habitus luminis gloriæ: ergo responsio Smising non est ad rem.

§. IV.

Solvuntur argumenta contrariorum.

39 *Arguit. 1.* ARguitur primò ex Smising *citat. num.* 93. si foret lumen habituale, esset species intelligibilis; sed hæc non est habitualis: ergo nec datur lumen habituale. Maior, in qua est difficultas, probatur ab ipso *citat. num.* 69. habitus luminis non est aliud, quam qualitas supernaturalis cum intellectu exprimens notitiam Dei intuitivam; sed talis qualitas est species impressa; seu intelligibilis: ergo si foret lumen habituale, esset species intelligibilis. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: exprimens notitiam Dei elevando, ac perficiendo intellectum, concedo maiorem; repræsentando obiectum, & fœcundando potentiam, nego maiorem; distinguo minorem è converso, & nego consequentiam. Solutio clarebit, & explicabitur *quæst. sequent. §. 2.* vbi hoc idem argumentū ex Smising proponemus, & solvemus.

40 *Arguit. 2.* Arguitur secundò ex his, quæ adducit Smising *citat*: obiectum, quod ex se est lux, non indiget alio lumine, vt videatur, sicut videtur in sole; sed Deus ex se est lux: ergo non indiget lumine gloriæ, vt videatur. *Confirmat.* Confirmatur: lumen requiritur propter imperfectionem obiecti, quod cum non sit actu intelligibile, fiat actu intelligibile, vel si est, fiat præsens; sed Deus est summa lux, ex se actu intelligibilis, & intimè præsens intellectui beato ex Scoto *in 3. dist. 14. quæst. 2. §. Ad 3. principale*: ergo non indiget lumine gloriæ, vt videatur.

41 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: non indiget alio lumine ex parte obiecti, concedo maiorem; ex parte potentiæ, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. *Ad cōfirm.* Ad confirmationem similitèr, distinguo maiorem: lumen ex parte obiecti requiritur propter imperfectionem obiecti, concedo maiorem; lumen ex parte potentiæ, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Itaquè argumentum, & confirmatio tantum probant, habitum luminis non requiri ex parte obiecti, quod probat Scotus hoc argumento, & nos concedimus; non verò probat: non requiri ex parte potentiæ, quod est nostra conclusio, & ex dictis *numer.* 17. & 28. claret.

42 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: si per lumen habituale intellectus redditur potens videre Deum, vt obiectum proportionatum, videret illum per formam creatam naturalitèr agentem: ergo naturalitèr Deum videret, sicut illustratus naturalitèr videt; atqui hoc est falsum, vt apud omnes est certum: ergo non datur lumen habituale. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens. Primò: quia lumen, etsi sit forma creata, est indebita intellectui ex *quæst. 8. §. 3.* at potentia visiva est homini debita: ergo non ita. Recolantur dicta *quæst. 9. num.* 21. vbi hanc responsionem simili dedi argumento. Secundò: quia lumē est supernaturale secundum substantiam; visus verò cœco restitutus quoad modum. Tertiò: quia lumen non est principium totale videndi, sicut visus cœco restitutus. Vide dicta *n.* 18.

43 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: per lumen habituale non crescit virtus intellectus: ergo intellectus etiam cum lumine est insufficiens, & improportionatus ad Deum videndum, sicut sine lumine erat: ergo non est necessarium. *Respond. 1.* Respondeo primò, distinguendo antecedens: non crescit virtus vitalitèr agendi; adquiritur tamen virtus supernaturalitèr agendi, concedo antecedēs;

non creſcit, nec adquiritur virtus ſupernaturalitèr agendi, nego antecedens, & conſequentias. Licèt enim intellectus habeat totam virtutẽ vitalitèr agendi in ordine ſuo; deficit ei virtus ſupernaturalitèr agendi, quam per infuſionem luminis adquirit.

Reſpond. 2. Reſpondeo ſecundò alitèr diſtinguendo antecedens: non creſcit, nec elevatur ad ſupernaturalitèr operandum, nego antecedens; non creſcit, elevatur tamen, concedo antecedens, & nego vtramque conſequentiam; nec ſolutio indiget alia explicatione.

Retorque. Notate tamen hoc argumentum, & præcedens, æquè militare contra adverſarios, ideòque contra ipſos retorqueantur, quia ipſi ſolvere tenentur.

44 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: lumen habituale nullum gerit munus in intellectu Beatorum, quod non poſsit haberi per auxilium actuale, vel extrinſecum, & per modũ concurſus, vel intrinſecũ, & inhærens potentiæ per modum principij: ergo nulla eſt neceſsitas ponendi lumen habituale. Probatur antecedens: quia lumen habituale, vel requiritur ad elevandam potentiam, vt ſupernaturalitèr agat, ne dicatur, intellectum proprijs viribus Deum attingere; vel requiritur, vt viſio beata egrediatur ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam; vel vt viſio ſit ſupernaturalis, non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte potentiæ; atqui primum haberi poteſt per auxilium actuale extrinſecum, ſecundum ſimilitèr per idem, & tertium per auxilium actuale intrinſecum: ergo, &c.

45 *Prob. min. pro 1. part.* Probatur minor pro prima parte: per ſolum auxilium actuale extrinſecum ſalvatur ſufficiens elevatio intellectus ad ſupernaturalitèr agendum: ergo lumen habituale non requiritur ad elevandam potentiam, vt ſupernaturalitèr agat. Antecedens eſt Scoti, & omnium Scotiſtarum, illud vniformitèr tenentium, vt diximus *tom. 1. in 1. Sentent. diſput. 17. & 18.* imo & Thomiſtarum, nam apud ipſos Sacramenta elevantur ad cauſandam gratiam phiſicè per extrinſecam tantum auxilij aſsiſtentiã. Conſequentia eſt certa.

Prob. quoad 2. part. Probatur pro ſecunda: per ſolum auxilium actuale extrinſecum ſalvatur viſio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo lumen habituale non requiritur, vt viſio beata egrediatur ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiã. Probatur antecedens: intellectus cum ſolo concurſu Dei generali nequit attingere viſionem; alioquim naturalitèr poſſet Deum intuitivè videre, quod eſt contra fidem, vt ſtatuimus *tom. 1. in 1. Sentent. diſput. 6. §. 3. num. 34*: ergo per ſolum auxilium actuale extrinſecum ſalvatur viſio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Probatur denìquè pro tertia: nam per auxilium actuale intrinſecum, & inhærens potentiæ, ita ſupernaturalizaretur potentia, ac per lumen habituale: ergo ex hoc capite non requiritur, ſcilicèt, vt viſio ſit ſupernaturalis, tàm ex parte obiecti, quàm potentiæ.

Probat. 3. pars.

Hoc argumentum eſt, quod probabilem reddit ſententiam adverſariorum, ad quod Maſtrius, qui noſtram, vt probabiliorem ſubſtinet, nullam reſponſionem adducit, præſertim ad probationem minoris pro tertia parte, quæ magis vrget. Ego verò reſpondeo negando antecedens, ad probationem, nego minorem, cuius probationem pro prima, & ſecunda parte diſtinguo: per ſolum auxilium extrinſecum ſalvatur cum eadem connaturalitate nego; ſine connaturalitate exacta à natura viſionis concedo.

46 *Reſpondeo ad argum. & ad prob. pro 1. & 2. part. min.*

Fundatur ex Scoto ſolutio, & eſt noſtræ concluſionis probatio: actus ſecundus, vt connaturalitèr fiat, præſupponit actum primum proportionatum: ergo actus ſecundus ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis, vt eſt viſio beata, vt connaturalitèr fiat, præſupponit actum primum proportionatum. Atqui reſpectu viſionis duplex eſt principium ex parte actus primi, ſcilicèt, ex parte obiecti, & ex parte potentiæ: ergo vtrumque petit proportionatum: ergo vtrumque petit ſupernaturale: ergo vt viſio beata connaturalitèr fiat, petit elici à potentia elevata per aliquod intrinſecũ, & ſibi inhærens; alioquim nõ erit ſupernaturalis ex parte potẽtiæ, vt optimè cõvincit probatio minoris pro tertia parte.

47 *Ex Scoto fundatur ſolutio.*

Antecedens eſt Scoti *in 1. diſt. 1. quæſt. 4. pro 4. artic.* Et *diſt. 17. quæſt. 2. §. Ad argumenta pro opinione ad 2.* Et *in 4. diſt. 49. quæſt. 5. ad 2.* vbi tradit illud antecedens, & ex illo concedit, quod ſi voluntas eliceret actum fruitionis circa Deum clarè viſum abſquè charitate, talis fruitio foret naturalis ob defectum charitatis, vel alterius qualitatis ſupplentis, eo, quia agere præ-

48

ſup

ſupponit in eſſe, & ſi voluntas ex parte ſua ſupernaturalitèr operatur, debet præſupponi in eſſe ſupernaturali conſtituta.

Neque ex his Scoti verbis inferas, quod talis fruitio foret naturalis abſolutè; ſed tantum comparativè, quatenus, ſcilicèt, non eſſet ſupernaturalis, ſicut nunc eſt ex charitate procedens; quia nunc eſt ſupernaturalis ex duplici capite, ſcilicèt, ex parte obiecti, & ex parte potentiæ; tunc verò eſſet ſolum ſupernaturalis ex parte obiecti. Verum igitur eſt antecedens.

49 Conſequentia ex ſuprà poſito antecedenti legitimè infertur. Suſſumpta apud omnes eſt in confeſſo. Prima conſequentia ex illa deducta eſt eadem, ac ex antecedenti illata. Secunda verò conſtat: nam ſtante ſupernaturalitate in vtroque principio, intellectus concurrit ad viſionem cum maiori proportione actus ſecundi ad primum: ergo vt connaturalitèr fiat viſio, petit vtrumque principium ſupernaturale, ex quo claret vltima conſequentia, quæ vltrà probationem ibi daram, patet ex eo, quod auxilium actuale extrinſecum ſe habet tantum ex parte obiecti iuxta ipſos adverſarios, quia nihil aliud eſt ſecundum ipſos, quam ſpecialis concurſus obiecti in actu ſecundo.

50 *Reſpondeo ad probat. minor. pro 3. part.* Reſpondeo denique ad probationem minoris pro tertia parte, diſtinguendo antecedens: per auxilium actuale intrinſecum ita, & minus connaturalitèr ſupernaturalizaretur potentia, ac per lumen habituale, concedo antecedens; ita, & eodem modo connaturalitatis, nego antecedens, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Itaque licèt auxilium actuale intrinſecum faciat, quod nequit facere auxilium extrinſecum, ſcilicèt, quod viſio ſit ſupernaturalis ex parte vtriuſque principij, hoc tamen facit, non cum eadem connaturalitate, ac lumen habituale; quarè hoc requiritur, vt viſio fiat connaturaliſsimo modo, quo fieri poteſt.

51 *Viſio connaturaliori modo fit per lumen habituale.* Cæterum reſtat probare, quod viſio fiat connaturaliori modo per lumen habituale, ac per auxilium actuale intrinſecum; hic enim opus, & labor. Sed licèt à nemine, quem viderim, hoc maneat probatum; probatū ego relinquo per quadruplicem probationem noſtræ concluſionis; magna enim providentia vſus fui termino *connaturaliùs* in omnibus probationibus. Vltrà quæ.

52 *Probatur efficacitèr.* Efficacitèr probatur: Deus, vt eſt Author naturæ, ad operationes connaturales agentium naturalium ipſis confert principia naturalia permanentia, vt patet in omnibus agentibus naturalibus: ergo Deus, vt eſt Author gratiæ, ad operationes connaturales agentium ſupernaturalium ipſis confert principia ſupernaturalia permanentia: ergo ad operationes connaturaliores confert principia magis permanentia. Atqui principium magis permanens eſt lumen habituale, quam actuale: ergo connaturaliori modo intellectus erit principium viſionis ſupernaturalis cum lumine habituali, quam cum actuali.

53 Antecedens eſt certum. Prima conſequentia evidens. Secunda certa ob illud axioma: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis.* Suſſumpta patet ex eo, quod lumen habituale reducitur ad ſpeciem habitus, qui eſt magis permanens, ac diſpoſitio, ad quam reducitur auxilium actuale ex dictis in logica. Conſequentia legitimè infertur, quia negari nequit: viſionem de facto elici ab intellectu cōnaturaliſsimo modo.

54 Reſtat adhuc reddere rationem, cur Deus ad operationes connaturaliores conferat principia connaturaliora, cū ab alijs principijs non ita connaturalibus poſsint elici operationes prædictæ? Cæterum hoc facilis eſt ſolutionis, dicendo, ſcilicèt, hoc poſtulare naturas agentium, & operationum, vt exemplo cuiuſcumque videtur. Vel ſi placet, recurri poteſt ad hoc, quod Deus ſic diſpoſuit, & eſt Scoto *citat. num.* 29. valde conforme; imo & opinioni communiori Scotiſtarum, reducentium totam impoſsibilitatem eſſendi materia prima naturalitèr ſine omni forma ad ordinem à Deo ſic præfixum ex dictis 1. *Phiſicor.*

55 Concluditur ergo ex dictis, quod licèt lumen habituale non ſit beatis neceſſarium abſolutè loquendo, quia viſio beatifica ſine illo produci valet, tàm à ſolo Deo, vt ſtatuimus *tom. 1. in 1. Sentent. diſput.* 18; tàm mediante auxilio intrinſeco, vel extrinſeco; de facto tamen poni debet in beatis, vt connaturaliori modo producant viſio-

nem, & hoc est proprium munus, ad quod necessarium est lumen habituale. His ergo solutis, solum restat, mentem Concilij declarare. Pro quo sit.

§. V.

Resolvitur difficultas de mente Concilij.

56 OB diffinitionem Concilij Vienens. Sub Clemente V. quæ habetur in Clementina *ad nostrum de Hæreticis*, vbi determinatur: Lumen gloriæ necessarium esse ad videndum Deum, in quæstionem vocant Authores: An hoc lumen accipiendum sit per modum habitus ex mente Concilij; vel per modum auxilij actualis? Iudicantes, Concilium accepisse lumen per modum habitus, negant omnem prorsus probabilitatem oppositæ sententiæ, hincque dubitant: qua certitudine gaudeat, lumen esse habitum? Et hoc est dubium hic resolvendum.

57 Aliqui dicunt: in dicto Concilio tanquam de fide diffinitum esse: Lumen gloriæ esse habitum. Sic Caietanus *part.1. quæst.12. artic.5. ad 4.* Capreolus *in 4. dist. 49. quæst. 4. artic. 3.* Ferrariensis *3. contra Gentes, cap. 54.*

1. *Opinio.*

Secunda.

Alij dicunt: Lumen habituale sic requiri ex mente Concilij, vt ipsum de facto negare, sit temerarium, vel periculosum, vel forte erroneum. Sic Molina, Valentia, Suarez, & Lusitanus citatus à Mastrio *part.1. quæst.12. artic. 5. disput. 1.* vbi Bannes, & Valentia. Suarius *lib. 2. de Attributis negativis, cap.12.* Et Lusitanus *lib.9. de Beatitudine, quæst.4. artic.2. §.2. conclus.5.*

58 Alij autem totum oppositum defendunt. Sic communiter Scotistæ. Vulpes *disput.23 artic.6* Smising *tractat.2. disput.6. quæst.4.* Faber *in 3. disput. 32. cap. 2.* Aretinus *in 3. dist. 14. quæst.1. artic.3.* Posnanensis *in 1. dist. 17. quæst.3. artic.3.* Gallus *in 3. dist.14. prælud.2. disput.1. sect.1.* Et alij extra Scholam nostram, vt Basquius *disp.42.* Arriaga *disput.7.* Amicus *disput 2. sect. 8.* qui alios citant pro hac opinione, quam vt veriorem amplector.

Tertia.

59 Conclusio: *Ex mente Concilij nec est contra fidem, nec temerarium, periculosum, vel erroneum asserere: Lumen gloriæ non esse habitum* Probatur conclusio: Concilium nullo modo intendit determinare controversiam Scholasticorum: An lumen sit habitus, vel auxilium actuale: ergo ex mente Concilij non est contra fidem, nec temerarium, &c. asserere: Lumen gloriæ non esse habitum. Probatur antecedens: Concilium tantum contendit contra Beguardos, & Beguinas diffinire: Deum non posse clarè videri viribus naturæ; sed necessariam esse Dei gratiam: ergo Concilium nullo modo intendit determinare controversiam Scholasticorum: An lumen sit habitus, vel auxilium actuale.

Conclusio.

Probatur.

Confirmatur: Concilium totaliter salvatur, asserendo: Deum non posse clarè videri sine elevatione; sed hæc fieri potest per auxilium actuale: ergo ex mente Concilij non est contra fidem, nec temerarium, &c. asserere: Lumen gloriæ non esse habitum. Maior est certa; quia illud erat totum intentum Concilij. Minor etiam est certa, & claret ex dictis *tom.1. in 1. Sententiarum, disput.18.* Consequentia est legitima.

60 *Confirmat.*

Arguitur primò ex Suario: Concilium duos errores damnat distinctè. Vnum, quod visio sit naturalis, his verbis: *Quælibet intellectualis natura in se ipsa sit beata.* Alterum, quod lumen non requiratur, his verbis: *Quod anima non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum*; atqui in prima damnatione diffinit, necessarium esse auxilium Dei speciale: ergo in secunda diffinit aliquid aliud præter auxilium actuale: ergo diffinit lumen habituale requiri: ergo contra Concilium est asserere: Lumen non esse habitum.

61 *Arguit. 1 ex Suario*

Respondeo primò negando maiorem; falsum enim est: illa duo à Concilio damnari, tanquam duo distincta; sed sicut hæretici asserebant: visionem beatam esse naturalem, nec indigere nostrum intellectum lumine gloriæ, per quod intelligebant auxilium Dei speciale; ita è contra, Concilium diffinit: visionem esse supernaturalem, ideòque indigere lumine gloriæ, sivè hoc sit habituale, sivè actuale, de quo non erat intentum Concilij.

62 *Respond.1.*

Respondeo secundo retorquendo argumentum primò: Concilium distinctè damnat errores: ergo non omnis intellectus creatus, sed solum humanus, indiget ex Concilio lumine habituali. Probatur consequentia: in secunda damnatione loquitur tantum Concilium de Anima humana,

63 *Respond.2. retorquendo argum.1*

in

in eaque fit tantum mentio de lumine gloriæ, vt fatetur Suarez, cuius est argumentum: ergo non omnis intellectus creatus, sed solum humanus indiget ex Concilio lumine habituali.

Retorq. 2. Retorqueo secundò: Concilium revera diffinit: omnem intellectum creatum indigere lumine ad videndum Deum: ergo in vtraque damnatione erit sermo de lumine habituali: ergo non tantū in secunda, contra Suarez.

64

Retorq. 3. Tertio retorqueo: Concilium procedit contra hæreticos, negantes necessitatem specialis Dei adiutorij ad ipsum videndum; sed hæretici non subtilinebant prædictum adiutorium, ex suppositione, quod esset, esse quid habituale: ergo Concilium non diffinit: Lumen gloriæ esse habitum. Accedit ad hoc, quod nec explicitè, nec implicitè est in Concilio de hac re aliquid diffinitum: ergo idem quod anteà.

65

Arguit. 2. Arguitur secundò: in propria significatione, & communi Theologorum, in qua locutum est Concilium, lumen importat aliquod antecedens ad actum secundum, & concursum ad actum: ergo ex Concilio est aliquid habituale.

Respond. 1. Respondeo primò negando antecedens: quia lumen ex vi nominis solam elevationem significat; cum ergo fieri possit elevatio, tùm per aliquid habituale; tùm per actuale; tùm per concursum; indiferens est ad quodlibet significandum.

Respond. 2. Deindè: quia ab aliquibus lumen vsurpatur pro solo auxilio actuali, quò sensu multi Patres exponunt, illud Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, id est, te nos adiuvante. Deindè respondeo secundò, dato antecedenti, negando consequentiam, nam dato, quod lumen antecederet actum secundum, & concursum ad actum, non ob hoc esset habituale, quia posset esse antecedens per modum actualis auxilij habentis rationem principij, & pertinentis ad actum primum.

66

Arguit. 3. Arguitur tertiò: Lumen ex Concilio est aliquid elevans potentiam ad actum: ergo neque est auxilium actuale, neque actualis concursus: ergo lumē gloriæ est quid habituale ex Concilio.

1. conseq. probat. Prima consequentia probatur: quia concursus actualis est ipsa elevatio, præsupponens potentiam in actu primo completam, & elevatam: ergo lumen gloriæ neque est auxilium actuale, neque actualis concursus. Respondeo negando primam consequentiam, quia etiam auxilium actuale proprijssimè elevat potentiam ad actionem supernaturalem, quando est speciale, & indebitum, vt patet his instantijs.

67

Probatur solutio instantijs.

Prima: Sacramenta apud Thomistas supernaturalitèr elevantur ad causandam gratiam per solam assistentiam extrinsecam specialis auxilij. Secunda: intellectus iuxta plures contrarios potest de potentia Dei elevari ad visionem per solum concursum supplentem vices luminis habitualis. Tertia: de facto intellectus, & voluntas elevantur per solum concursum ad actum credendi, sperandi, & diligendi quo ad infusionem habitus fidei spei, & charitatis se vltimo disponunt de congruo: ergo etiam auxiliū actuale proprijssimè elevat potentiā ad actionem supernaturalem, quando est speciale, & indebitum.

Prima. Secunda. Tertia.

68

Ad probat. consequentiæ resp. 1. Ad probationem consequentiæ distinguo antecedens primò: concursus actualis est ipsa elevatio, præsupponens potentiam elevatam per aliquod in ipsa receptum, ipsique præstitum in actu primo, nego antecedens; elevata ex ipsa eius coniunctione cum concursu actuali, concedo antecedēs, & nego consequentiam. Patet solutio in homine, se solo non potente trahere grave pondus, potente tamen, si ab alio elevetur, in quo casu homo elevatur, non per aliquid in ipso receptum, ipsique præstitum in actu primo; sed ex ipsa eius coniunctione cum actuali concursu alterius adiuvantis, seu elevantis. Similitèr ergo.

Secundò. Respondeo secundò alitèr distinguendo antecedens: concursus actualis est ipsa elevatio. præsupponens potentiam in actu primo completam, & elevatam per aliquid habituale præcisè, nego antecedens; per aliquid actuale habens rationem principij, & pertinens ad actum primum, concedo antecedens, & nego consequentiā. Hæc solutio constat ex dictis *num. 65.*

69

Arguit. 4. Arguitur quartò: si intellectus non indigeret aliquo per modum actus primi, quo elevetur, haberet de se, & ex natura sua quidquid requiritur in ratione actus primi: ergo ex natura sua haberet virtutem adæquatam ad videndum Deum; atqui hoc damnatur in præfato Concilio: ergo in

Con-

Concilio damnatur, lumen gloriæ non esse habitum. Probatur sequela: quia causæ secundæ præter concursum Dei nullo indigent per modum actus primi ad suos effectus naturales, quia habent ex natura sua quidquid requiritur ex parte actus primi: ergo si intellectus non indigeret aliquo per modum actus primi, quo elevetur, haberet ex se, & ex natura sua quidquid requiritur in ratione actus primi. Hoc argumentum ruit dicendo: intellectum indigere auxilio actuali, habente rationem principij, & pertinente ad actum primum, quod Concilium non damnat. Cæterum, quia ex probatione sequelæ constat: argumentum procedere de auxilio actuali extrinseco per modum concursus.

Prob. sequela.

70 *Respond. 1.*

Respondeo primò distinguendo sequelam: haberet ex natura sua quidquid requiritur in ratione actus primi proportionati, nego antecedens; non proportionati, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est: quia licèt intellectus non indegeat elevari ab aliquo per modum actus primi; absolutè tamen indiget elevatione, vt constituatur in actu primo proportionato: ergo non haberet de se virtutem adæquatam, quia hæc conflatur ex virtute remota intellectus, & alio principio elevante, licèt hoc sit per modum concursus.

71 *Ad probat. sequelæ.*

Hinc ad probationem distinguo antecedens: ly *quia* dicente causam partialem, concedo antecedens; dicente causam totalem, nego antecedens; nam causa totalis, cur causæ secundæ ex se habeant quidquid requiritur per modum actus primi ad suos naturales effectus, est, quia nullo indigent per modum actus primi, neque indigent elevatione, vt constituãtur in actu primo proportionato; nam concursus ex parte Dei est illis debitus iuxtà naturæ leges. Ex quo.

72 *Respond. 2.*

Respondeo secundò ad argumentum, negando antecedens: quia cum virtus intellectus in ordine ad visionem sit remota, & incompleta, indiget aliqua elevatione, vt constituatur in actu primo proxima, & completa: ergo sine elevatione non habet quidquid requiritur in ratione actus primi proximi, & completi: ergo nunquam intellectus habebit ex natura sua quidquid requiritur ex parte actus primi proximi, & completi. Ex quo patet ad probationẽ. Retorqueo deniquè instantijs positis *num. 67.*

Retorque.

73 *Arguit. 5.*

Arguitur quintò: Concilium non minus requirit elevationem potentiæ ad actum supernaturalem Patriæ, quã requiritur ad supernaturalem actum viæ; sed ad hunc præter concursum supernaturalem requirit habitum elevantem potentiam: ergo Concilium requirit lumen gloriæ, vt habitum. Respondeo primò, negando minorem, ob dicta *num. 67.* & quia in hoc Concilio non est diffinitum, parvulis in Baptismo infundi habitus fidei, spei, & charitatis, sed tantum in Tridentin. *Sess. 6. cap. 7. Can. 11.* Sed data minori.

Respond. 1.

74 *Respond. 2.*

Respondeo secundò distinguendo maiorem: non minus requirit elevationem absolutè, concedo maiorem; elevationem per habitum, nego maiorem; omitto minorem, & nego consequentiam; quia licèt ex Conciliis constet, dari habitus in via ad elevandas potentias, ex nullo constat, elevationem intellectus in Patria fieri per habitum, & quamvis ex aliquibus verbis Concilij Vienensis videatur inferre, non tamen determinatè asserit, quia illius intentum solum erat diffinire: intellectum creatum indigere elevatione ad videndum Deum, ne diceretur cum Hæreticis: Deum posse clarè videri solis naturæ viribus.

75 *Arguit. 6.*

Arguitur sextò: de fide est: voluntatem de facto elevari ad fruitionem per habitum charitatis: ergo similitèr: de fide est: intellectum de facto elevari ad visionem per habitum luminis. Respondeo negando consequentiam; quia de habitu charitatis in Patria est expræsſum testimonium Apost. 1. *Corinth.* 13. dicentis: *Charitatem non esse, vt fidem, & spem, evacuandam*; de lumine verò nec in Scriptura, nec in Concilio est diffinitum. Sic Scotus *citat. num.* 23. Imò hoc argumentum militat etiam contra adversarios tenentes: esse solum temerariũ, erroneum, vel periculosſum.

Respondeo.

76 *Arguit. 7.*

Arguitur septimò: nomine luminis nequit intelligi concursus actualis, nec ipse Deus: ergo Concilium per lumen intelligit aliquid habituale. Probatur antecedens pro prima parte: concursus includitur in visione; sed lumen gloriæ distinguitur à vi-

Prob. antecedens pro 1. part.

visione: ergo nomine luminis nequit intelligi concursus actualis. Probatur pro secunda: Concilium non loquebatur in casu illo methaphisico, quod Deus de potentia absoluta immediatè concurreret ad visionem, sed ordinariè loquendo; sed ordinariè fit per habitum luminis: ergo nomine luminis nequit intelligi ipse Deus.

Probat. 2. pars.

77 *Respond. 1.*

Respondeo primò concedendo antecedens, & negando consequentiam; quia nomine luminis potest intelligi auxilium actuale habens rationem principij, & pertinens ad actum primum, quod non est contra Concilium. Respondeo secundò negando antecedens, & distinguendo probationem, pro prima parte: concursus generalis includitur in visione, concedo maiorem; specialis, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo consequens: nequit intelligi concursus generalis, concedo consequentiam; specialis, nego consequentiam. Hæretici enim non negabant concursum generalem, sed specialem, ideòque hunc esse necessarium contra illos diffinivit Concilium, & consequentèr nomine luminis ex mente Concilij intelligi potest concursus specialis; imò cum hac intelligentia salvatur intentum Concilij.

Secundò.

Ad probat. 1. part.

78 *Ad 2.*

Ad probationem pro secunda parte, distinguo minorem: ordinariè loquendo fit per habitum luminis, ita, vt explicitè, vel implicitè fit in Concilio diffinitum, lumen esse habitum, nego minorem; ita, vt sit tantum magis probabile, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaquè ob hæc, & alia, quæ possunt adduci, vt probabiliorem iudicavi sententiam asserentem: lumen esse habitum, & quia ratione firmiorem, & quia Concilio conformiorem. Item: illam esse de mente Scoti §. 2. probavi; cæterum oppositum nec est hæreticum, nec temerarium, erroneumve, vel periculosum, quia nihil de hoc determinat Concilium, nec in Scriptura, & Patribus determinatum invenitur.

79 *Arguit. deniquè.*

Arguitur deniquè: Lumen ex mente Concilij non est ipse Deus, se obiectivè manifestans: ergo est aliquid distinctum: ergo est habitus. Probatur antecedens primò: Concilium determinat è loquitur de lumine creato: sed Deus se obiectivè manifestans est lumen increatum: ergo lumen ex mente Concilij non est ipse Deus, se obiectivè manifestans. Secundò: quia si Deus esset tale lumen, sensus diffinitionis esset: *Anima indiget Deo ad videndum Deum*; sed hæc diffinitio esset frivola: ergo, &c. Tertiò: quia nullus hæreticus negavit, obiectum requiri ad sui visionē: ergo idem, quod priùs. Respondeo concessò antecedenti, cū prima consequentia, negando secundam; nam licèt lumen ex mente Concilij sit aliquid distinctum à Deo; non ob hoc est habituale ex mente ipsius, quia potest esse per modum concursus, vel per auxilium actuale, habens rationem principij, pertinentis ad actum primum, vt totiès dictum est in discursu quæstionis, præcipuè *numer. 65. & 67.*

Respondeo.

80 *Liberatur Scotus à cē suris aliquorum.*

Solutis iam argumentis, dicta in tota hac quæstione deserviant ad perpetuam aliquorum confusionem, qui Scotum (vel non legentes, vel non intelligentes) vndequaque catholicum, & pium in hac materia, sicut & in alijs, sine vllo prorsus fundamento parum religiosè ausi sunt affirmare: In citata Clementina de hæresi damnatum fuisse.

81

Confundantur itaquè primò: quia vt diximus §. 2. de facto agnovit Scotus necessitatem luminis gloriæ per modum habitus. Secundò: quia vt diximus in limine quæstionis, de fide est, Deum non posse videri solis naturæ viribus, quod est intentum Concilij, quod semper docuit Scotus, & manifestè apparet ex dictis *quæst. 8. num. 60. & 61.* Tertiò: quia Amicus, etsi à nobis alienus, referens Scoti sententiam *disput. 9. sect. 8. num. 197.* post relationem diffinitionis Concilij Viennensis, hæc ait verba: Neque huic catholicæ doctrinæ adversatur Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 2. §. in 1. quæstion.* Et *distinct. 31. §. Respondeo.* Et *in 4. dist. 49. quæst. 11. §. Respondeo ergo*, in quibus locis, vel solum negat lumen gloriæ, vt necessarium de potentia absoluta, vel tantum ad recipiendam visionem, vel quod illud fit per modum habitus, quo pacto non est contra Concilium.

82 *Anno in quo obijt Scotus.*

Confundantur deniquè: quia etiam si absolutè negasset lumen gloriæ per modum habitus, nullam adhuc incurrisset erroris notam. Primò: quia Scotus cessit è vita anno 1308. Opus verò Clementinarum fuit publicatum à

Ioan-

Ioanne 22. anno 1318. mense Novembri, vt constat ex proœmio Clementinarum. Secundò: quia in Concilio nihil determinatum fuit de necessitate luminis per modum habitus, vt claret ex dictis.

QUÆSTIO DUODECIMA.

Quæ sint numera Luminis Gloriæ?

§. I.

Relatis sententijs statuitur prima conclusio.

Num. 1 SVppositâ communiori sententia quod detur de facto in Beatis lumen gloriæ per modum habitus infusi antecedenter ad productionem visionis, quæritur nunc: Quæ sint munera illius? Ex cuius resolutione clarius adhuc apparebit, quod dictum habemus *quæst. præced.* Et omissâ opinione aliquorum asserentium: Lumen tantum deservire ad decorem, & ornatum beatorum, quia hoc esse falsum, satis constat ex dictis *quæst. anteced. §. 5.* variæ sunt opiniones.

2 1. *Sentent.* *Bazquez.* *Turrianus.* *Ovvid.* *Smising.* *Gallus.* *Tartaretus* *Pontius.* *Fasolus.*

Prima asserit: Lumen gloriæ exercere munus solius speciei impressæ, supplendo concursum obiecti. Ita Bazquez *part. 1. disput. 39. & 43.* Turrianus *opusc. 1. dub. 9.* Hanc opinionem satis probabilem iudicant Ovvid. *de Beatitudine, tract. 1. controv. 8. punct. 5.* Et ex Scotistis Smising *tract. 2. disput. 6. quæst. 4. num. 69.* Gallus *in 3. dist. 14. quæst. 1. prælud. 2. disput. 1. sect. 4.* Tartaretus *in 3. dist. 14. quæst. 1. proposit. 7.* Alij autem vltra munus speciei impressæ concedunt: exercere etiam munus per modum habitus elevantis intellectum ad beatam visionem, vt Pontius *Cursu Theologico, disput. 4. numer. 17.* Fasolus *part. 1. quæst. 12. art. 5. dub. 2.* Et alij Recentiores.

3 2. *Sentent.* *Ricardus.* *Marsilius.* *Caietanus.*

Secunda sententia tenet: Lumen gloriæ deservire ad recipiendam visionem. Hæc opinio tribuitur Ricardo *in 4. dist. 49. artic. 3. quæst. 1.* Marsilio *in 3. quæst. 10. artic. 2.* Caietano 1. *part. quæst. 12. artic. 5.* & alijs; ex quibus aliqui ita intelligunt, vt lumen gloriæ sit proximum, & immediatum subiectum, in quo recipiatur visio. Alij, quod coniunctum ex intellectu, & lumine sit adæquatum subiectum receptivum visionis. Sic Suarez *lib. 2. de Attributis, cap. 15.* *Suaret.* Herice *disput. 45. capit. 3.* *Herice.* Alij denique, quod lumen sit prævia dispositio in genere causæ materialis, vt visio recipiatur in intellectu, ita, quod sit ratio recipiendi, non verò subiectum recipiens, de quorum numero sunt plures Thomistæ.

4 3. *Sentent.* *D. Thomas.* *Capreolus.* *Caietanus.* *Lusitanus.*

Tertia sententia docet: Lumen gloriæ requiri, vt dispositio ad vnionem Diuinæ essentiæ. Pro hac opinione citatur D. Thom. *1. part. quæst. 12. artic. 5.* Et *4. contra Gentes, cap. 53. argum. 12.* quem secuntur Capreolus *in 4. dist. 49. quæst. 4. artic. 1. & 3.* Caietanus, vbi Div. Thom. Lusitanus *lib. 9. quæst. 5. artic. 3. à §. 4.* Ex his autem aliqui intelligunt opinionem istam de vnione formali; alij verò de vnione obiectiva.

5 4. *Sentent.*

Quarta sententia docet: Lumen gloriæ requiri propter duo. Primò: vt præsentia Dei obiectiva fiat intellectui creato debita, & in eius potestate constituta, non in genere physico; sic enim haberet rationem speciei impressæ, quod falsum est; sed in genere moris, & veluti ex pacto, quod fecit Deus, vt statim, ac intellectus fuerit lumine perfusus, se illi manifestabit. Secundò: requiri ad visionem intensiorem, & perfectiorem producendã. Sic Vulpes *disput. 23. artic. 7. num. 15.* *Vulpes.* vbi tanquam de mente Scoti hanc tuetur opinionem.

6 5. *Sentent.*

Vltra opiniones relatas alia est sententia asserens: Lumen gloriæ requiri, vt tribuat intellectui creato virtutem visivam simpliciter ex parte

po-

potentiæ ad Deum videndum; vndè incunctanter docet: Lumen gloriæ esse totam rationem, per quam intellectus producat visionem. Sed quia hæc opinio latè à nobis impugnata manet: & opposita pro viribus propugnata *tom.1. in 1. Sentent. disput.16.* ideò hac nunc opinione ommissa, & ibi videnda, contra omnes alias, vtpotè Scoto contrarias, procedendum est in hac quæstione.

§. II.

Lumen gloriæ non esse speciem impressam, pro prima conclusione statuitur.

7 *1. Conclus. Scotus.*

PRima conclusio: *Lumen gloriæ non est species impressa.* Conclusio est contra Authores pro prima sententia relatos; eam tamen amplectuntur ferè omnes Scotistæ cum Magistro *in 1. dist.17. quæst.2. §. Ad 1. de secunda via in fine.* Et *in secundo dist.3. quæst.10. §. Ad quæst.* vbi latè probat: habitus distingui ab speciebus. Et *in 4. dist.49. quæst.11. §. Respondeo*, vbi hæc profert verba: Tres formæ supernaturales ponendæ sunt: *Vna correspondens obiecto, scilicèt, species intelligibilis. Secunda ex parte intellectus, scilicèt, lumen gloriæ. Tertia ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas.* Et ommissis aliquorum rationibus inefficacibus.

8 *Probat. 1. ad hom. cõtra Bazquez.*

Probatur primò conclusio ad hominem contra Bazquez: quia actus fidei est assensus, & iuditium, non solum requirit ex parte obiecti speciem rei credibilis, verum etiam ex parte potentiæ habitum fidei, vel auxilium; sed visio beata est iudicativa: ergo requirit non solum ex parte obiecti speciem rei visibilis, verum etiam ex parte potentiæ habitum luminis, vel auxilium. Maior est Vasquij *in præsenti num.21.* Minor est eiusdem *1. 2. disput.12.* Consequentia est evidens.

9 *Probat. 2. contra ipsum.*

Probatur secundò contra eundem: ideò secundum ipsum superfluit lumen gloriæ, quia nec requiritur, vt intellectus recipiat essentiam Divinam, nec vt principium efficiens in intellectu ad producendam visionẽ: ergo lumen supponit intellectum sufficientem, & efficacem ex parte potentiæ ad producendam visionem: ergo lumen requiritur solum, vt essentiam Divinam intellectui proximè præsentem faciat, quod est proprium speciei intelligibilis. Antecedens est Vasquij *disput.43. cap.3.* Prima consequentia est eiusdem *eodem loco, & capit.4. sub num.10.* vbi ait: *Deindè: necessarius non est habitus luminis, vt efficacitatem tribuat intellectui*, quod de efficacitate activa probat *ibi, & capp. seqq.* præsertim *cap 8.* Secunda consequentia est opinio ipsius.

10 *Infero.*

Infero nunc: ergo essentia Divina intellectui proximè præsente per lumen, vt per speciem ipsius, intellectus non eget ex parte sui aliquo dono, quo efficax reddatur ad hanc essentiam videndam. Hæc consequentia legitima infertur ex antecedentibus Vasquij. Atqui hæc est opinio Durandi, quam erroris nota qualificat *disp. 14. cap.2.*: ergo tenetur Bazquez concedere lumen ab specie distinctum, vel emendare, quæ dixerat contra Durandum.

11

Sumpta claret. Primò: quia Durandus nihil aliud dixit, quam, quod si essentia Divina in ratione obiecti fieret intellectui proximè præsens, intellectus ex parte sui non egeret aliquo dono, quo efficax redderetur ad hanc essentiam videndam. Claret secundò ex verbis Vasquij proximè *catat.* vbi referens opinionẽ Durandi, & eius censuram, hæc ait: *Non est igitur solum error, asserere, naturalitèr Deum videri posse, sed etiam negare, necessarium esse lumen, vel aliquod, quo intellectus roboretur, & efficax reddatur ad videndum Deum; id verò planè negat Durandus.*

12 *Respondet Bazquez.*

Respondet Bazquez *cap.8*: se à Durando differre, quia hic non ponit speciem impressam, quam ipse ponit. *Contra 1.* Contra primò: quia Bazquez hanc opinionem defendit ex suppositione, quod species non adsit, sed ipsa essentia Divina gerat vicem speciei: ergo non differt à Durando. *Contra 2.* Contra secundò: si species impressa sufficit, vt intellectus efficax reddatur ad videndum Deum, magis, vel tanto sufficit ipsa essentia Divina in ratione obiecti: ergo si à Durando differt, dignus est maiori erroris nota. Antecedens patet: quia nihil potest facere species impressa alicuius obiecti, quod obiectum ita efficacitèr, vel efficatius non faciat. Consequentia vndequaque est bona.

13 *Probat. 3.*

Probatur tertiò conclusio contra omnes: Lumen requiritur de facto in

bea-

conclus. cõtra omnes. beatis, vt connaturaliori modo eliciant visionem; sed ad hoc conuenientius est lumen, se habens ex parte potentiæ, quam ex parte obiecti: ergo lumen non est species impressa. Maior patet ex dictis *quæst. anteced. §. 3. & 4.* Minor constat ex ibi dictis, præsertim *à num.* 47. consequentia infertur.

Probat. 4. Probatur quartò etiam contra omnes: de facto nulla datur species impressa ad visionem efficiendam: ergo lumen de facto non est species impressa. Antecedens constat ex eo, quod superfluit species, vbi obiectum est præsens in propria existentia, & constat ex dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp.* 11. Consequentia optimè sequitur.

14 *Arguit. 1. ex Vasquio.* Arguitur primò ex Vasquio: Lumen non ponitur in intellectu beati, vt ei tribuat efficacitatem ad videndum Deum: ergo ponitur tanquam species repræsentans Deum. Probatur antecedens: vt intellectus beati recipiat speciem essentiæ Diuinæ, non requiritur, quod ex se habeat virtutem effectricem determinatam, & completam circa ipsum Deum, vt Deum videre possit; sed sufficit, quod in genere habeat virtutem videndi quodcumque intelligile, ita, vt eius efficacitas peculiari Dei specie compleatur; sed intellectus habet in genere virtutem videndi quodcumque intelligibile: ergo lumen non ponitur in intellectu beati, vt ei tribuat efficacitatem ad videndum Deum.

15 *Prob. mai.* Probatur maior: vt aliqua potentia recipiat speciem alicuius obiecti, sufficit, quod habeat ex se virtutem in genere circa illud obiectum in vniuersum, ita, vt eius efficacitas hac, vel illa specie compleatur: ergo lumen non ponitur in intellectu beati, vt ei tribuat efficacitatem ad videndum Deum. Probatur antecedens: vt potentia visiva recipiat speciem albedinis, non requiritur, quod habeat virtutem effectricem determinatam, & completam circa albedinem, vt ipsam videre possit; sed sufficit, quod in genere habeat virtutem circa colorem in vniuersum, ita, vt compleri debeat hac, vel illa specie, vt hoc, & illud obiectũ videri possit: ergo, &c. Hoc argumentum potuit Bazquez ad breviores, & clariores reducere terminos.

16 Ego verò clarior, & brevior Vasquio, respondeo primo negando antecedens: quia licèt intellectus habeat virtutem vitalem, quæ incompleta est, vel incohata respectu visionis, ad quam lumine non eget, tamen non habet virtutem agentis supernaturalis, & hæc est, quam lumen tribuit intellectui, vt huius virtus sit completa ad producendam visionem supernaturalem. Ad probationem nego maiorem; cuius probationem distinguo: vt aliqua potentia completa, & adæquata recipiat speciem alicuius obiecti, sufficit, quod habeat ex se virtutem in genere circa illud obiectum in vniuersum, ita, vt eius efficacitas hac, vel illa specie compleatur, concedo; & hoc est, quod probat exẽplum de potentia visiva, quod est vltima probatio; potentia incompleta, & inadequata, vt est intellectus respectu visionis, nego antecedens, & consequentiam.

Respond. 1. *Ad probat. maioris.*

17 *Explicatur* Itaquè vt quælibet potentia completa producat actũ circa aliquod obiectum, sufficit, habere virtutem in genere circa obiectũ, vt optimè probat argumentum, & solum indiget determinari hac, vel illa specie, vt hoc, vel illud obiectum possit attingere, quod claret in visu, & in ipso intellectu respectu cognitionis naturalis; ast potentia incompleta vltrà indigentiã determinationis per speciem, indiget alio complemento in ratione potentiæ, vt ex ipsis terminis apparet.

18 *Retorq. 1. argum.* Imò ex hoc retorqueo primò argumentum: quælibet potentia completa, vt producat suum actum, requirit concursum speciei, vel obiecti: ergo potentia incompleta vltrà hunc concursum indiget alio complemento in ratione potentiæ. Retorqueo secundò: si daretur species coloris supernaturalis, indigeret potentia visiva ad illius visionem producendam aliquo complemento ex parte potentiæ: ergo similitèr intellectus. Tertiò ex dictis *quæst. anteced. num.* 31. 32. 33. 34. & 35.

Secundò.

19 *Dices.* Dices contra hanc solutionem: ergo virtus intellectus ad visionem beatam completur per lumen: ergo intellectus cum lumine est adæquatũ principium visionis: ergo lumen est species. Probatur hæc consequentia: principium adæquatum includit potentiam, & speciem; sed per te intellectus cum lumine est principium

adæ-

adæquatum: ergo cum lumen non sit potentia, erit species. Hoc est, quod Vasquius supponit ad defendendum: Lumen esse speciem. *Respondeo.* Respondeo distinguendo primum consequens: copletur, completione ex parte potentiæ, concedo consequentiam; ex parte potentiæ, & obiecti, nego consequentiam. Distinguo similitèr secundum consequens, & nego tertium. Ad probationem distinguo similitèr maiorem, & minorem, & nego consequentiam.

20 Itaquè intellectus cum lumine est adæquatum principium, & complementum ex parte potentiæ tantum; quarè hoc supposito, adhuc indiget alia concausa, scilicèt, obiecto, vel illius specie, vt sit completum vtraque completione, quod requiritur ad eliciendam visionem, vt patet in quacumque potentia completa ex parte obiecti, ex quo cum qualibet retorqueri potest vt in *num.* 18. Ratio huius est: quia cognitio essentialitèr est expressa representatio obiecti; sed hanc rationem à nullo præter obiectum, vel speciem, potest effectivè recipere: ergo principium adæquatum, & completũ ex parte potentiæ tantũ, adhuc indiget principio ex parte obiecti, vt sit completũ completione necessaria ad eliciendam cognitionem.

21 Respondeo iam secundò ad præ- *Respond. 2. ad argum.* dictum argumentum: distinguendo antecedens: Lumen non ponitur, vt intellectui tribuat efficacitatem operativam, concedo antecedens; productivam, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguo similitèr maiorem, minorem, & consequens. Itaquè virtus alia est operativa, productiva alia. Operativa est ad percipiendum obiectum repræsentatum in visione iam producta, & in intellectu recepta, & hanc habet intellectus ex se independentèr à lumine; vndè si Deus se solo visionem in intellectu produceret, intellectus, nec lumine, nec alio dono indigeret ad videndum Deum.

22 Productiva est ad producendam visionem, media qua intellectus percipiat obiectum, & hanc respectu visionis beatæ, vtpotè, supernaturalis, non habet intellectus independentèr à lumine, ideòque indiget illo, vt sit cõpleta virtus productiva visionis ex prima responsione *num.* 16. Doctrina hæc est expressa Doctoris *in 3. dist. 14. quæst. 1. litt. C.* dicentis: *Dico, quod non sequitur, nisi quod intellectus animæ Christi posset naturalitèr in visionem* (quod de virtute operativa optimè intelligitur) *sed non sequitur, quod visio potest sibi inesse ex naturalibus, vel quod posset sibi inesse ex aliqua causa naturali*, quod de productiva virtute est verissimum.

Arguitur secundò ex eodem: si 23 lumen tribueret intellectui efficaci- *Arguit. 2. ex eodem.* tatem ad videndum Deum, quælibet potentia sensitiva posset videre Deũ; sed hoc est falsum: ergo lumen est species impressa. Probatur maior: potentia sensitiva posset à lumine accipere efficacitatem, sicut intellectus: ergo si lumen gloriæ tribueret intellectui efficacitatem ad videndum Deum, quælibet potentia sensitiva posset Deum videre. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem, & eius probationẽ. Primò: quia Deus est extra obiectum potentiæ sensitivæ, non verò extra obiectum intellectus. Secundò: quia elevatio supponit in potentia virtutem aliquam ad id, quod elevatur; in potentia autem sensitiva nulla est virtus ad visionem supernaturalem; benè verò in intellectu. Sic Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 11. litt. K.*

Arguitur tertio ex eodem: totum, 24 quod est in visione, sufficientèr cor- *Arguit. 3.* respondet intellectui, & speciei impressæ: ergo superfluit lumen, nisi sit species. Probatur antecedens: quod visio sit intellectio, & vitalis provenit ab intellectu; quod sit supernaturalis provenit ab specie; sed hoc est totum, quod est in visione: ergo totum, quod est in visione sufficientèr correspondet intellectui. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, & distinguo probationem quoad secundam partem: quod sit supernaturalis ex parte obiecti, provenit ab specie, concedo; ex parte potentiæ, nego; hoc enim provenit à lumine, & ad hoc necessariũ esse, diximus *quæst. anteced. §. 3. & 4. per totum, præsertim à num. 47.*

Arguitur quartò ex eodem: mu- 25 nus proprium speciei est coagere cum *Arguit. 4.* potentia, eamque determinare ad talem actionem; sed hoc habet lumen gloriæ: ergo lumen est species. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: munus proprium speciei est coagere coactione, & determinatione ex parte

obiecti, concedo maiorem; ex parte potentiæ, nego maiorem; distinguo è contra minorem, & nego consequentia n. Itaquè species coagit, & determinat, vt similitudo obiecti, vel repræsentatio; lumen vero elevando, & perficiendo potentiam, quorum vtrumque necessarium est, vt visio fiat connaturalitèr, vt totiès diximus *quæst. præced.*

26 Arguitur quintò ex Smising *disp. 6. quæst. 4. num. 69*: habitus luminis non est aliud, quam qualitas supernaturalis cum intellectu exprimens notitiam Dei intuitivam; sed talis qualitas est species impressa: ergo lumen est species impressa. Maiorem probat Smising *citat.* quam omitto, quia hac ruit solutione. Respondeo distinguendo maiorem: habitus luminis non est aliud, quam qualitas supernaturalis cum intellectu exprimens notitiam, elevando, & perficiendo intellectum, concedo maiorem; repræsentando obiectum, & fœcundando potentiam, nego maiorem; distinguo minorem è converso, & nego consequentiam.

Arguit. 5. ex Smising.

Respondeo.

27 Qualitas igitur, quæ dicitur species, exprimit notitiam obiecti, vt similitudo illius in esse intelligibilis, scilicèt, quatenus affert virtualitèr ipsum obiectum, vt semen illius, sufficientèr fœcundat potentiam ad producendam notitiam. Cum ergo hoc non faciat lumen, sed exprimat tantum modo dicto, non erit species; alioquim quilibet habitus coefficiens cum potentia notitiam alicuius obiecti, esset species impressa, quod est falsum, & ex quo argumentum vrgentissimè retorqueri valet.

28 Dices ex ipso *num. 70.* & est doctrina, quam adducit ad probandam minorem suprà positam: lumen non exprimit formalitèr notitiam Dei; alioquim esset visio: ergo efficientèr; sed hoc est munus speciei impressæ in repræsentando obiectum: ergo habitus luminis non est aliud, quam qualitas supernaturalis cum intellectu exprimens in repræsentando notitiam Dei intuitivam. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens, vt suprà ad argumentum eiusdem. Distinguo etiam sumptam, vt ibi distinxi, & nego consequentiam.

Dices ex ipso.

Respondeo.

29 Arguitur sextò ex Pontio *Cursu Theologico, disp. 4. num. 17.* & alijs Recentioribus: Lumen complet efficacitatem intellectus, vt visionem eliceat: ergo repræsentat Deum habitualitèr: ergo est species impressa Dei. Hoc argumentum etiam probat: habitum fidei, spei, & charitatis esse speciem impressam contra omnes. Ex quo argumentum retorqueatur. Respondeo itaquè distinguendo antecedens vt in *num. 25. & 26.* Nego vtrãque consequentiam, vel primam distinguo similitèr.

Arguit. 6. ex Pontio.

Retorque.

Respond.

§. III.

Lumen Gloriæ non deservire ad recipiendam visionem, pro secunda conclusione statuitur.

30 SEcunda conclusio: *Lumen gloriæ non requiritur vt dispositio ad visionem recipiendam.* Hanc conclusionem statuo contra Authores relatos *num. 3.* pro secunda sententia, & ita verum iudico, vt nec lumen sit proximum, & immediatum subiectum, in quo recipiatur visio; nec conflatũ ex intellectu, & lumine sit adæquatum subiectum visionis receptivum; nec lumen requiratur vt prævia dispositio in genere causæ materialis, vt visio recipiatur in intellectu. Conclusio habet triplicem partem contra triplicem intelligentiam adversariorum. Omnibus tamen fabet Scotus, in probationibus citandus.

2. Concluſ.

31 Probatur itaquè prima pars conclusionis, scilicèt, quod lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio ad recipiendam visionem, ita, quod lumen sit proximum, & immediatum subiectum, in quo visio recipiatur, & primò sic: visio est actus vitalis, & natura sua immanens potentiæ vitali; sed lumen non est vitale: ergo lumen non est subiectum visionis. Confimatur: quia sequeretur, quod potentia non viuiva, nec vitalis, vti est lumen, esset formalitèr videns, & beata, quod est impossibile: ergo lumen non est subiectum visionis.

1 pars probatur 1.

32 Probatur secundò ex Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 11. §. Respondeo ego*: vnũ quodque receptivum immediatiùs recipit actum principalem, quam minus principalem; sed visio beata est forma principalior intellectus, quam lumen: ergo intellectus, & non lu-

Secundò.

men,

men, est subiectum visionis. Probatur maior exemplo materiæ primæ: materia prima in ratione subiecti immediatius recipit formam substantialem, quam accidentalem, quia illam non recipit mediante ista, tanquam proximo receptivo, sed tanquam dispositione: ergo similitèr.

33 *Probat. 3.* Probatur tertiò ex Scoto *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. §. *In prima quæst:* Si lumen esset proximum receptivum visionis, sequeretur, quod si lumen conservaretur extra subiectum, posset immediatè recipere visionem beatam, quod est falsum: ergo sequeretur, intellectum beatificari per accidens, quod etiam est falsum. Sequela antecedentis patet: nam quia quantitas est proximum receptivum coloris, si extra subiectum conservetur, vt in Eucharistia, potest immediatè recipere colorem. Sequela autem consequentiæ eodem claret exemplo: nam quia quantitas est immediatum receptivum coloris, & substantia materialis mediante quantitate, hæc dicitur per se colorata, substantia verò per accidens: ergo lumen non est proximum receptivum visionis.

34 *2. pars conclusionis probatur.* Secunda pars conclusionis, scilicèt, quod conflatum ex intellectu, & lumine non est adæquatum visionis receptivum; vndè, nec ad hoc requiritur lumen, vt dispositio, efficacitèr ex Scoto *citat. num. anteced.* probatur: vna forma nequit immediatè recipi in duobus subiectis realitèr distinctis; sed visio beata est vna forma: ergo nequit immediatè recipi in intellectu, & lumine, quæ sunt duo subiecta realitèr distincta. Maior patet ex illo axiomate: *Vnius actus per se vna est potentia per se.* Minor est notoria. Consequentia legitima.

35 *Arguit. 1. contra 2. p.* Arguitur primò contra hanc secundam partem conclusionis: actio immanens subiectatur in principio, à quo elicitur; sed visio est actio immanens, elicita ab intellectu simul, & lumine: ergo in vtroque recipitur. *Respond. 1.* Respondeo primò negando maiorem: nam actio immanens, vt est visio, causatur à Deo, vel specie illius, & in neutro subiectatur. Deindè: quia alioquin quilibet actus procedens à potentia, & habitu, subiectaretur in vtroque, quod est falsum.

36 Ratio autem, cur prædicta maior sit falsa, est: quia non semper valet paritas de principio activo, & subiecto receptivo; nam maiorem vnitatem exigit ordinariè forma in subiecto recipiente, quam in principio efficiente; quia vna simplex forma vnum tantum subiectum informare potest, nec potest connaturalitèr esse in pluribus subiectis realitèr distinctis; at vna forma simplex potest (& de facto accidit, vt in exemplis traditis *num. anteced.*) à pluribus efficientibus causari, quia sufficit vnitas ordinis. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *Ratio solutionis.*

37 *Respond. 2.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: actio immanens subiectatur in principio vitali, à quo elicitur, concedo maiorem; non vitali, nego maiorem; distinguo minorem: visio est actio immanens, elicita ab intellectu simul, & lumine, tanquam à duplici principio vitali, nego minorem; vitali vno, & alio non vitali, quod est lumen, concedo minorem, & nego consequentiam. Vt enim actio dicatur immanens, sufficit, quod recipiatur, seu maneat in principio, à quo vitalitèr producitur.

38 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: intellectus sine lumine est improportionatus ad recipiendam visionem: ergo conflatū ex intellectu, & lumine erit subiectum adæquatum receptivum visionis. *Respond. 1.* Respondeo primò negando antecedens, cuius falsitas satis, & latè constat ex à nobis dictis, & contra Ill. Godoy declaratis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 8. per totam.* *Secundò.* Secundò: quia sicut intellectus sine alio lumine est proportionatus ad recipiendum lumen; ita sine lumine est proportionatus ad recipiendam visionem, de quo per sequentia dicemus.

39 *3. pars conclusionis probatur.* Tertia conclusionis pars, nempè, quod lumen non requiritur, vt prævia dispositio in genere causæ materialis, vt visio recipiatur in intellectu, probatur primò: intellectus non indiget prævia dispositione supernaturali ad recipiendas alias formas supernaturales: ergo nec ad visionem. Antecedens patet: nam ad recipiendum lumen non indiget intellectus prævia supernaturali dispositione; alioquin esset processus in infinitum. Consequentia legitimè infertur. Sic arguit Scotus *quæst. 1. Prologi, litt. Z.*

40 *Respondet Caietanus.* Respondet Caietanus negando consequentiam, cuius disparitatem assignat in hoc: quod visio est termi-

nus respectu luminis,& lumen est via ad visionem, ideoque visio requirit dispositionem; non verò lumen. Explicat hoc in gratia habituali, quæ, quia est tèrminus,petit subiectum supernaturaliter dispositum; contritio verò,quæ est via ad gratiam,hoc non petit, sicque salvat processum in infinitum.

41 *Contra 1.* Contra primò: intellectus de facto indiget dispositione supernaturali ad recipiendam formam, quæ est via ad visionem secundum Caietanum: ergo etiam indigebit dispositione ad recipiendum lumen. Probatur antecedens: secundum ipsum intellectus indiget dispositione supernaturali ad recipiendam essentiam Divinam per modum speciei intelligibilis; sed essentia Divina per modum speciei intelligibilis est via ad visionem; quia est principium ordinatum ad producendam visionem; sicut esset species ipsa, si daretur: ergo intellectus de facto indiget dispositione supernaturali ad recipiendam formam, quæ est via ad visionem.

42 *Respondet idem.* Respondet Caietanus: essentiam Divinam per modum speciei in linea intelligibili esse formam vltimam, & perfectissimam earum, quæ ad constituendum intellectum in actu primo considerantur;ideòque non esse viam ad visionem. *Contra.* Contra: omnis forma constituens intellectum in actu primo ad videndum,quamtumvis perfectissima, est via ad visionem: ergo ruit replica. Probatur antecedens: omnis actus primus est via ad actum secundum; hac enim ratione lumen est via ad visionem;sed visio est actus secundus: ergo omnis forma constituens intellectum in actu primo ad videndum, quamtumvis perfectissima, est via ad visionem.

43 *Contra 2.* Contra secundò: licèt ad visionem, eo, quod sit terminus, præcedant aliæ formæ supernaturales, vt gratia,lumen,&c. præcedere non debent, vt dispositiones, ad ipsam recipiendam: ergo intellectus non indiget lumine, vt prævia dispositione, ad recipiendam visionem, & consequentèr ruit solutio Caietani. Probatur antecedens: visio in comparatione ad intellectum, vt receptivum illius, est naturalis,& non supernaturalis; sed ad formam naturalem quoad receptionem non requiritur in receptivo dispositio supernaturalis: ergo licèt ad visionem, eo quod sit terminus, præcedant aliæ formæ supernaturales, præcedere non debent, vt dispositiones, ad ipsam recipiendam. Maior constat ex dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 8. per totam* præsertim *num.* 40. estque expræsså Scoti *quæst. 1. Prologi, §. Ad quæstionem.* Minor,& consequentia tenent. Probatur secundò antecedens: ad recipiendam præsentiam Sacramentalem, & vnionem hypostaticam, non requiritur dispositio; sed etiam sunt termini,sicut visio est terminus:ergo idē quod antea.

44 *Contra 3.* Contra tertiò: ideò ad recipiendam visionem esset necessaria dispositio supernaturalis,quia visio est terminus supernaturalis: ergo ad recipiendam animam rationalem,quæ est terminus spiritualis, esset necessaria dispositio spiritualis; atqui hoc est falsum: ergo falsum est, quod ad recipiendam visionem sit necessaria supernaturalis dispositio, consequentèrque nulla est tradita solutio. *Contra 4.* Contra quartò:quia ex exemplo Caietani sequitur: nullatenus gratiam in baptismo parvulis infundi, cum supernaturali dispositione careant, quod est contra fidem; sed etiam in illis gratia est terminus creationis (seu,vt loquuntur Thomistæ) generationis: ergo vim non facit exemplū Caietani.

45 Vndè ad exemplum ipsius distinguo: gratia petit subiectum supernaturaliter dispositum ex natura ipsius subiecti, nego; ex ordinatione Divina,concedo; ex quo nihil contra nos, quia in lumine non constat de hac institutione, vel ordinatione; quarè nec ex Divina ordinatione requiritur lumen, vt dispositio ad visionem recipiendam.

46 *Probat. 2. tertia pars conclusionis.* Probatur secundò tertia pars conclusionis ex Scoto *in 3. dist. 14. quæst. 2. §. In prima quæstione, litt. B.* habitus non disponit potentiam ad recipiendum actum: ergo lumen non requiritur, vt prævia dispositio in genere causæ materialis, vt visio recipiatur in intellectu. Probatur antecedens: actus natus est priùs recipi, quam habitus: ergo habitus non disponit potentiam ad recipiendum actum. Antecedens in naturalibus evidens est. De supernaturalibus, de quibus negant contrarij, probatur: nam in Iustificatione impij extra Sacramentum

per

per actus fidei, spei, & charitatis, speciali auxilio elicitos, disponitur homo ad similes habitus recipiendos, tanquam per dispositiones saltim morales: ergo actus natus est priùs recipi, quam habitus.

47 *Probat. 3. conclus.* Probatur tertiò ex Scoto *citat.* Lumen non requiritur ad videndum obiectum ob imperfectionem potentiæ visivæ in recipienda visione, sed ob imperfectionem obiecti, quod sine luce non est actu visibile; sed obiectum beatificum, vtpotè, summa lux, est de se visibile actu: ergo ad ipsum videndum non requiritur lumen ob imperfectionem potentiæ in recipienda visione: ergo non indiget lumine, tanquam dispositione ad recipiendā Dei visionem: ergo lumen non requiritur, vt prævia dispositio in genere causæ materialis, vt visio in intellectu recipiatur.

48 *Exemplum* Hæc Scoti probatio hoc claret exemplo: si Deus produceret visionem lapidis in occulis corporeis tempore tenebrarum, hæc sequerentur vt certa. Primò: quod potentia visiva reciperet visionem: ergo lumen non requiritur, vt conditio ad recipiendam visionem. Secundò: quod talis potentia non videret lapidem ob defectum lucis, sine qua obiectum videri nequit: ergo lumen requiritur ob imperfectionem obiecti, quod sine luce non est actu visibile; sed obiectū beatificum, vtpotè, summa lux, est de se visibile actu: ergo ad ipsum videndum non requiritur lumen ob imperfectionem potentiæ in recipienda visione. Ex hoc.

49 *Confirmat.* Confirmatur ratio prædicta: si Deus produceret visionem in intellectu beati, quod esse possibile, tenet Scotus, & in casu quæstionis videtur admitti debere, visio reciperetur immediatè in intellectu, lumine non illustrato, & mediante visione videret Deum, vt claret exemplo posito: ergo lumen non est necessaria dispositio, vt visio recipiatur in intellectu.

50 *Probat. 4. conclus.* Probatur tandem conclusio: necessitas luminis per modum dispositionis, vel oritur ex parte intellectus præcisè, quia non est subiectum idoneum ad recipiendam visionem; vel ex parte visionis, quia sine lumine nequit diù perseverare in actu? Non primum, ob dicta *num.* 39. & 43. Non secundum. Tum: quia visio secundū Thomistas est immutabilis, nam mensuratur æternitate participata. Tum: quia visio non est deterioris conditionis, quam lumen: ergo si hoc conservatur in intellectu sine dispositione, etiā conservabitur visio.

51 *Arguit. 1.* Aguitur primo: visio est forma supernaturalis: ergo ad eam recipiendam requiritur aliqua dispositio eiusdem ordinis. Probatur consequentia: formæ naturales aliqua eiusdem ordinis indigent dispositione, vt in subiecto idoneo recipiantur: ergo similitèr de forma supernaturali, quæ est visio. *Confirmat.* Confirmatur: minor est proportio inter naturale, & supernaturale, se habentia per modum subiecti, & formæ, quam inter duo naturalia, eodem modo se habentia; sed formæ naturales aliqua eiusdem ordinis indigent dispositione, vt in subiecto idoneo recipiantur: ergo potiori iure forma supernaturalis aliquam dispositionem eiusdem ordinis requirit ad sui receptionem.

52 *Respond. 1.* Respondeo primò ad argumentum, negando consequentiam, ad cuius probationem nego antecedens; nam præviæ dispositiones præcedentes formam naturalem, non præcedunt in subiecto in genere causæ materialis, scilicèt, præparando materiam, vt rationes recipiendi, quasi materia foret sine his ineptum subiectum formę introducendæ, vt Thomistæ locuntur de lumine respectu visionis; nam materia de se est proportionata, & idonea ad recipiendam formam substantialem; sed præcedunt in genere causæ efficientis ex Scoto *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *litt. E.* ad expellendas dispositiones contrarias, vel vt instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam contrariam, vt patet de calore respectu ignis, & ex Scoto *in* 4 *dist.* 12. *quæst.* 3.

53 Vndè cum intellectus nullas habeat dispositiones contrarias, quibus impediatur ad visionem recipiendā, & vltrà ad eam ordinetur, & propensionem habeat, vel naturalem, vt diximus *tom.* 1. *in* 1 *Sent. disp.* 8. vel obedientialem, vt dicunt Thomistæ, nulla est necessitas talis dispositionis præcedentis, adhuc in genere efficientis, vel instrumenti, sicut est in formis naturalibus.

54 *Retorqueo argum.* Ex quo retorqueo argumentum: formæ naturales non requirunt ad

ſui receptionem prævias diſpoſitiones in genere cauſæ materialis, vt rationes recipiendi: ergo nec formæ ſupernaturales. Atqui hoc eſt, quod Thomiſtæ, contra quos loquimur, affirmant: ergo male ex prædicta paritate affirmant. Cum ergo hæc ſit principalis eorum ratio, videant Thomiſtæ, quam rationem contra nos habent.

55 *Ad cõfirm.* Ad confirmationem reſpondeo negando maiorem. Primò: quia ſicut ſubiectum naturale inclinatur ad formam naturalem, ita ad ſupernaturalem, vt diximus *tom.1.in 1.Sent.diſp.8.* Secundò: quia forma ſupernaturalis comparatione ad ſubiectum eſt naturalis ex dictis *num.43*: ergo eadem eſt proportio. Tertiò: quia ſicut ſubiectum naturale nudè ſumptum eſt receptivum formæ naturalis, ita & formæ ſupernaturalis, vt patet in intellectu reſpectu luminis. Quartò: quia inter naturale, & ſupernaturale non eſt phiſica oppoſitio, quæ multotiès datur inter duo naturalia: ruit ergo confirmatio. Imò ex his rationibus retorqueatur confirmatio.

56 *Reſpond.2. ad argum.* Reſpondeo ſecundò ad argumentum, negando antecedens, & diſtinguendo probationem: formæ naturales aliqua eiuſdem ordinis indigent diſpoſitione, vt in ſubiecto idoneo recipiantur connaturaliori modo, ommito antecedens; vt abſolutè recipiantur, nego antecedens, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Itaque, licèt ad recipiendam viſionem connaturaliori modo eſſet neceſſarium lumen, vt diſpoſitio, ſicut requiritur, vt principium elevans ex parte potentiæ ad producendam viſionem connaturaliori modo ex à nobis dictis *quæſt.* 11. §. 3. & 4. non tamen eſt abſolutè neceſſarium, vt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, vt conſtat ex noſtris probationibus; quarè nihil contra nos, quia de neceſsitate abſoluta loquimur in præſenti.

57 *Retorq. 1. argum.* Ex hac ſolutione retorqueo primò argumentum: Lumen gloriæ, præſentia Sacramentalis, & vnio hypoſtatica, ſunt formæ ſupernaturales; ſed ad ſui receptionem nulla indigent diſpoſitione eiuſdem ordinis: ergo non obeſt ſupernaturalitas viſionis, vt ad ſui receptionem nulla eiuſdem ordinis indigeat diſpoſitione. *Secundò.* Secundò: forma ſupernaturalis per te indiget diſpoſitione eiuſdem ordinis ad ſui receptionem: ergo forma ſpiritualis, vt eſt anima, indiget diſpoſitione ſpirituali, quod eſt falſum. Tertiò: forma ſupernaturalis indiget diſpoſitione eiuſdem ordinis: ergo nequit infundi gratia parvulis in Baptiſmo, contra fidem: ruit ergo argumentum, quod eſt præcipuum adverſariorum fundamentum. *Tertiò.*

58 *Replicabis contra 1. reſponſionem.* Replicabis contra primam reſponſionem: Inter formas ſubſtantiales, & accidentales, talis interdum eſt ordo, vt vna aliam ſupponat, vt eius diſpoſitionem in genere cauſæ materialis: ergo ruit reſponſio. Probatur antecedens: quia forma corporeitatis hoc modo præcedit animam ex Scoto *in 4.diſt.1.quæſt.5.litt.E.* & ſimilitèr quantitas præcedit qualitatem: ergo inter formas ſubſtantiales, & accidentales talis interdum eſt ordo, vt vna aliam ſupponat, vt eius diſpoſitionẽ in genere cauſæ materialis. *Reſpondeo.* Reſpondeo concedo primum antecedens, negoque conſequentiam; quia ex eo, quod aliquando hoc in naturalibus eveniat, non licet inferre, hoc eſſe in omnibus neceſſarium. Imò, licèt hoc eſſet verum de omnibus naturalibus; falſum tamen eſſet de formis ſupernaturalibus ob rationem datam *num.* 52. & ob has retorſiones.

59 *Retorqueo replicam.* Retorqueo itaquè primò: omnis anima rationalis indiget forma corporeitatis, vt diſpoſitione ad eius infuſionem, & ſimilitèr qualitas indiget quantitate: ergo omnis forma naturalis indiget diſpoſitione ad eius receptionem. Totum eſt contrariorum. *Primò.* Infero contra ipſos: ergo omnis forma ſupernaturalis indiget diſpoſitione ad ſui receptionem contra ipſos ex *num.*40. Secundò: anima infunditur ſine diſpoſitione eiuſdem ordinis, ſcilicèt, ſpirituali: ergo & forma ſupernaturalis. *Secundò.* Tertiò: quantitas, quæ eſt diſpoſitio ad qualitatem, eſt immediatum receptivum qualitatis: ergo ſi lumen eſt diſpoſitio ad recipiendam viſionem, erit immediatum receptivũ illius, contra dicta *num.*31. 32. & 33. *Tertiò.*

60 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: lumen præſtat intellectui vim ſupernaturalem ad producendam viſionem: ergo & ad recipiendam. Confirmatur: intellectus activè, & paſsivè comparatur ad viſionem; ſed ſub vtraque ratione eſt inferioris ordinis: ergo ad vtrumque

in-

Respondeo. indiget lumine. Respondeo ad argumentum negando consequentiam. Primò: quia ad producendum requiritur influxus; non verò ad recipiendum. Secundò: quia visio comparatione ad subiectum est naturalis ex totiès dictis, ex quo negatur minor confirmationis. Tertiò: quia argumentum probat: tantam virtutem requiri ad recipere, quantam ad producere, quod omnibus falsum apparet, ex quo argumentum retorqueatur.

61 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: visio Dei est actus vitalis: ergo petit necessariò potentiam actu viventem; sed etiam est supernaturalis: ergo petit necessariò potentiam actu supernaturalem: ergo indiget lumine ad recipiendam visionem. *Respondeo:* Respondeo: argumentum tantum probare: requiri lumen ad producendam visionem; non verò ad illam recipiendam, ob rationem totiès datam, ex quo nego vltimam consequentiam.

62 *Arguit. 4.* Arguitur quartò: intelligere consistit in producere, & recipere intellectionem; sed Concilium diffinit, lumen requiri ad videndum Deum: ergo illud requirit ad producere, & recipere visionem. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem: nam intelligere formaliter consistit in tendentia ad obiectum ex dictis 3. *de Anima*, quod facere potest intellectus sine alio lumine, quam ipsa visio, à Deo in ipso intellectu producta; ab hac enim elevaretur intellectus ad videndum Deum, per hocque salvatur Concilium ex dictis *quæst. præced. §. 5.*

§. IV.

Lumen Gloriæ non requiri, vt dispositio, ad vnionem Divinæ essentiæ, statuitur pro conclusione tertia.

63 *Dupliciter potest Deus cum intellectu creato vniri.* DVpliciter potest Deus vniri cum intellectu creato, vnione, scilicet, formali, & obiectiva. Primo modo vnitur essentia Divina, vel per se ipsam gerendo vicem speciei intelligibilis; vel mediante specie. Secundo modo vnitur, vel movendo intellectum ad producendam visionem, vel ipsam terminando, quibus modis resolvenda est difficultas, vt contra omnes Authores, pro tertia sententia relatos, procedamus.

64 Tertia conclusio: *Lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio, ad vnionem, sivè formalem, sivè obiectivam essentiæ Divinæ cum intellectu creato.* Conclusio pro prima parte, scilicet, de vnione formali, primo modo sumpta, nempè, de vnione essentiæ Divinæ per modum speciei intelligibilis, est Scoti *in 3. dist. 13. & 14.* Et *in 4. dist. 49. quæst. 11.* quem secuntur Smising *disput. 6. num. 89.* Mastrius *disput. 6. numer. 126.* cū pluribus, quos citat ibi. Hanc conclusionem probant Mastrius, & Smising ex eo, quod gratis fingitur à Thomistis, essentiam Divinam habere rationem speciei intelligibilis, vnionemque ipsius cum intellectu esse formalem; sed ab hoc præscindendo. *Conclusio.*

65 *Probatur concluſ. pro 1. part.* Probatur conclusio: intellectus non indiget prævia dispositione supernaturali ad recipiendas formas supernaturales: ergo neque ad vnionem essentiæ Divinæ per modum speciei intelligibilis. Consequentia optimè infertur. Antecedens probatum manet *§. antecedent. num. 39.* Et quidquid contra ipsum facere potest, ibi est impugnatum, & per sequentia solutum.

66 *Arguit. 1.* Arguitur primò: quod elevatur ad formam, quæ est suprà naturam, debet elevari per dispositionem suprà naturam; sed intellectus elevatur ad vnionem cum essentia Divina, quæ vnio est suprà naturam: ergo debet elevari per dispositionem suprà naturam: ergo ad vnionem essentiæ Divinæ cum intellectu creato requiritur supernaturalis dispositio, & consequentèr lumen gloriæ est talis dispositio. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem. Primò: quia alioquin daretur processus in infinitum, vt arguebamus *§. anteced. num. 39.* Secundò: quia inter formas accidentales supernaturales non est talis ordo, vt vna sit dispositio ad receptionem alterius. Denique retorqueo argumentum, vt in *num. 57.*

67 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: ex intellectu, & essentia Divina fit vnum in esse intelligibili, ita, vt ipse intellectus fiat quodammodo ipsum intelligibile; sed ad vnionem tan excelsam requiritur dispositio: ergo lumen gloriæ requiritur, vt dispositio ad vnionem Divinæ essentiæ. *Respond. 1.* Respondeo primò negando minorem, ob rationem datam argumento præcedenti; alioquin ad vnionem luminis cum intellectu esset necessaria dispositio, quod ipsi negāt; & ad vnionem visionis cum eodem

esset

esset etiam necessaria, cuius oppositum claret ex §. *anteced. num.* 39.

68 *Respond. 2.* Respondeo secundò retorquendo argumentum: secundum hos Thomistas ad formam vltimam, quæ est terminus, vt est visio, requiritur dispositio; sed essentia Divina per modum speciei intelligibilis non est forma vltima, siquidem ordinatur ad visionem: ergo lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio ad vnionem Divinæ essentiæ per modum speciei intelligibilis. Hæc retorsio est optima nostræ conclusionis probatio ad hominem contra aduersarios. Quod verò ad ipsam respondent, impugnatum manet §. *anteced. à num.* 41.

69 Loquendo autem de vnione formali, secundo modo capta, scilicèt, de vnione speciei impressæ Divinæ essentiæ, dato, quod talis species daretur, probatur, quod lumen gloriæ non requiratur, vt dispositio, ad recipiendam talem speciem: species impressa Dei, vt recipiatur in intellectu, non requirit peculiarem dispositionem, nec vt species est; nec vt supernaturalis est: ergo lumen non requiritur, vt dispositio ad recipiendam speciem impressam Divinæ essentiæ, dato, quod detur talis species. Antecedens pro prima parte patet; quia species intelligibiles vniuntur intellectui absque dispositione. Pro secunda claret ex probatione conclusionis præcedentis *num.* 65.

70 *Probatur conclus. pro 2. part.* Conclusio pro secunda parte, scilicèt, de vnione obiectiva, primo modo accepta, nempè, quod lumen non requiratur, vt dispositio, ad vnionem obiectivam essentiæ Divinæ in ratione obiecti motivi cum intellectu creato, probatur: inter essentiam Divinã, vt obiectum motivum, & beatum intellectum solum est subordinatio duarum causarum concurrentium ad eundem effectum, scilicèt, ad visionem; sed vt causa subordinata concurrat cum subordinante, non indiget speciali dispositione præter virtutem in suo ordine requisitam ad operandum, vt patet in subordinatione causæ secundæ ad primam: ergo lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio, ad vnionem obiectivam essentiæ Divinæ in ratione obiecti motivi cum intellectu creato.

71 *Arguit. 1.* Arguitur primò: essentia Divina, vt obiectum motivum, est propria, & naturalis forma intellectus Divini: ergo vt fiat forma intellectus creati, debet intellectus creatus habere esse Divinum per lumen gloriæ: ergo lumen gloriæ requiritur, vt dispositio, ad vnionem obiectivam essentiæ Divinæ in ratione obiecti motivi cum intellectu creato. Probatur prima cõsequentia: repugnat, quod forma propria, & naturalis alicuius fiat forma alterius, quin alter participet similitudinem illius, & eundem ordinem; sed per te essentia Divina, vt obiectum motivum, est propria, & naturalis forma intellectus Divini: ergo vt fiat forma intellectus creati, debet intellectus creatus habere esse Divinum per lumen gloriæ.

72 *Respondeo.* Respondeo negando primam consequentiam, & ad probationem nego maiorem. Primò: quia Sanctitas est propria, & naturalis forma Dei, & tamen constituit hominem in esse Divino per participationem immediatè sine dispositione, quæ priùs in esse Divino constituat. Secundò: personalitas Verbi est personalitas propria, & naturalis naturæ Divinæ; & tamen fit personalitas naturæ humanæ sine dispositione, quæ priùs in esse Divino humanitatem constituat. Similitèr ergo.

73 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: essentia Divina, vt obiectum motivum, est comprincipium cum intellectu ad visionem: ergo supponit intellectum in esse perfecto; sed hoc habet per lumen gloriæ: ergo lumen gloriæ requiritur, vt dispositio, ad vnionem obiectivam Divinæ essentiæ in ratione obiecti motivi cum intellectu creato. *Respondeo.* Respondeo: hoc argumentum solum probare, lumen requiri ex parte intellectus, vt principium efficiens; non verò, vt dispositionem, vt claret ex ipso. Et hoc tantum probat Felix *cap. 3. diffic. 5. num.* 4. oppositum tenens nostræ conclusioni.

74 Loquendo verò de vnione obiectiva, secundò modo capta, scilicèt, de vnione essentiæ Divinæ in ratione obiecti terminativi, probatur, quod lumen non requiritur, vt dispositio, ad vnionem obiectivam essentiæ Divinæ in ratione talis obiecti: non requiritur lumen ad recipiendam visionem ex §. *anteced.* sed recepta visione in intellectu, essentia Divina terminaret visionem: ergo lumen non re-

qui-

quiritur, vt dispositio ad vnionem essentiæ Divinæ in ratione obiecti terminativi. Dices: potentia debet esse proportionata cum obiecto terminativo; sed non est proportionata sine lumine: ergo lumen requiritur, vt dispositio, ad vnionem essentiæ Divinæ in ratione obiecti terminativi. Contra: non requiritur maior proportio cum obiecto terminativo, quam cum visione; sed ad hanc recipiendam est intellectus sine lumine proportionatus: ergo etiam sine lumine est proportionatus ad vnionem essentiæ Divinæ in ratione obiecti terminativi. Ex quo constat, falsam esse minorem.

Dices.

Contra.

§. V.

Singulare placitum Vulpij examinatur, & quarta conclusio statuitur.

75 DIxi *num.* 5. quod Vulpes *disp.* 23. *artic.* 7. *num.* 15. tenet de mente Scoti: Lumen requiri de facto propter duo. Primò: vt præsentia Dei obiectiva fiat intellectui creato debita, & in eius potestate constituta, non in genere physico; sic enim haberet rationem speciei impressæ; quod Vulpes non concedit; sed in genere moris, & veluti ex pacto, quod fecit Deus, vt statim, ac intellectus fuerit lumine perfusus, se illi manifestabit. Secundò requiri ad visionem intensiorem, & perfectiorem producendam. Cæterũ hoc est contra Scotum, & incidit in opinionem Thomistarum asserentium: Lumen requiri, vt dispositionem, ad vnionem essentiæ Divinæ, de quo §. *antecedent.* Sit ergo.

76 *Concluſ.* 4. Quarta conclusio: *Lumen non requiritur, vt præsentia Dei obiectiva sit in potestate videntis, nec requiritur duntaxat ad producendam visionem intensiorem, & perfectiorem.* Prima pars conclusionis probatur ex Scoto locis citatis *num.* 7. in quibus docet Doctor: lumen non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ: ergo iuxta Scotum lumen non requiritur, vt præsentia Dei obiectiva sit in potestate videntis. Probatur secundò ex eodem *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. *in fine*, vbi munus faciendi Deum obiectivè præsentem abstractivè tribuit speciei impressæ, quæ se tenet ex parte obiecti; & intuitivè tribuit *quodlib.* 14. *artic.* 2. solæ voluntati Dei, qui si vult videtur, & si non vult, non videtur. Imò subdit Scotus: nec quidquam creatum, etiã si sit activum, esse posse causam huius præsentiæ: ergo iuxta Scotum lumen non requiritur, vt præsentia Dei obiectiva sit in potestate videntis.

1. pars probatur ex Scoto primò.

Secundò.

Respondet Vulpes *artic.* 6. *num.* 12. Scotum negare, lumen requiri ex parte obiecti ob aliquem defectum obiecti; non verò ob obiecti super potentiam excessum, quatenus non est naturaliter motivum intellectus creati. Vel negare lumen ex parte obiecti in genere causæ efficientis; alioquin esset species; non verò per modum instrumenti supernaturalis, & in genere moris modo explicato *numer.* 75.

77 *Respondet Vulpes.*

Contra: nam Scotus locis pro nobis citatus absolutè negat: Lumen se tenere ex parte obiecti, & absolutè affirmat: se tenere ex parte potentiæ; sed non est locus, vbi Scotus ponat hanc necessitatem luminis ex parte obiecti, se tenentis per modum instrumenti moralis: ergo absquè vllo prorsus fundamento fingitur prædicta necessitas.

78 *Contra.*

Probatur tertiò conclusio: Deus voluntariè se exhibet potentiæ videnti, & se constituit sub nostra facultate: ergo id non facit lumen nequè physicè, nequè per modum instrumenti moralis. Probatur antecedens: intellectus lumine perfusus non habet in sua facultate, vt attingat obiectum, scilicèt, Deum, nisi Deus velit: ergo Deus voluntariè se exhibet potentiæ videnti, & se constituit sub nostra facultate.

79 *Probat. 3. concluſ.*

Arguitur primò: ideò intellectus creatus est impotens ad videndum Deum naturaliter, quia nequit eum obiectivè præsentem naturaliter habere; sed per lumen gloriæ auferetur prædicta impotentia, eique affertur obiectiva Dei præsentia, non effectivè, quia sic per ipsum Deum affertur: ergo per modum instrumenti supernaturalis. Respondeo negando minorem quoad secundam partem: nam impotentiam prædictam aufferri per lumen, est potentiam remotam intellectus fieri proximam, & compleri in ratione potentiæ, quod vtiquè facit lumen; cæterum hoc non est afferre præsentiam obiectivam Dei, quia hoc

80 *Arguit. 1.*

Respondeo.

so-

ſolum poteſt tribuere obiectum, vel quod ſe habeat ex parte obiecti.

81 *Dices.* Dices: impotentia intellectus ad videndum Deum provenit ex eo, quod non eſt mobilis ab eſſentia motione naturali: ergo requiritur lumen, vt moveat; ſed movendo fit præſens: ergo lumen requiritur, vt præſentia Dei obiectiva ſit in poteſtate videntis. *Reſpond.* Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Primò: ob dicta *num.* 70. Secundò: quia eſſentia Divina movet medio actu voluntatis; quarè in eius tantum poteſtate eſt, ſe facere præſentē.

82 *Replicabis.* Replicabis: intellectus videt Deum poſito lumine, & ſine lumine non videt: ergo munus luminis eſt ponere obiectum ſub intellectus poteſtate. *Reſpond.* Reſpondeo negando conſequentiā; quia ideò intellectus videt Deum poſito lumine, & ſine lumine non videt, quia poſito lumine, eſt intellectus elevatus ad ſtatum ſupernaturalem, & conſequentèr actus primus eſt proportionatus actui ſecundo; è contra verò ſine lumine; non autem quia lumen præſtet obiectivam Dei præſentiam.

83 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundò: tunc Deus vult videri, quando præbet lumen: ergo lumen conſtituit obiectum ſub poteſtate potentiæ. *Reſpond.* Reſpondeo diſtinguendo primò antecedens: tunc Deus vult videri, quando præbet lumen, ita, quod lumen ſit ſignum, quod intellectus eſt in potentia proxima ad videndum Deum, & Deus eſt paratus videri, concedo antecedens; ita quod lumen conſtituat Deū viſibilem, vel afferat eius præſentiam obiectivam, nego antecedens, & conſequentiam. Diſtinguo ſecundò: ita, quod lumen ſit effectus Dei volentis ſe liberè oſtendere, concedo antecedens; ita, quod præſentia Dei obiectiva ſit effectus luminis adhuc in genere moris, nego antecedens, & conſequentiam.

84 Itaquè hæc à priori eſt falſa: *Deus vult videri, quia præbet lumen*; nam lumen nullo modo eſt cauſa præſentiæ obiectivæ Dei. Cœterum hæc eſt vera: *Deus præbet lumen, quia vult videri*; nam præſentia Dei obiectiva eſt cauſa collationis luminis, vt ratione huius elevetur potentia ad ſtatum ſupernaturalem. Et ratio totius eſt: quia lumen eſt id, cum quo intellectus videt; non autem quo obiectum ſe præbet videnti: ergo non ideò Deus vult videri, quia præbet lumen; ſed potiùs è contra: ideò præbet lumen, quia vult videri.

85 *2. pars concluſ. prob.* Secunda verò pars concluſionis, nempè, quod lumen non requiritur ad producendam viſionem intenſiorem, & perfectiorem dumtaxat. Probatur ex Scoto *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 10. vbi habitum ſupernaturalem in hoc diſtinguit à naturali, quod hic ſolum datur ad faciliùs, & intenſiùs agendū; ille verò ad ſimplicitèr agendum, ideſt, ſupernaturalitèr: ergo lumen in genere phiſico non requiritur ad producendam viſionem intenſiorem, & perfectiorem dumtaxat.

86 *Confirmat.* Confirmatur: lumen de facto, non ſolum attingit viſionem intenſivè, ſed etiam quoad ſubſtantiam, vtpotè, ſupernaturalis: ergo lumen non requiritur ad producendam viſionē intenſiorem, & perfectiorem dumtaxat. *Vrgetur.* Vrgetur: ex opinione Vulpij ſequitur: intellectum de facto ita poſſe ſine lumine producere viſionem beatam, ſicut poteſt ſine habitu naturali producere intellectionem naturalem; ſed hoc apud omnes eſt falſum: ergo falſa eſt opinio Vulpij. Sequela patet: quia idem eſſet munus luminis, ac munus habitus naturalis in genere phiſico. Minor, & conſequentia tenent.

87 *Arguitur.* Arguitur contra concluſionem: habitus deſeruit potentiæ ad faciliùs, & perfectiùs operandum; ſed lumen eſt habitus: ergo lumen requiritur ad viſionem intenſiorem, & perfectiorem producendam. *Reſpond.* Reſpondeo concedendo totum; ſed vltrà hoc, quod eſt omnibus habitibus commune, lumen, vtpotè, habitus ſupernaturalis, deſeruit potentiæ ad ſimplicitèr operandum, ideſt, ſupernaturalitèr, quatenus eſt principium, quo ſimplicitèr poſſumus in actionem ſupernaturalem, quod eſt expreſſa doctrina Scoti *citat. num.* 85. & munus illius proprium.

EX TRACTATU DE SCIENTIA DEI.

QUÆSTIO TERTIADECIMA.

Quæ formalitates ad intellectum ſpectantes ſint in Deo conſtituendæ?

HÆc difficultas eſt, quam *tom. 1. in 1. Sent. diſput. 24. numer. 3.* pertractare promiſi, eo, quod Ill. Godoy rationibus Scoti victus, Scotiſtarum ſententiam eſt amplexus, communem Thomiſtarum derelinquens, vt ibi diximus *num. 1.* quod manifeſtè appa ret per ea, quæ loco *citat. num. 2. & 3.* declaravimus. Et pro promiſsi adimpletione. Sit.

§. I.

Status difficultatis apperitur, & certa ſupponuntur.

Num. 1

Status difficultatis declaratur.

CVm omninò extra controverſiam ſit, dari in Deo actualem intellectionem, tria ſunt, quæ in præſenti ad examen vocamus. Primum eſt: an in ordine ad intellectionem actualem detur in Deo intellectus per modum actus primi? Secundum eſt: an in ordine ad prædictam intellectionem ſalvetur in Deo formalitas ſpeciei? Tertium deniquè eſt: an ratio habitus ſalvetur in Divino intellectu? Quo declarato, & ſtatu difficultatis apperto, pro illorum reſolutione.

2 *Intellectio Dei alia eſt notionalis, & eſſentialis alia.*

Suppono primò: intellectionem Dei aliam eſſe notionalem, & aliam eſſentialem. Prima eſt propria ſolius Patris, Filium per intellectum generantis, ideòque actio illa generativa vocatur intellectio, non ſimpliciter, ſed notionalis. Secunda eſt communis omnibus, & ſingulis perſonis Trinitatis, rigoroſsèque dicitur intellectio. In hac quæſtione non loquimur de notionali, quia vt diximus *tom. 3. in 1. Sent. diſput. 72. §. 1.* datur in intellectione notionali Patris intellectus per modum potentiæ, & actus primi, potentis generare filium; ſolum ergo de intellectione eſſentiali eſt quæſtio.

3 *Potentia alia eſt merè logica, alia phiſica*

Suppono ſecundò: duplicem eſſe potentiam. Alia merè logica, & alia phiſica. Potentia merè logica eſt non repugnantia aliquorum prædicatorũ inter ſe, vel capacitas illa, ad quam de actu valet conſequentia. Hæc potentia ſine controverſia ab omnibus admittitur in Deo, quia ſi Deus exiſtit, prædicata eius non repugnant, etſi intelligit, non repugnat, quod intelligat. Potentia phiſica dicitur illa, quę realitèr exercetur per ſuum actum, ita, vt detur tranſitus à potentia ad actum, & ab actu primo ad ſecundum, ſicque potentia viſiva in Petro per viſionem realitèr exercetur.

4 *Potentia phiſica dividitur in activã, & paſsivam.*

Hæc phiſica potentia dividitur in activam, & paſsivam. Activa eſt, quæ ſe habet per modum originis, & principij ſui actus. Paſsiva, quæ ſe habet per modum receptivi illius. Potentia phiſica activa duplicitèr poteſt ſe habere per modum principij. Primò: per modum principij realitèr phiſicè influentis in actum, quæ dicitur potentia productiva. Secundò: per modum principij influentis formalitèr, aut virtualitèr tantum in actum, quæ operativa vocatur. Primò modo potentia realitèr diſtinguitur ab actu. Secundò verò modo formalitèr, aut virtualitèr dumtaxat. Potentia etiam paſsiva poteſt duplicitèr conſiderari cum ſuo actu; primò ſic, quod cum illo identificetur, & ſecundò ſic, quod realitèr ab ipſo ſeparetur.

5 *In intellec-*

Suppono tertiò: extra controverſiam eſſe apud Theologos, in in-

tione Dei non datur potētia activa influēs realitèr in actum; nec passiva informativa actus.

6

Difficultas quomodo à Theologis exagitatur.

tellectione essentiali Dei non dari potentiam activam realitèr physicè influentem in actum; nec potentiam passivam, receptivam, & informativam actus realitèr distincti, quia hoc, vt omnibus apparet, argueret maximam imperfectionem compositionis accidentalis physicæ inter intellectum, & intellectionem Dei, quod ipsi repugnat.

Suppono quartò: quod prima ex tribus prædictis difficultatibus, nempè, an in ordine ad actualem intellectionem detur in Deo intellectus per modum actus primi? In duplici sensu à Theologis exagitatur. Primo: an detur obiectiva præcisio inter intellectum, & intellectionem? Et iuxta hunc sensum omnes, qui negant præcisiones obiectivas, & affirmant, intellectionem actualem esse formalissimum constitutivum Dei, solumque in perfectionibus Divinis cognoscunt distinctionem rationis ratiocinantis, & sine fundamento in re, vt sunt Nominales, Capreolus, Ferrara, & alij, negant in Deo istam rationem potentiæ, & actus primi. Qui verò concedunt præcisiones obiectivas distinctas, vt aliqui Thomistæ, & omnes Scotistæ, statuunt prædictam rationem potentiæ, & actus primi, eo modo, quo affirmant prædictas perfectiones distingui.

7

1. *Sentent.*

Vndè iuxta hanc sensum difficultatis triplex opposita versatur sententia. Prima negat intellectui Divino omnem rationem potentiæ, & actus primi, & hæc est opinio illorum, qui in Divinis perfectionibus negant distinctionem rationis cum fundamento in re. Secunda concedit in Deo potentiam intellectivam virtualitèr, seu ratione ratiocinata ab actuali intellectione distincta, & consequentèr actum primum virtualem, virtualeq; principium intellectionis Divinæ. Tertia denique, & omnibus opposita, tenet: dari in Deo potentiam intellectivam formalitèr distinctam ab actuali intellectione, & consequentèr actum primum formalem, formaleq; principium intellectionis Divinæ. Authores secundæ sententiæ refert Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 24. num. 7. & 38.* Sententia tertia est Scoti, quam cum ipso tenebimus.

Secunda.

Tertia.

Scotus.

8

2. *sensus cōtroversiæ.*

Secundus sensus controversiæ est: an conceptus veræ potentiæ realis physicæ proximæ intellectivæ detur in intellectu Divino independentèr ab hoc, quod distinguatur formaliter, vel virtualitèr à conceptu actus, vel ab illo non distinguatur? Et iuxta hunc sensum duplex est sententia. Prima negativa. Sic Bazquez *citat.* ab Ill. Godoy *num. 103.* & Pater Augustinus de Herrera *quæst. 2 de Scientia, sect. 2.* Affirmativa est secunda, quam tenet Ill. Godoy cum alijs, & omnes Scotistæ tuentur. Sit ergo.

1. *Sentent. Bazquez. Herrera.*

2. *Sentent. Ill. Godoy. Scotistæ.*

§. II.

Prima difficultas in primo sensu resolvitur.

9

1. *Concluſ.*

PRima conclusio: *Datur in Deo facultas intellectiva proximè formaliter à natura Dei, & ab actuali intellectione distincta.* Hæc conclusio est contra omnes extra Scholam Scoti. Est tamen Subtilis Magistri, efficacitèr ab ipso stabilita, à nobisque suis rationibus probata *tom. 1. in 1. Sent. disput. 5.* vbi nullam distinctionem à contrarijs assignatam sufficere, & formalem Scoticam esse necessariam, diximus; omniaque argumenta, tàm Ill. Godoy, quàm aliorum, sunt soluta. Videantur ibi, quia hic repetere non licet.

10

Arguitur specialitèr.

Arguitur tamen specialitèr contra conclusionem: omnes perfectiones humanas debemus tribuere Deo, sublatis omnibus imperfectionibus; atqui rationes actus primi, & secundi sunt perfectiones humanæ: ergo debent attribui Deo, sublatis imperfectionibus; sed ipsa distinctio est imperfectio: ergo perfectiones actus primi, & secundi debent attribui Deo, sublata distinctione: ergo non datur in Deo facultas intellectiva formalitèr proximè à natura Dei, & ab actuali intellectione distincta. Respondeo: concesso sylogismo, distinguendo sussumptam: distinctio realis est imperfectio, omitto pro nunc minorē; distinctio formalis, nego minorem, & consequentiam.

Respondeo.

Contra.

Contra: distinctio realis est imperfectio realis: ergo distinctio formalis erit imperfectio formalis. Probatur consequentia: ideò distinctio actus primi, & secundi in humanis arguit realem imperfectionem, quia ex vi huius distinctionis actus primus remanet realitèr incompletus; atqui ex vi distinctionis formalis actus pri-

mus

mus remanet formaliter incompletus: ergo distinctio formalis erit imperfectio formalis. Probatur minor: completur formalitate actus secundi: ergo ex vi distinctionis formalis actus primus remanet formaliter incompletus. *Respond. 1.* Respondeo primò negãdo primum antecedens; quia distinctio realis, quia distinctio, non dicit imperfectionem; alioquin in Divinis personis, quæ realiter distinguntur, esset imperfectio, quod nequit Catholicè dici. *Secundò.* Respondeo secundo distinguendo dictum antecedens: distinctio est imperfectio realis, nego antecedens; distinctio realis, quæ est vnio extremorum componibilium, seu se habentium per modum partiũ, concedo antecedens, & distinguo similiter consequens. Solutio patet ex à nobis dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 5. §. 24.* ex quibus plures retorsiones fieri valent.

11

2. Concluſ. Secunda conclusio: *Datur in Deo principium proximum formale intellectionis essentialis.* Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, & probatur: intellectio essentialis nec est de Metaphisica Deitatis constitutione, nec est prædicatum quidditativum Dei: ergo intellectio essentialis habet in Deo principium proximum formale. Consequentia ex vi antecedentis est manifesta. Antecedens autem pro prima parte probatum manet *quæst. 4. §. 5.* contra Gonet, & alios. Secunda autem sufficienter liquet ex dictis *quæst. 2. & 3.*

§. III.

Prima difficultas in secundo sensu resolvitur.

12

3. Concluſ. TErtia conclusio: *Datur in Deo potentia realis realiter proximè intellectiva.* Sic Scotus *in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Ostenso de proprietatibus*, & omnes Scotistæ cum eo; sic etiam Ill. Godoy relatus *num. 103.* cum ab ipso citatis, pro eaque adducit D. Thomam. *Probat. 1.* Probatur primò conclusio: Deus realiter intelligit, non solum logicè, & methasicè, verum etiam phisicè: ergo realiter phisicè potest intelligere: ergo datur in Deo potentia realis realiter intellectiva. Probatur consequentia prima: ab actu ad potentiã est bona consequentia, v.g. currit: ergo potest currere: ergo si Deus realiter phisicè intelligit, realiter phisicè potest intelligere.

13

Respondent contrarij. Respondent contrarij, quod hæc ratio solum probat potentiam logicam; quia ab actu adhuc phisico reali solum valet consequentia ad potentiam logicam, nisi actus sit phisicè productus, vel receptus, quod ostendunt, instando rationem in existentia phisica Dei hoc modo: ex eo, quod Deus actu realiter phisicè existat, non infertur, quod Deus phisicè realiter possit existere, sed tantum potentia logica, seu non repugnantia ad existendum: ergo similiter.

14

Contra 1. Contra primò: cui convenit cum proprietate phisicè operari, convenit cũ proprietate potentia phisicè operativa; sed Deo convenit cum proprietate phisicè operari intellectualiter: ergo illi convenit cum proprietate potentia intellectualis phisica. Probatur maior primò: cui cum proprietate convenit operari phisicè, cũ proprietate convenit ei natura, seu essentia phisica, quin ei sufficiat logica tantum, vel methaphisica natura: ergo. Secundò: cui cum proprietate convenit agere, creare, producere, & movere phisicè, cum proprietate cõvenit potentia phisica creativa, activa, & motiva: ergo. Tertiò: ex eo, quod Deus sit cum proprietate movens, & agens phisicè, infertur in illo vera potentia phisica, activa, & motiva: ergo cui convenit cum proprietate phisicè operari, convenit cum proprietate potẽtia phisica operativa.

15

Nequè exemplum de existentia contra hoc aliquid probat: nam existentia Dei non sic est actus phisicus eius, quod recipiat influxum dependentiæ ab aliquo causante, vel potente causare talem existentiam; quarè solum ab actu existentiæ Dei inferri potest potentia logica, seu non repugnantia existendi. Ast actualis intellectio essentialis respicit operativũ influxum, cum phisicè verè sit operatio; quarè arguere debet non solum potentiam logicam, verum & potentiam phisicam operantem. Ex quo.

16

Contra 2. Contra secundò, retorquendo paritatem: quia existentiæ Dei repugnat potentia activa productiva eius, ex actuali phisica existentia Dei solum infertur potentia logica ipsius existentiæ; non verò potentia phisica illius, sicut è contra: quia existentiæ rei

creatæ non repugnat potentia phisica productiva creatoris, ex actuali existentia cuiuscumque rei creatæ non solum deducitur potentia logica existentiæ creatæ, sed etiam potentia phisica productiva eius in creatore; atqui operationi intellectivæ Dei non repugnat potentia intellectiva operativa, & natura intellectiva phisica: ergo ex actuali operatione in linea intellectiva deducitur, non solum potentia logica operationis, verum potentia phisica operativa, sicut natura phisica operativa.

17 *Contra 3.* Contra tertiò: ex eo, quod Deus actu realitèr phisicè existit, infertur, Deum posse realitèr phisicè existere: ergo solutio, & instantia ruunt. Probatur antecedens: existentia supponit in Deo verum conceptum principij, ipsam radicantis, ex dictis *quæst.* 2. vbi diximus, existentiam non esse prædicatum quidditativum Dei, sed modum intrinsecum illius: ergo ex eo, quod Deus actu realitèr phisicè existit, infertur, Deum posse realitèr phisicè existere.

18 *Probat. 2. conclus.* Probatur secundò conclusio: quamvis intellectus, & intellectio Dei solum per rationem distinguantur, potest verè, & realitèr in illis reperiri conceptus potentiæ intellectivæ, & conceptus actus intellectionis: ergo datur in Deo potentia realis realitèr proximè intellectiva. Consequentia infertur. Antecedens probatur triplici paritate ad hominem contra adversarios. Prima: quamvis natura, & persona non distinguantur in Deo, nisi ratione ratiocinantis, reperitur in Deo verè, & realitèr conceptus naturæ, & personæ: ergo quamvis intellectus, & intellectio Dei solum per rationem distinguantur, potest verè, & realiter in illi reperiri conceptus potentiæ intellectivæ, & conceptus actus intellectionis. Secunda: quamvis potentia notionalis solum distinguatur per rationem à suo actu, licèt realitèr à termino distinguatur, datur verus conceptus potentiæ notionalis, scilicèt, generativæ in intellectu notionali Patris, & conceptus actus: ergo paritèr. Tertia: quamvis natura Dei solum per rationem distinguatur ab attributis, conceditur in Deo conceptus principij radicantis attributa, & principij remoti operationū: ergo quamvis intellectus, & intellectio solum per rationem distinguantur, debet in Deo concedi verus conceptus principij proximi intellectionis.

Probatur tertiò conclusio: intellectio Dei nequit intelligi absquè egressione operativa reali aliqua ab intellectu Dei: ergo datur in Deo vera ratio potentiæ, & principij talis intellectionis. Consequentia est legitima; quia supposito egressu reali operativo intellectionis ab intellectu, debet collocari in intellectu ratio originis, seu principij, eo modo, quo ponitur egressus. Antecedens verò probatur: intellectio Dei est actus vitalis, quo Deus vitalitèr vivit; sed nequit hoc intelligi sine aliquo egressu operativo vitalitatis, quo vivit: ergo intellectio Dei nequit intelligi absquè egressione operativa reali aliqua ab intellectu Dei. Probatur minor: nequit intelligi vitalitèr vivere, absquè habere perfectionem à se, qua vivit; sed nequit intelligi hanc habere, nisi egressivè operativè: ergo nequit intelligi sine aliquo egressu operativo vitalitatis, quo vivit.

19 *Probat. 3.*

Prob. min. Maior, & consequentia tenent. Minor autem probatur: habere perfectionem à se sine egressione operativa per summam identitatem, non est vitalitèr vivere: ergo nequit intelligi hanc habere, nisi egressivè operative. Probatur antecedens: nequit intelligi habere à se perfectionem vitalitèr, nisi egressivè: ergo habere perfectionem à se sine egressione operativa per summam identitatem, non est vitalitèr vivere. Probatur antecedens: Deus à se habet perfectionem subsistentiæ, personalitatis, bonitatis, &c. per summam identitatem; atqui quia hæc non habet à se originativè operativè, illis non vivit: ergo nequit intelligi habere à se perfectionem vitalitèr, nisi egressivè.

20 *Probat. deniq; concl.* Probatur deniquè conclusio: si in Deo non esset potentia realis realitèr proximè intellectiva, maximè, quia de ratione potentiæ est ab actu distingui, & consequenter de ratione potentiæ realis est distingui realitèr ab actu, quod intellectui Divino respectu intellectionis non competit; sed hæc ratio est nulla: ergo datur. Maior cum consequentia tenet. Probatur minor: non minus est de ratione personalitatis distingui à natura,

quam

quam terminat, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione; sed datur in Deo vera realis personalitas absquè reali distinctione à natura: ergo paritèr: quamvis de ratione potentiæ sit distingui ab operatione actuali, dabitur realis potentia absquè reali distinctione. Consequentia tenet. Minor est adversariorum.

Prob. mai. Primò. Maior verò probatur. Primò: ex eo, quod operatio in creatis realitèr distinguitur à potentia, & in Deo virtualitèr, infertur, de ratione potentiæ esse distingui ab operatione actuali; sed etiam personalitas in creatis distinguitur realitèr à natura, & in Deo virtualitèr: ergo non minus est de ratione personalitatis distingui à natura, quam terminat, quam de ratione potentiæ distingui ab operatione. *Secundò.* Secundò probatur dicta maior: non minus est de ratione termini distingui ab eo, quod terminat, quam de ratione principij distingui ab eo, cuius est principium; sed personalitas est terminus naturæ, & potentia principium operationis: ergo idem quod anteà.

21 *Respondent contrarij.* Respondent contrarij negando maiorem huius vltimæ probationis; nam ad rationem termini alicuius sufficit virtualitèr ab illo distingui; ad rationem verò principij requiritur distingui realitèr ab eo, cuius est principium, in quo stat disparitas. *Contra.* Contra: nam vel de ratione termini est distingui à re terminata, vel non? Si secundum: ergo adhuc sine distinctione virtuali poterit terminare contra vos. Si primum: ergo eo modo, quo terminet, distinguetur à re terminata: ergo si realitèr terminat, realitèr distinguetur, si virtualitèr, virtualitèr. Probatur prima consequentia: quia per vos de ratione potentiæ est distingui ab operatione, de ratione potentiæ est ab illa distingui eo modo, quo est potentia: ergo similitèr: ergo non est disparitas inter terminum, & potentiam.

22 *Dices.* Dices: esse adhuc disparitatem inter potentiam realem, & personalitatem realem, quod illa petit esse principium influens influxu reali reali in suam operationem; cæterū personalitas realis solum petit esse terminū virtualitèr terminantem. *Contra.* Contra: ideò de ratione potentiæ realis erit influere influxu reali reali in operationem, quia de ratione potentiæ est, esse principium influens; sed hoc argumentum non valet: ergo nec replica. Maior & consequentia tenent. Minor verò vltrà instantias positas *numer.* 18. ita probatur: de ratione personalitatis est, esse terminum naturę; sed non licet arguere: ergo de ratione personalitatis realis est esse terminum realitèr terminantem, cum iuxta adversarios, solum terminet virtualitèr: ergo paritèr: non valet argumentum factum de potentia reali.

§. IV.

Argumentis in contrarium occurritur.

23 *Arguit. 1.* ARguitur primò: potentia idem est, quod principium; sed intellectus Divinus non est principium reale intellectionis essentialis: ergo in ordine ad illam non est potentia realis. Maior constat: nam non intellecta ratione principij, non est, per quod potentia in ratione potentiæ constituatur, prout potentia distinguitur à potentia logica. Probatur minor: principium est id, à quo aliquid procedit; sed intellectio essentialis non procedit realitèr à Divino intellectu: ergo intellectus Divinus ron est principium reale intellectionis essentialis.

24 *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: potentia productiva idem est, ac principium, concedo maiorem; potentia operativa, subdistinguo: idē est, ac principium determinatè reale reale, nego maiorem; reale formale, vel virtuale, concedo maiorem; & distinguo minorem: intellectus Divinus non est principium reale reale intellectionis essentialis, concedo minorem; reale formale, vel virtuale, nego minorem, & distinguò similitèr consequens. Ex his ad probationem maioris, distinguo similitèr antecedens, & consequens, eademq; distinctione distinguo maiorem, minorem, & consequens probationis minoris. Itaquè asserimus: intellectum non esse principium reale realitèr influens in intellectionem, sed tantum realitèr, virtualitèr, vel formalitèr.

25 Et hoc sufficere ad hoc, vt intellectus dicatur potentia realis realitèr intellectiva per intellectionem essentialem, licèt non sufficiat, vt dicatur potentia realis productiva illius, constat ex eo, quod ad conceptum naturę

realis realitèr intellectivæ, & realitèr volitivæ, sufficit esse formalem, vel virtualem radicem intellectionis, & volitionis essentialium, licèt non sufficiat ad rationem naturæ realis realitèr productivæ intellectionis, & volitionis. Deindè: realis formalis, vel virtualis egressus intellectionis, & volitionis, sufficit, vt dicantur actus reales virtuales, licèt non sufficiat, vt dicantur realitèr ab intellectu, & voluntate causati: ergo paritèr de potentia operativa respectu sui actus secundi.

26 *Replicabis.* Replicabis: ratio potentiæ formalissimè consistit in ratione principij: ergo eo modo, quo principium dicitur tale, erit potentia: ergo de illo, de quo non verificatur esse reale principium operationis realitèr, sed tantum formalitèr, vel virtualitèr, non verificatur, esse potentiam realem realitèr, sed formalitèr, vel virtualitèr tantum. Atqui intellectus Divinus non est principium reale intellectionis realitèr, sed formalitèr tantum, vel virtualitèr: ergo non realitèr, sed formalitèr tantum, vel virtualitèr est potentia realis.

27 *Confirm. 1.* Confirmatur primò: nam quia de ratione relationis est respectus ad terminum, cui realitèr non convenit respectus, nec relatio realitèr convenit; sed potentia consistit in ratione principij: ergo cui non convenit esse principium reale realitèr, non convenit rerlitèr ratio potentiæ. *Confirm. 2.* Confirmatur secundò: quia namque compositio est distinctorum componibilium vnio, vbi vnio distinctorum cõponibilium non salvatur realitèr, cõpositio realitèr non reperitur; sed potentia consistit in ratione principij: ergo de quo non verificatur esse principium realitèr, non affirmabitur realitèr ratio potentiæ.

28 *Respondeo ad replicã.* Respondeo ad replicam, distinguendo antecedens: ratio potentiæ productivæ formalissimè consistit in ratione principij, concedo antecedens; potentiæ operativæ, subdistinguo: in ratione principij realis, aut virtualis, concedo antecedens; realis determinatè, nego antecedens, & cõsequentiam; quia vt sit potentia realis intellectiva realitèr, sufficit, quod sit realiter formale, vel virtuale principium intellectionis, quia hoc sufficit, vt dicatur facultas intellectiva realitèr, vt manet dictum *numer. 25.* ex quo concedo minorem sussumptam, & nego consequentiam.

29 *Ratio solutio.* Ratio huius est: nam principium non diffinitur per esse reale determinatè; sed per esse reale formale, vel virtuale divisim; vndè potentia, vt abstrahit à productiva, & operativa, diffinitur per rationem principij non determinatè realis, sed realis, formalis, vel virtualis divisim, & differentia vnius ab alia stat in hoc: quod potentia productiva est principium determinatè reale; potentia verò operativa est principium formale, vel virtuale, & hoc sufficit, vt potentia operativa in linea, v. g. intellectiva, sit potentia realis realitèr intellectiva, licèt non sit potentia realis productiva. Ex quo patet solutio ad vtramque confirmationem.

30 *Ad 1. cõfirmation.* Ad primam igitur distinguo maiorem: quia de ratione relationis est respectus ad terminum determinatè realis, cui realitèr non convenit respectus, nec relatio realitèr convenit, concedo maiorem; realis, formalis, vel virtualis divisim, nego maiorem; distinguo minorem, vt suprà, & nego consequentiam. *Ad 2.* Ad secundam distinguo similitèr maiorem: quia compositio est distinctorum componibilium vnio determinatè realis, vbi vnio distinctorum componibilium non salvatur realitèr, compositio realitèr non reperitur, concedo maiorem; realis, formalis, vel virtualis divisim, nego maiorem; distinguoque minorem, vt suprà, & nego consequentiam.

31 *Retorqueo.* Deniquè argumentum, replicam, & confirmationes retorqueo cum dictis *num. 18. & 22.* & vt pateat notoriè, modum arguendi in replica, & confirmationibus, non esse validum, sic retorqueo: vt de Paternitate Divina verè affirmetur: esse realitèr personalitatem realem, sufficit esse terminum virtualem naturæ Divinæ iuxta adversarios: ergo sicut ista consequentia non valet: *Personalitas consistit in ratione termini terminantis: ergo de quo non verificetur, realitèr realitèr terminare naturam, non verificabitur esse realem personalitatem realitèr*; ita non valet contra nos adducta.

32 *Arguit. 2.* Arguitur secundò: ideò in creaturis datur potentia, quæ sit principium actionis, quia substantia ratione

ſuæ finitæ perfectionis, nequit eſſe idem cum operatione, & conſequentèr nec immediatum principium illius; ſed Deus ob ſuam infinitatem eſt idem cum ſua operatione, & oportet, quod ſit ſine potentia principium immediatum operationis: ergo in Deo non eſt collocanda talis potentia. Reſpondeo primò: teneri adverſarios ad ſolutionem argumenti, nam probat: perſonas Divinas immediatè procedere per naturam Divinam, & non mediantibus intellectu, & voluntate, quod omnes negant contra Durandum, & nos declaravimus *tom.* 3. *in* 1. *Sent. diſp.* 72. *num.* 17. *&* *num.* 18. impugnavimus. Reſpondeo ſecundò negando maiorem: quia ratio præciſſa, cur in creatura datur potentia, eſt, quia omnis actus in linea operationis eſt perfectio immediata potentiæ, & mediata eſſentiæ, & ex hac ratione cogimur ad conſtituendas potentias, à quibus tanquam à principio proximo egrediantur, & quas immediatè perficiant.

Reſpond. 1.

Reſpond. 2.

33 *Dices.* Dices: ergo potentia perficitur per actum, cuius eſt potentia: ergo ratio potentiæ per ſe ſumptæ dicit carentiam perfectionis: ergo à Deo relleganda. Reſpondeo primò: etiam adverſarios teneri ad ſolutionem huius replicæ; nam probat: non dari potentiam generativam in Patre Æterno contra omnes, ex quo fiat contra ipſos retorſio. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo primũ conſequens: potentia finita, vel potentia dependens ab aliquo extrinſeco cauſante, vel conſervante, concedo conſequentiam; potentia infinita, vel independens ab aliquo extrinſeco cauſante, vel conſervante, nego conſequentiã; & nego etiam ſubſumptam, quia non omnis potentia dicit imperfectionẽ, ſed illa ſolum, quæ eſt finita, vel dependet ab aliquo extrinſeco cauſante, vel conſervante, vt diximus *tom.* 1. *in* 1. *Sent. diſp.* 5. *num.* 338.

Reſpond. 1.

Reſpond. 2.

34 *Arguit.* 3. Arguitur tertiò: potentia ex terminis dicitur à poſſe: ergo potentia methaphiſica, à methaphiſico poſſe: ergo potentia phiſica à phiſico poſſe. Atqui in Deo eſt potentia phiſica: ergo habet poſſe phiſicè. Probatur minor: in Deo intellectus eſt potentia iuxta nos; ſed eſt potentia phiſica; nam iuxta nos eſt potentia realis realitèr intellectiva: ergo in Deo eſt potentia phiſica. Reſpondeo primò diſtinguendo antecedens: potentia dicitur à poſſe determinatè methaphiſico, vel phiſico determinatè, nego antecedens; indeterminatè, ſeu diviſim, concedo antecedens, & nego conſequentias ob rationes datas ad primum argumentum, & replicam ſubſecutam.

Reſpond. 1.

Reſpondeo ſecundò concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens: ergo potentia methaphiſica, & methaphiſicè dicitur a methaphiſico poſſe, concedo conſequentiam; potentia methaphiſica, & non methaphiſicè, nego conſequentiam. Diſtinguo ſimilitèr ſecundum conſequens. Diſtinguo etiam ſubſumptam: in Deo eſt potentia phiſica, & phiſicè, nego minorem; & non phiſicè, concedo minorem, & nego conſequentiam; quia vt potentia intellectiva (de hac enim loquimur) haberet poſſe phiſicè, non ſolum debebat eſſe potentia phiſica, ſed eſſe phiſicè potentem, eſſe, ſcilicèt, productivam. Hæc ſolutio magis placet, & accomodari valet primo argumento; ipſaque clariores retorſiones fieri poſſunt cum dictis *num.* 18. *&* 22.

Reſpond. 2.

35 *Arguit.* 4. Arguitur quartò: ex eo, quod detur actu intelligens, non ſequitur, quod detur intelligens in potentia, ſivè per modum actus primi: ergo Deus poteſt eſſe actu intelligens, quin in ipſo detur potentia ad intelligendum. Probatur antecedens: ex eo, quod detur actu intellectum, non ſequitur, quod antequam intelligatur, ſit intelligibile: ergo paritèr. Probatur antecedens: iuxta communem ſententiam Scoti, & Scotiſtarum poſſibilia non ſunt priùs cognoſcibilia, quam cognita; alioquin ante cognitionem haberent aliquod eſſe, quia haberent cognoſcibilitatem, quæ eſt paſsio entis, & conſequentèr eſſent entia: ergo ex eo, quod detur actu intellectũm, non ſequitur, quod antequam intelligatur, ſit intelligibile.

Reſpond. 1.

Reſpondeo primò ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem nego paritatem. Diſcrimen eſt: nam datur aliquid, ſcilicèt, poſsibilè, quod conſtituatur per eſſe cognitum, & conſequentèr nequit eſſe priùs cognoſcibile; alioquim, vt optimè probat argumentũ: haberet eſſe ante conſtitutivum illius.

Ait non est dabilis potentia intellectiva, quæ constituatur per intellectionem, imo repugnat intellectio, quæ non sit egressa ab intellectu. Ex hoc potest distingui secundum antecedens argumenti: ex eo, quod detur actu intellectum per intellectionem constitutum, non sequitur, quod antequam intelligatur, sit intelligibile, concedo antecedens; per intellectionem non constitutum, nego antecedens, & consequentiam.

Respond. 2. Respondeo secundo retorquendo argumentum: ideo iuxta nos ex eo, quod detur actu intellectum non sequitur, quod sit priùs intelligibile, quia datur aliquid, v.g. possibile, per esse cognitum constitutum; sed nec nos, nec adversarij (paucissimis exceptis) asserimus: potentiam intellectivam constitui per intellectionem: ergo est nottoria disparitas. Respondeo tertiò aliter retorquendo: ex eo, quod detur actu intellectum non sequitur, quod sit priùs intelligibile adhuc potentia logica: ergo ex eo, quod detur actu intelligens, non sequitur, quod detur intellectivum per modum potentiæ potentia logica, quod est contra ipsos.

Tertiò.

36 *Arguit. 5.* Arguitur quintò: si in Deo daretur intellectus per modum actus primi, in Deo esset compositio formalis: ergo non datur. Probatur antecedens: in Deo daretur intellectus formaliter distinctus ab intellectione: ergo si in Deo daretur intellectus per modum actus primi, in Deo esset formalis compositio. Probatur consequentia: compositio est vnio distinctorum; sed per te in Deo daretur intellectus formaliter distinctus ab intellectione: ergo si in Deo daretur intellectus per modum actus primi, in Deo esset compositio formalis.

Si cũ Mast. trio respõdeas. Ad hoc argumentum respondebis cum Mastrio, distinguendo maiorem: compositio est vnio distinctorum, vbi non adest summa identitas realis, concedo maiorem; vbi adest, nego maiorem; distingues similiter minorem, & negabis consequentiam.

Contra. Contra: summa identitas realis non impedit compositionem formalem, supposita distinctione formali extremorũ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: identitas realis non summa, non impedit compositionem formalem, supposita formali distinctione extremorum: ergo nec summa. Antecedens constat in quocumque genere, & differentia. Consequentia probatur: summa identitas est maior vnio identitatis; sed maior vnio non impedit compositionem formalem, supposita distinctione formali extremorum: ergo summa identitas realis non impedit talem compositionem. Probatur minor: maior vnio extremorum realiter distinctorum non impedit compositionem realem in ipsis: ergo maior vnio non impedit compositionem formalem, supposita formali distinctione extremorũ. Antecedens claret paritatibus compositi substantialis, quæ maiorem vnionem habent, quam partes totius per accidens, & per aggregationem, & tamen faciunt realem compositionem. Consequentia infertur. Hæc est vrgens replica. Quarè.

Respond. 1. ad argum. Respondeo ego primò ad argumentum, aliter distinguendo maiorem: compositio est vnio distinctorũ cũm dependentia à causa extrinseca, concedo maiorem; sine tali dependentia, nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Claret solutio ex à nobis traditis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 5. num. 338.*

Respond. 2. Respondeo secundò aliter distinguendo maiorem: cõpositio est vnio distinctorum, se habentium, vt partium, concedo maiorem; non se habentium, vt partium, nego maiorem; cum eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Patet solutio ex à nobis traditis *tom. & disp. cit. num. 343.*

37 *Arguit. 6.* Arguitur sextò: Scotus *in 1. dist. 7. §. Ad quæst.* ait: *Alio modo dicitur potentia divisa contra actum; ista non est in Deo*: ergo iuxta Scotum non datur in Deo reale significatum potentiæ, vt distinguitur contra actum. Respondeo: Scotum *ibi* velle, non dari in Deo potentiam realiter distinctam ab actu, sic, quod actus sit accidens illius; non verò quod non sit in illo potentia identificans sibi actum, ex quo nihil contra nos.

§. V.

Resolvitur secunda difficultas.

38 *1. Sentent.* SEcundum, quod in hac quæstione in examen vocamus, est: An in ordine ad intellectionem salvetur in Deo formalitas speciei? Circa quod duæ sunt Theologorum sententiæ.

Pri-

Prima est negativa, quam tenent aliqui Recentiores cum Suario, & Herice *citat.* ab Ill. Godoy relato, *num.* 156. Secunda est affirmativa, quam tenet Ill. Godoy cum omnibus ab ipso relatis; & quia hæc est probabilior, ideò, sit.

Suaret. Herinx.

2. Sentent. Ill. Godoy.

39 *Conclusio.* Conclusio: *Datur in Deo vera ratio speciei intelligibilis ad intellectionem essentialem.* Probatur primò: munus speciei impressæ est, obiectum repræsentare intellectui, eique in esse intelligibili vnire, & ex parte obiecti ad intellectionem concurrere; sed essentia Divina se ipsam intellectui Dei perfectissimè repræsentat; per se ipsam cum intellectu perfectissimè vnitur, non solum in esse entis, sed etiam in esse intelligibili; & insuper concurrit per modum obiecti effectivè influxu formali, vel virtuali ad intellectionem Divinam: ergo essentia Divina obtinet veram, propriamque rationem speciei respectu intellectus Divini. Minor pro prima, & secunda parte non negatur à contrarijs. Pro tertia verò negatur, ideòque.

Probat. 1.

40 *Prob. min. pro 3. part.* Probatur minor pro tertia parte. Primò: notitia, seu cognitio paritur ab obiecto, & potentia, vt ex D. Aug. docent communitèr Philosophi: ergo iuxta modum, & æqualitatem influxus potentiæ in cognitionem, concedendus est influxus obiecti in illam; atqui intellectus Divinus influit influxu formali, vel virtuali in Divinam intellectionem, vt ex dictis constat: ergo Divina essentia, vt obiectum, influit obiectivè influxu formali, vel virtuali.

Secundò. Secundò: intellectus realitèr realitèr influens in intellectionem, petit obiectum influens ita obiectivè: ergo intellectus influens realitèr formalitèr, vel virtualitèr, petit obiectum influens ita obiectivè in prædictam intellectionem; atqui Divinus intellectus realitèr formalitèr, vel virtualitèr influit in Divinam intellectionē: ergo idem, quod anteà. Tertiò: influxus intellectus in Divinam intellectionem nullam dicit imperfectionem ex dictis: ergo nec influxus obiecti: ergo essentia Divina, vt obiectum, concurrit per modum obiecti effectivè influxu formali, vel virtuali ad intellectionem Divinam.

Tertiò.

41 *Dices.* Dices: concursum obiecti arguere imperfectionem in potentia; quia potentiam indigere concursu obiecti, vt principij partialis intellectionis, ex illius imperfectione procedit; quarè releganda est ab intellectu Divino, vtpotè, infinito, summèque perfecto in ratione potentiæ intellectivæ. Cōtra: nam licèt dato, quod esset imperfectio, indigere concursu obiecti, si obiectum suppleret vices potentiæ in linea potentiæ; imperfectio tamen non est, potentiam indigere concursu obiecti, non supplentis vices in linea potentiæ, sed in linea obiecti: ergo indigere concursu obiecti non est imperfectio potentiæ, quin potiùs oritur ex propria natura potentiæ, eo, quod potentia non sit de linea obiecti: ergo non est à Divino intellectu relegandus obiecti concursus.

Contra.

Probatur antecedens primò: non est imperfectio voluntatis indigere intellectione ad volitionem, eo, quod intellectio non est in linea volitionis: ergo paritèr. Secundò: non est imperfectio vnius attributi, non se extendere ad iurisdictionem alterius, à quo formalitèr, vel virtualitèr distinguitur, v. g. non est imperfectio sapientiæ, non se extendere ad lineam misericordiæ, quia sapientia non est infinita in omni linea attributorum, sed solum in sua linea: ergo similitèr.

Antecedens probat. 1. *Secundò.*

Alias impugnationes ad prædictam responsionem adducit Ill. God. simul cum alia duplici contrariorum responsione, quam etiam impugnat, & optimè. Cæterum ea pro nunc omitto, quia Ianua omninò aduersarijs clauditur sequenti ratione, quæ est altera nostræ conclusionis probatio, & impugnatio prædictæ responsionis.

42

Probatur secundò conclusio: Essentiam Divinam, vt obiectum, concurrere cum Divino intellectu ad intellectionem, nec est imperfectio essentiæ, nec infert imperfectionem in intellectu: ergo datur in Deo vera ratio speciei intelligibilis ad intellectionem essentialem. Antecedens pro prima parte claret, quia concursus obiecti nullam dicit imperfectionem. Pro secunda verò probatur: ideò cōcursus obiecti inferret imperfectionem in intellectu, quia intellectus indigeret concursu obiecti ad intellectionem; sed hæc indigentia non est imperfectio: ergo essentiam Divinā, vt obiectum, concurrere cum Divino

43 *Probat. 2. concluſ.*

in-

intellectu ad intellectionem, non infert imperfectionem in intellectu. Maior est prædicta adversariorum responsio. Minor probata manet duplici paritate posita *num.* 41. Consequentia est legitima.

44 Progredior nunc ad claudendam Ianuam alijs responsionibus adversariorum, & ad nostram firmandã conclusionem: hoc ipso, quod indigentia intellectus ab obiecto ad intellectionem imperfectio non sit, collocanda est in Divino intellectu hæc indigentia: ergo & obiecti concursus. Probatur antecedens: hoc ipso, quod indigentia voluntatis ab intellectu ad volitionem imperfectio non sit, collocatur in Divina voluntate hæc indigentia: ergo hoc ipso, quod indigentia intellectus ab obiecto ad intellectionem imperfectio non sit, collocanda est in intellectu Divino hæc indigentia.

§. VI.

Resolvitur tertia difficultas.

45 TErtium, quod ad examen vocamus in hac quæstione, est: An ratio habitus salvetur in Divino intellectu? In quo duæ versantur sententiæ. Prima est affirmativa, quam præter alienos tuentur Scotistæ ab Ill. Godoy *citat. num.* 170. Secunda est negativa, quam plurimi ex alienis tuentur, & cum illis Ill. Godoy *à numer* 171. Tenent etiam quam plurimi Scotistæ non solum in authoritate Subtilis Magistri fundati, sed etiam validissimis rationibus innixi, hæcque mihi semper visa est probabilior, & ideò. Sit.

1. Sentent.

2. Sentent. Ill. Godoy.

46 Conclusio: *Ratio habitus non datur in Deo.* Hæc conclusio deducitur ex Scoto *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. *§. ad* 2. *primæ opinionis*, vbi docet: In Angelis non esse habitus, seu virtutes intellectuales præter species intelligibiles, quia habitus non dantur in naturaliter inclinatis. Item: *in* 3. *dist.* 33. *§. ad quæst.* docet: In Angelis non esse virtutes morales per modum habitus, quia voluntas Agelica non sentit difficultatem circa obiecta virtutum moralium; cum hæc difficultas oriatur in nobis ex disidio duplicis appetitus, rationalis, scilicèt, & sensitivi. Idem habet Doctor *in* 4. *dist.* 14 *quæst.* 2. *§. ad* 3. *principale*, *in* 1. *responsione de homine in statu innocentiæ.* Ex quo.

Conclusio.

47 Probatur primò conclusio: habitus superfluit, vbi nulla est difficultas; sed nulla est in Deo difficultas: ergo superfluit habitus: ergo ratio habitus non datur in Deo; quia in Deo nihil ponitur superfluum. Minor, & consequentiæ tenent. Maior vero probatur primò: habitus deservit ad tollendam difficultatem: ergo superfluit, vbi nulla est difficultas. Secundo: quia ideo in lapide non datur habitus ad motum deorsum, quia ad talem motum nulla est in lapide difficultas: ergo, &c. Tertiò probatur verbis Scoti *num. anteced.* relatis.

Probat. 1. concluſ.

48 Probatur secundò ex Scoto *quæst.* 4. *Prologi*, *§. secundus artic. quæst. & in fine*, *§. præcedentis.* Et *in* 1. *dist.* 38. vbi docet: quod voluntas Divina est recta ex se, ideòque negat, scientiam Divinam esse practicam, & volitionem esse praxim: ergo etiam voluntas Divina est ex se inclinata ad actus quoscumque: ergo ad actum quemcumque superfluit in Deo habitus: ergo non datur in Deo ratio habitus.

Probat. 2.

49 Probatur tertiò conclusio: habitus ex sua ratione formali dicit imperfectionem in potentia: ergo ratio habitus non datur in Deo. Consequentia claret, tàm ex ratione communi imperfectionis, quàm ex eo, quod ideò *suprà* adstruimus in Deo rationem speciei, quia non infert imperfectionem in potentia. Antecedens verò probatur: habitus supplet in potentia, vel difficultatem in eliciendo actum, si est adquisitus; vel si est infusus, suplet virtutem in potentia iuxta Thomistas, vel improportionem iuxta Scotistas; sed indigere facilitate, virtute, vel proportione ad eliciendum actum est absque dubio imperfectio inquacumque potentia: ergo habitus ex sua ratione formali dicit imperfectionem in potentia.

Probat. 3.

50 Probatur quartò conclusio: virtus per modum habitus nequit poni in Deo, vt tribuat actui aliquam perfectionem præter perfectionem tributam à potentia: ergo ratio habitus non datur in Deo. Probatur antecedens: potentia intellectiva Dei, v. g. & de qua specialitèr loquimur, est infinita: ergo tribuit infinitam perfectionem suo actui, scilicèt, intellectioni: ergo hæc intellectio est infinita:

Probat. 4.

er-

ergo nulla perfectio ei deficit: ergo nulla est excogitabilis perfectio in actu, quæ non tribuatur à potentia: ergo virtus per modum habitus nequit poni in Deo, vt tribuat actui aliquam perfectionem præter perfectionem tributam à potentia.

51 *Prob. deniquè.* Probatur deniquè conclusio ad hominem contra omnes Scotistas, oppositum sentientes, & contra omnes ex alienis, qui nobiscum conveniunt in eo, quod detur in Deo ratio speciei: ideò datur in Divino intellectu ratio speciei ad intellectionē, quia intellectum indigere concursu obiecti ad intellectionem, non infert imperfectionem in intellectu; sed intellectum indigere habitu ad intellectionem, infert imperfectionem in intellectu: ergo non datur in Deo ratio habitus. Probatur minor: ideò intellectum indigere concursu obiecti ad intellectionem, non infert imperfectionem in intellectu, quia concursus obiecti non est in linea potentiæ; sed concursus habitus est in linea potentiæ: ergo intellectum indigere habitu ad intellectionem, infert imperfectionem in intellectu. Consequentia est evidens. Minor est generalis omnium consensus; omnes enim fatentur: speciem se habere ex parte obiecti; habitum verò ex parte potentiæ. Maior est doctrina, quam omnes, contra quos arguo, adducunt, ad tuendam rationem speciei in Deo, & ad solvendam responsionem hoc negantium.

52 *Arguit. 1. ex Scotistis.* Arguitur primò ex Scotistis: intellectus, & voluntas sunt principia universalia: ergo debent dari in illis virtutes per modum habitus ab ipsis distinctæ, medijs quibus determinentur ad obiecta particularia. *Respondeo.* Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia intellectus Divinus, Divinaque voluntas sunt ita principia, vt absquè habitu ab ipsis distincto, sint principia proxima, & particularia; alioquim non essent infinita, quia requirere principium particulare est imperfectio, & limitatio. Claret solutio ex dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 5. num. 250.* Et quod contra hoc adduci potest, *ibi* manet solutum *numer. 521.*

53 *Arguit. 2.* Arguitur secundò, & simul impugnatur prædicta solutio: ex data solutione sequitur, non esse ponenda in Deo attributa, formalitèr distincta ab essentia; sed hoc est contra generalem Scotistarum doctrinam: ergo ruit data solutio. Probatur sequela: essentia Divina est infinita: ergo sequitur ex data solutione, non esse ponenda in Deo attributa, formalitèr distincta ab essentia. *Respond. 1.* Respondeo primo: negando sequelam, & distinguendo antecedens: essentia Divina est infinita intensivè, concedo antecedens; extensivè, subdistinguo: præcisis attributis, nego antecedens; per ipsa attributa, concedo antecedens, & nego consequentiam. *Secundò.* Respondeo secundò, alitèr distinguendo antecedens: est infinita exigens attributa, vt complemento ipsius, nego antecedens; vt terminis exigentiæ illius, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ex hac duplici solutione constat duplex disparitas. 54 *Duplex disparitas.* Prima est: quod essentia sit infinita intensivè in omni genere, præcisis attributis; quarè attributa non officiunt infinitati essentiæ, cum solum ad extensivam requirantur; at habitus officit infinitati intensivæ potentiæ, siquidem sine habitu non est potentia cum omnimoda perfectione ex parte potentiæ. Secunda est: quod attributa non supponunt essentiam incompletam; habitus verò supponit incompletam potentiam, quia ponitur vt complementum illius; siquidem sine habitu non potest actui tribuere omnimodam, & completam perfectionem.

55 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò: scientia per modum habitus, non distincta ab actu, est perfectio, de se non dicens imperfectionem: ergo intellectui Divino tribuenda. Probatur antecedens: scientia per modum habitus nihil aliud dicit, quam facilitatem, cuius oppositum, nempè, difficultas, est imperfectio; sed facilitas, cuius oppositum imperfectio est, de se imperfectio non est: ergo scientia per modum habitus, non distincta ab actu, est perfectio, de se non dicens imperfectionem. Probatur minor: sapientia, cuius oppositum imperfectio est, de se perfectio sine imperfectione est: ergo paritèr. *Respond. 1.* Respondeo primo: hoc argumentum procedere ex siniistra intelligentia huius quæstionis; nam nos non negavimus in Divino intellectu rationem habitus, quia habitus dicat

& impugnatur solutio.

imperfectionem; sed quia illam necessario infert in intellectu, & quia in Divino intellectu superfluit, vt claret ex nostris probationibus; vndè argumentum non est ad rem. Sed hoc permisso.

56 *Respond. 2.* Respondeo secundò distinguendo antecedens: scientia per modum habitus, non distincta ab actu, est perfectio, de se non dicens imperfectionem, nec illam inferens in intellectu Divino, nego antecedens; inferens imperfectionem in intellectu Divino, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia non solum à Deo est relegandum, quod imperfectionem dicit, verum & illud, quod etsi imperfectionem non dicat, imperfectionem infert. Cum ergo habitus imperfectionem inferat in intellectu Divino, vt claret ex dictis, à Deo est relegandus. Ex hoc ad probationem antecedentis, omnissa maiori, distinguo similitèr minorem; ad cuius probationem, nego paritatem; nam sapientia non infert in potentia imperfectionem, quia non est de linea potentiæ, sed de linea operationis; at habitus est de linea potentiæ, ideò in quacumque egente habitu infert imperfectionem.

57 *Respond. 3.* Respondeo tertiò, alitèr distinguendo antecedens: scientia per modum habitus, non distincta ab actu, est perfectio, de se non dicens imperfectionem, & intellectui Divino necessaria, nego antecedens; ipsi superflua, concedo antecedens; ad cuius probationem, distinguo similitèr minorem; & ad probationem, nego paritatem; quia sapientia, vtpotè, de linea operationis, est intellectui Divino necessarissima; habitus verò, vtpotè, de linea potentiæ, superfluus est intellectui Divino ob dicta *num.* 47. Imò doctrina, in qua fundatur vtraque solutio, est ipsius Doctoris facientis argumentum.

58 *Retorqueo.* Retorqueo deniquè contra prædictum Doctorem argumentum: vel reperitur difficultas in Divino intellectu, vel non? Si primum: ergo reperitur imperfectio in intellecta Divino; quia difficultas iuxta Doctorem prædictum est imperfectio. Si secundum: ergo superfluit habitus: ergo à Deo relegandus.

59 *Dices.* Sed dices in faborem huius Doctoris: perfectio, de se nullam dicens imperfectionem, debet poni in Deo; sed scientia per modum habitus, non distincta ab actu, est perfectio, nullam dicens imperfectionem: ergo in Deo debet poni. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probata manet à prædicto Doctore *num.* 55. Respondeo distinguendo maiorem: perfectio, de se nullam dicens imperfectionem, nec illam inferens, concedo maiorem; imperfectionem inferens, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam; quia etsi ratio habitus sit perfectio, infert in potentia imperfectionem, vt manet dictum. *Respondeo.*

60 *Veritas solutionis declaratur.* Nec videatur hanc doctrinam pati posse aliquam difficultatè: nam stat optimè, quod aliquid sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, & quod à Deo relegetur; tum: quia ipsi superflua; & tum: quia inferat in Deo imperfectionem: ergo ex eo, quod habitus sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, poterit à Deo relegari ob prædicta motiva. *Antecedens probat. 1.* Antecedens probatur primò: omnes negantes in Deo rationem speciei, illam negant, quia etsi concursus obiecti sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, illam infert in intellectu Divino, superfluaque est in illo, vt dictum manet: ergo stat optimè, quod aliquid sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, & quod à Deo relegetur.

61 *Secundò.* Probatur secundò: Scotistæ, & Thomistæ negantes in Deo virtutes morales, illas negant, quia etsi sint perfectiones, nullam dicentes imperfectionem, illam inferunt in Deo, illique sunt superfluæ: ergo stat optimè, quod aliquid sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, & quod à Deo relegetur. *Tertiò.* Probatur tertiò: Thomistæ negantes scientiam à posteriori in Deo respectu suæ essentiæ, & creaturarum, cognitionemque in creaturis, & ex creaturis, illam negant, quia etsi cognitio scientifica discursiva solum virtualitèr, sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, vt vidimus *tom. 1. in 1. Sent. disput.* 23. infert imperfectionem in intellectu Divino, illique superflua est: ergo stat optimè, quod aliquid sit perfectio, nullam dicens imperfectionem, & quod à Deo relegetur. Hæc sufficiant pro declaratione huius veritatis, etsi alia mille exem-

pla

pia vtriusq; Scholæ adducere possem.

62 Alia sunt argumenta ex Authoritate Scoti deducta, à quibus nunc abstineo, quia circa hanc difficultatem problematicus stat Magister Subtilis, vt videri potest in Smising *tract. 3. disp. 4. quæst. 1. num. 4. & 5.* Vnde in præsenti non ad authoritatem, sed ad rationem standum est. Pro nostra autem conclusione efficatior, & fortior adest, ideò securiùs cum Scoto tenenda.

QUÆSTIO QUARTADECIMA.

An Omnipotentia cum possibilibus necessariò connectatur?

HAnc difficultatem in hoc tomo exagitandam promisimus *tom. 1. in 1. Sent. dist. 26. num. 92.* quatenus argumenta Jesuitarum, & aliorum (præter Ill. Godoy) Thomistarum alibi solvenda promisimus ibi. Sit ergo.

§. I.

Supponuntur necessaria, & opiniones referuntur.

Num. 1 *Possibilitas rerum non est Omnipotentia, vel aliud prædicatũ Dei.*

SVppono primò: quod possibilitas rerum non est ipsa Omnipotentia, vel aliquod aliud prædicatum Dei. Sic Scotus *in 1. dist. 43.* & est contra Spinulam, & Rivadeneiram.

Probat. 1. Probatur primò: possibilitas rerum est cui convenit non repugnantia ad esse ab alio; sed nulli prædicato Divino convenit hæc non repugnantia, quin potiùs contrarium: ergo possibilitas rerum non est ipsa Omnipotentia, vel aliquod aliud prædicatum Dei.

Confirmat. Confirmatur: possibile est, quod in tempore à Deo producitur; sed nullum Divinum prædicatum à Deo in tempore producitur: ergo possibilitas rerum non est Omnipotentia, vel aliquod aliud prædicatum.

2 *Probat. 2.* Probatur secundò specialiter contra Rivadeneiram, qui ex eo, quod possibilitas sit necessaria, tenet: non distingui à prædicato Divino: necessitas non arguens summam perfectionem est à Deo distincta; sed necessitas possibilis non arguit summam perfectionem; cum sit necessitas secundum esse cognitum, vel diminutum, quod est esse imperfectum: ergo possibilitas rerum non est Omnipotentia, vel aliquod aliud prædicatum.

3 *Possibilitas rerum non est aliquod extrà Deũ, quod sit cõditionatũ.* Suppono secundò: quod possibilitas rerum non est aliquod esse extrà Deum, quod sit esse conditionatum. Est contra Oviedum, & alios tenentes: ideò hominem esse possibilem, quia si daretur homo, non sequerentur duo contradictoria; benè autem si daretur Chimera. Probatur primò: implicat, quod prædicata sint, vel non sint illativa conditionis, quin dentur talia prædicata; sed ab æterno est verum, quod prædicata hominis non sunt illativa conditionis: ergo verè ab æterno dantur talia prædicata: ergo & possibilitas hominis.

Probat. 1.

Confirmat. Confirmatur: in hac propositione: homo distinguitur à Chimera, nullum esse conditionatum datur, sed absolutũ: ergo ab æterno homo est absolutè possibilis: ergo possibilitas rerum non est aliquod extra Deum, quod sit esse conditionatum.

4 *Probat. 2* Probatur secundò: eo modo, quo ab æterno deficit impossibilitas hominis, ab æterno dabitur ipsius possibilitas; cum nihil aliud sit, impossibilitatem deficere, quam possibilitatem esse; sed ab æterno absolutè deficit impossibilitas homini; alioquin absolutè existeret contra omnes: ergo possibilitas rerum non est aliquod extra Deum, quod sit esse conditionatum.

5 *Difficultas potest exagitari de scientia, & volitione Dei.* Suppono tertiò: quod præsens difficultas potest etiam de scientia, & volitione Dei exagitari; sed Authores communitèr eam de Omnipotentia excitant dumtaxat. Tum: quia de ipsa difficiliora se offerunt argumenta. Tum: quia quod de Omnipotentia dicitur, de scientia, & volitione est resolutio; quarè de omnibus idem formetur conceptus.

6 *Omnipotẽ-* Suppono quartò: quod Omnipotentia dupliciter potest considerari

Pri-

tia dupliciter potest cõsiderari.

Primò: in actu signato, vel in actu primo, seu secundum sufficientiam, quomodo accipitur secundum suam intrinsecam entitatem, sine actuali determinata continentia alterius extra se, & cum non repugnantia ad continendum actu, quidquid extra se existere non repugnat, quin Omnipotentia illud exigat. Secundò potest considerari in actu exercito, vel secundo, seu quoad efficiam, & hoc modo dicit Omnipotentia continentiam actualem determinatam alterius extra se.

7 *Aperitur difficultas.*

Supponò quintò: præsentem difficultatem esse: An, scilicèt, Omnipotentia ita intrinsicè, & essentialiter connectatur cum possibilibus, vt his deficientibus, intrinseca entitas Omnipotentiæ deficeret? Vel an deficientibus possibilibus, deficeret Omnipotentia primo modo capta? Nam Omnipotentiam secundo modo sumptam deficere, deficientibus possibilibus, non dubitamus; quia omnipotentia secundo modo accepta nihil aliud est, quam relatio rationis, qua ablata, adhuc remanet intrinsicè Omnipotentia. In qua difficultate Thomistæ omnes, & plures ex Societate citati à Rivadeneira *in præsenti*, partem sustinent affirmativam. Scotistæ verò, & gravissimi ex alienis negativam tenent cum Scoto *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. §. *Istis rationibus.* Et *dist.* 30. *quæst.* 2. §. *Ad secundam quæst.* Et *dist.* 35. §. *Ad ista.* Et *dist.* 39. §. *Ad argumenta principalia.* Et *dist.* 43. §. *Hic dicitur, & Tertiò similitèr infero.* His itaq; suppositis. Sit.

1. *Opinio Thomistæ.*

2. *Opinio Scotistæ.*

§. II.

Opinio Rivadeneiræ reijcitur.

8 *Sententia Rivadeneiræ refertur.*

RIvadeneiræ sententia, quam *in præsenti* adducit, est: Deum connecti necessariò cum possibilitate rerum, quæ in eius sententia cum Deo identificatur; non tamen connecti cum re possibili, quia cum ipso non identificatur. Cœterum hoc est fugere genuinum sensum quæstionis, cum hic sit sermo de Omnipotentia respectu possibilium, supposito, quod possibilitas, & possibile à Deo distinguatur. Sed, hoc omisso, falsitas huius asserti satis constat ex *num.* 1. vbi possibilitatem à Deo distingui, ex Scoto docui. Vltrà quod nunc contra ipsum ad hominem.

9 *Impugn.* 1.

Impugnatur primo: specialis ratio, propter quam hic Author negat, Deum cum possibilibus connecti, est, quia possibilia essent æqualis necessitatis cum Deo, quod implicare, asserit; sed ex eo, quod Deus connectatur cum rerum possibilitate, sequitur, creaturas possibiles esse æqualis necessitatis cum Deo: ergo propter eandem rationem, qua negat connexionem Dei cum possibilibus, negare debet connexionem cum possibilitate rerum. Probatur minor: possibile est æquè necessarium, ac ipsa possibilitas: ergo ex eo, quod Deus connectatur cum rerum possibilitate, sequitur, creaturas possibiles esse æqualis necessitatis. Probatur antecedens: implicat ab intrinseco, dari possibilitatem creaturæ ad existendum, quin detur creatura possibilis, subiectivè accepta, seu quin detur id, cui possibilitas convenit: ergo possibile est æquè necessarium, ac ipsa possibilitas. Probatur antecedens: ab intrinseco implicat existentia creaturæ, quin detur creatura existens: ergo similitèr.

10 *Respondet Rivadeneira.*

Respondet Rivadeneira: quod non datur creatura subiectivè possibilis ab æterno; quia non est alia creatura possibilis, quam ipsa creatura iam actu existens sine contradictione.

Contra 1.

Contra primò: datur ab æterno possibilitas creaturæ: ergo & ipsa creatura possibilis. Antecedens est Rivadeneiræ. Consequentia claret ex *numer. anteced.*

Contra 2.

Contra secundò: ante existentiam creaturæ creatura possibilis erat existere: ergo ante existentiam datur creatura possibilis.

Contra 3.

Contra tertiò: ante existentiam creaturæ Deus cognoscit illam scientia simplicis intelligentiæ; sed hæc est ab æterno: ergo datur ab æterno creatura subiectivè possibilis.

11 *Impugn.* 2.

Impugnatur secundò: asserere, Omnipotentiam connecti cum possibilitate, quia sunt realitèr idem, est destruere quæstionem: ergo sententia Rivadeneiræ destruit quæstionem.

Probatur anteced. 1.

Probatur antecedens primò: asserere, Omnipotentiam connecti cum Omnipotentia, est destruere quæstionem; hoc enim à nèmine dubitatur; sed asserere, Omnipotentiam connecti cum possibilitate, quia sunt realitèr idem, est asserere, Omnipotentiam connecti cum Omnipotentia: ergo asserere, Omnipotentiam connecti

cum

cum posſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt deſtruere quæſtionem. Probatur minor: poſſibilitas per te eſt ipſa Omnipotentia: ergo aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt aſſerere, Omnipotentiam connecti cum Omnipotentia.

Secundò. Probatur ſecundò dictum antecedens: aſſerere, Omnipotentiam deficere, defficiente Omnipotentia, eſt deſtruere quæſtionem ob rationem datam; ſed aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt aſſerere: Omnipotentiam deficere, deficiente Omipotentia: ergo aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt deſtruere quęſtionẽ. Probatur minor: aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt aſſerere, Omnipotentiam deficere, deficiente poſſibilitate; ſed hoc eſt aſſerere, Omnipotentiam deficere, deficiente Omnipotentia: ergo aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt aſſerere: Omnipotentiam deficere, deficiente Omnipotentia. Probatur minor: poſſibilitas per te eſt ipſa Omnipotentia: ergo aſſerere, Omnipotentiam connecti cum poſſibilitate, quia ſunt realitèr idem, eſt aſſerere, Omnipotentiam deficere, deficiente Omnipotentia. Quæ contra hoc adducit Rivadeneira obijciemus §.6.

Argumenta ſolventur §.6.

§. III.

Noſtra concluſio ponitur, & probatur.

12 *Concluſio.* COnclusio: *Omnipotentia quoad ſufficientiam, fundamentaliter, in actu primo, vel ſignato, non connectitur cum poſſibilibus.* Sic Scotus *citat.* ex ipſoque probatur primò: perfecta neceſsitas Dei eſt ex ſe eſſe tale, quod non variabitur eius eſſe, quacumque hypoteſi poſita, ſivè poſsibili, ſivè impoſsibili circa aliud à ſe: ergo ſivè poſsibile, quod eſt aliud à Deo, fiat impoſsibile, ſivè impoſsibile fiat poſſibile, non variabitur eſſe Dei: ergo eſt independens omninò ab omni eſſe cuiuſcumque poſsibilis: ergo non eſt neceſſariò connexus cum poſsibilibus. Conſequentiæ ſunt legitimæ. Antecedens eſt certum: quia neceſsitas perfecta Dei debet eſſe, qua maior excogitari nequit; hæc autem eſt neceſsitas prædicta: ergo perfecta neceſsitas Dei eſt ex ſe eſſe tale, quod non variabitur eius eſſe, quacumque hypoteſi poſita, ſivè poſsibili, ſivè impoſsibili circa aliud à ſe.

Probat. 1. ex Scoto.

13 *Confirm. 1.* Confirmatur primò: talis neceſsitas à Catholicis Deo conceditur, vt quacumque mutatione facta circa eſſe actuale creaturæ, ſemper maneat ipſe Deus in ſuo eſſe neceſſario: ergo etiam quacumque facta mutatione circa eſſe poſsibile creaturæ. Probatur conſequentia: talis neceſsitas non deſtruit, imò extollit infinitam perfectionem, & independentiam Dei: ergo quacumque facta mutatione circa eſſe poſsibile creaturæ, manet ipſe Deus in ſuo eſſe neceſſario.

14 *Confirm. 2.* Confirmatur ſecundò: ſi per impoſsibile aliquod poſsibile fieret impoſsibile, non deficeret Deus: ergo ſivè poſsibile fiat impoſsibile, ſivè impoſsibile fiat poſsibile, non variabitur ipſe Deus. Antecedens conſtat ex perfecta Dei neceſsitate, & vltrà probatur: ſi aliquod impoſsibile fieret poſsibile, non deficeret Deus: ergo nec è contra. Antecedens videtur certum; alioquim æqualem connexionem haberet Deus cum impoſsibilibus, ac cum poſsibilibus. Conſequentia probatur: æquale inconveniens ſequitur contra perfectionem Dei ex eo, quod impoſsibile fieret poſsibile, ac è contra: ergo ſi ex eo, quod aliquod impoſsibile fieret poſsibile, non ſequitur, Deum deficere, nec è contra. Probatur antecedens: ex eo, quod impoſsibile fieret poſsibile, adderetur Deo virtus productiva illius, & ex eo, quod poſsibile fieret impoſsibile, tolleretur Deo talis virtus; ſed æquè repugnat Deo additio virtutis, ac ablatio illius: ergo æquale inconveniens ſequitur contra perfectionem Dei ex eo, quod impoſsibile fieret poſsibile, ac è contra.

15 *Confirm. 3.* Confirmatur tertiò: vel ex eo, quod impoſsibile fieret poſsibile, adderetur Deo virtus productiva, vel non? Si non: ergo nec ex eo, quod poſsibile fieret impoſsibile, tolleretur. Si additur, & hæc additio non deſtruit infinitam Dei perfectionem: ergo nec ablatio illius, ſi poſteà tale poſsibile redderetur impoſsibile: ergo quacumque mutatione facta circa

possibilia, manet Deus in suo esse necessario: ergo & inconnexus cum illis.

16 *Respondent 1. contrarij*

Respondent primò contrarij ad probationem negando antecedens, quod contra ipsos sufficienter est ibi probatum. Ad primam confirmationem dicunt: Deum æquè connecti cum impossibilibus, ac cum possibilibus, per quod æquè ac prima, ruit confirmatio secunda.

Contra.

Contra: si Deus esset cum impossibilibus connexus, deficiente aliquo impossibili, deficeret, & non deficeret Deus; sed hoc implicat: ergo & connexio Dei cum impossibilibus. Prima pars maioris est contrariorum ob connexionem ab ipsis cum impossibilibus admissam. Secunda pars probatur: si aliquod impossibile fieret possibile, non deficeret Omnipotentia: ergo nec Deus. Probatur antecedens: implicat iuxta omnes aliquod esse possibile, & non esse Omnipotentiam ad illud producendum: ergo si aliquod impossibile fieret possibile, non deficeret Omnipotentia.

17 *Probat. 2. conclus.*

Ex hac replica sic contra ipsos ad hominem secundò probatur conclusio: ideò per vos Deus est necessariò connexus cum quocumque possibili, quia est inductivus illius; sed etiam est inductivus impossibilis: ergo etiam connectitur cum quocumque impossibili, quod implicat, vt diximus. Probatur minor primò: ideò per vos Deus est inductivus possibilis, quia Deus est absolutè potens illud producere; sed per vos Deus est absolutè impotens producere impossibile: ergo Deus etiam est inductivus impossibilis. Probatur secundò eadem minor: oppositorum eadem est ratio, maximè in causis præcisis: ergo si causa præcisa à priori inductiva possibilis est Dei potentia, causa præcisa à priori inductiva impossibilis erit Dei impotentia: ergo Deus etiam est inductivus impossibilis.

18 *Respond. 2. Rivadeneira.*

Respondet secundò Rivadeneira ad primam confirmationem, quod deficiente impossibili, deficeret Deus, quia deficeret necessaria impossibilitas impossibilis, quam necessariò affert Omnipotentia, quod sic instat: si per impossibile Divina intellectio esset realiter producibilis, deficeret Deus, quia deficeret necessaria identitas Divinæ intellectionis cum Deo, quam necessariò affert ipse Deus.

19 *Respond. 1.*

Respondeo primo, negando suppositum assumpti Rivadeneiræ, scilicèt, quod Omnipotentia necessario afferat impossibilitatem impossibilis, vt contra ipsum dicemus §. 6. Vndè ruit eius instantia; nam cum Deus necessariò afferat identitatem cum Divina intellectione; non verò Omnipotentia impossibilitatem impossibilis, stat clara disparitas.

Secundò.

Respondeo secundò: quod in suppositione à Rivadeneira facta de Divina intellectione, est formalis contradictio; nam illa intellectio esset Divina, vt supponit, & non esset Divina, quia realiter producibilis; at in nostra suppositione de impossibili facto possibili, nulla stat contradictio, quia suppositione facta, tantum manet possibile, & hæc est secunda disparitas.

20 *Respondent 3.*

Respondent tertiò alij: suppositionem à nobis factam in probatione, & confirmationibus, repugnare per locum ab intrinseco. Contra: similiter repugnat, quod impossibile fiat possibile; sed hoc non obstante, à contrarijs fit prædicta suppositio, vt contra nos connexionem Dei cum possibilibus probent: ergo etiam nos contra ipsos facere possumus.

Contra.

§. IV.

Vlterior probatio nostræ conclusionis.

21 *Probat. 3. conclusio.*

PRobatur tertiò conclusio: si Deus esset essentialiter connexus cum creatura possibili, hæc esset ita necessaria, ac ipse Deus; sed hoc est falsum: ergo Deus non connectitur essentialiter cum creatura possibili. Maior constat: nã data prædicta connexione, ita penderet Deus à creatura possibili in essendo, quod hac deficiente deficeret Deus. Probatur minor: creatura possibilis habet necessitatem à Deo; non verò Deus à creatura possibili: ergo Deus est magis necessarius. Consequentia patet ex illo axiomate: *Propterquod vnumquodque est tale, & illud magis.* Antecedens est commune.

22 *Respondet Suarius.*

Respondet Suarius, & cum eo plures Jesuitæ, negando minorem probationis. Dicunt enim: possibilia esse æqualis necessitatis cum Deo, eiusque Omnipotentia; contra quos vrget efficacitèr prædicta probatio, quæ sic alijs terminis declaratur: nihil extra Deum est ex se necessarium:

Contra.

er-

ergo nihil extra Deum est æqualis necessitatis cum Deo. Antecedens constat: quia omne necessarium extra Deum dependet à primo necessariò. Consequentia claret: quia Deus est ex se necessarius. Deindè: ex responsione sequitur: Deum non esse Deum, & summe perfectum, si formica, vel musca possibilis non esset, quod ita est durum, vt aures id audire exhorrescant: nulla ergo est prædicta responsio.

23 *Respondet Lezana.* Respondet Lezana ad hoc evitandum absurdum, quod si vna, vel altera creatura possibilis non esset, adhuc esset Deus; non verò si omnes essent impossibiles; quia Omnipotentia perit necessariò aliqua possibilia vagè, & indeterminatè; non verò hęc determinatè. *Contra.* Contra: necessitas vnius possibilis, tam participata, & dependens est à primo necessariò, quam necessitas totius vniversalitatis possibilium: ergo si hoc, vel illo possibili deficiente, non deficeret Deus, nec deficeret, deficientibus omnibus simul; quia semper Deus est magis necessarius, quam omnia simul possibilia.

24 *Respondet Fassolus.* Fassolus verò ad cohonestandum Jesuitarum responsionem, ait: quod æqualis necessitas Dei cum possibilibus est in diverso genere essendi; nam in Deo est necessitas in genere essendi actu, & independentiæ; in possibilibus est necessitas in genere essendi potentia, & dependentiæ; quarè est cum magna inæqualitate. *Contra.* Contra: iuxta hanc solutionem necessitas possibilium in statu possibilitatis, vel in genere essendi potentia, dependet à necessitate Dei in statu actualitatis, vel in genere essendi actu: ergo possibilia in statu possibilitatis non sunt æqualis necessitatis cum Deo in statu actualitatis: ergo non salvat æqualem necessitatem: ergo nec connexionem.

§. V.

Firmatur conclusio specialitèr contra Jesuitas.

25 *Probat. 4. concluſ.* PRobatur quartò conclusio: Omnipotentia nullam relationem realem dicit ad possibilia: ergo non connectitur cum illis. Consequentia est certa: nam ideò Jesuitæ statuunt connexionem, quia prædictam relationem admittunt. Antecedens probatur: Omnipotentia non dicit relationem prædicamentalem, nec transcendentalem ad possibilia: ergo Omnipotentia nullam relationem realem dicit ad possibilia. *Prob. antec. quoad 1. p.* Probatur antecedens quoad primam partem: relatio prædicamentalis est forma accidentalis, compositionem faciens cum illo, in quo est; sed hoc repugnat simplicitati Dei: ergo Omnipotentia non dicit relationem prædicamentalem ad possibilia.

26 *Prob. quoad 2. p.* Probatur antecedens quoad secundam partem, in qua Jesuitæ vim facere connantur: si Omnipotentia diceret relationem transcendentalem ad possibilia, Omnipotentia non esset magis necessaria in essendo, quam possibilia; sed hoc esse falsum, constat ex *§. anteced.*: ergo Omnipotentia non dicit relationem transcendentalem ad possibilia. Probatur maior: si Omnipotentia diceret prędictum respectum, deficientibus possibilibus, deficeret necessariò Omnipotentia: ergo si Omnipotentia diceret relationem transcendentalem ad possibilia, Omnipotentia non esset magis necessaria in essendo, quam possibilia. Antecedens claret: nam deficiente termino relationis transcendentalis, destruitur fundamentum illius, quia destruitur relatio, quæ identificatur cum illo. Imò hoc ab adversarijs conceditur. Consequentia probatur: id non est magis necessarium alio in essendo, quo deficiente, necessariò deficit; sed per te deficiente termino relationis transcendentalis, destruitur fundamentum illius: ergo si Omnipotentia diceret relationem transcendentalem ad possibilia, Omnipotentia non esset magis necessaria in essendo, quam possibilia.

27 *Confirmat.* Confirmatur efficacitèr nostra probatio quoad vtramque partem: sicut Omnipotentia explicatur per ordinem ad possibilia; ita scientia Divina per ordinem ad omne cognoscibile; immensitas per ordinem ad omne spatium; æternitas per ordinem ad omnem realem durationem, & sic de alijs; sed nulla ex his dicit relationem realem prædicamentalem, nec transcendentalem ad suum terminũ: ergo nec Omnipotentia ad possibilia. Minor claret: nam ante futuritionem erat Dei scientia; ante omne spatium, & durationem temporalem erat immensitas, & æter-

nitas. Maior, & consequentia tenent.

28 *Respondet Amicus.* His convictus Amicus respondet: quod etsi Deus sit absolutus ab omni ordine reali ad creaturas; non tamen est absolutus ab omni connexione creaturarum in statu possibilitatis; hocque non ob imperfectionem, & dependentiam à creaturis, quin potius ob summam perfectionem Dei, & dependentiam creaturarum ab ipso. *Contra:* connexio duorum est relatio inter illa; sed hæc nequit intelligi sine mutua dependentia vtriusque: ruit igitur tota Amici solutio.

29 *Dices cum Lezana.* Dices cum Lezana: hoc verum esse in creaturis, in quibus datur mutua dependentia; non verò in Deo, qui nullo modo à creaturis dependet; quare concludit, connexionem inter Omnipotentiam, & possibilia esse cum relatione reali, non quidem Omnipotentiæ ad creaturas, sed creaturarum ad Omnipotentiam. *Contra* 1. primò: nam ob independentiam Dei à creaturis non solum relegamus ab ipso relationem realem, vt claret ex dictis; verum etiam connexionem cum ipsis, vt constat ex antecedenti: implicat ergo in terminis Lezana. *Contra* 2. secundò: nam si relatio realis est tantum ex parte creaturæ, vt ait Lezana, hoc nos fatemur, & ex hoc inconnexionem deducimus: ergo nulla est responsio ipsius.

30 *Dices.* Dices: Omnipotentia nequit concipi saltim quietativè sine possibilibus: ergo dicit relationem ad illa. *Respondeo.* Respondeo distinguendo cõsequens: dicit relationem secundum esse, nego consequentiam; secundum dici, concedo consequentiam. Cum igitur relatio secundum dici primariò aliquid absolutum importet, & secundariò habitudinem, vel connotationem ad aliud; hinc Omnipotentia primariò aliquid absolutum importat, & secundariò connotationem ad possibilia, non ob relationem realem fundatam in Omnipotentia; sed ob dependentiam essentialem creaturarum à Deo, vt à primo ente.

31 Quarè absolutè loquendo, implicantibus creaturis, adhuc Deus esset Omnipotens saltim fundamentalitèr, quoad sufficientiam. in actu primo, vel signato ob eius perfectionem absolutam, quæ nata est fundare respectum rationis ad creaturas, si possibiles forent, vt docet Scotur *in* 1. *dist.* 35. 36. & 43. & convincit paritas de scientia Dei, immensitate, & æternitate ex dictis *num.* 27.

Probatur quintò conclusio: sine connexione essentiali cum possibilibus salvatur intrinsecus conceptus Omnipotentiæ: ergo Omnipotentia quoad sufficientiã, fundamentalitèr, in actu primo, vel signato, non connectitur cum possibilibus. Probatur antecedens: conceptus intrinsecus Omnipotentiæ est non repugnantia ex se ad continendum, & producendum omne possibile sub conditione, quod sit possibile; sed sic salvatur sine connexione prædicta: ergo sine connexione essentiali cum possibilibus salvatur intrinsecus conceptus Omnipotentiæ. Minor tenet: nam non repugnantia ad continendum, & producendum omne possibile sub conditione, quod possibile sit, salvatur sine eo, quod detur possibile, vt claret in scientia Dei respectu futuri, in immensitate respectu spatij, & æternitate respectu durationis.

32 *Probat. 5. concluſ.*

Maior verò, in qua est tota difficultas, & quam Jesuitæ negant, probatur primò: conceptus intrinsecus scientiæ Divinæ est non repugnantia ex se ad cognoscendum omnia sub conditione, quod sint scibilia. Item: Conceptus intrinsecus immensitatis est non repugnantia ex se ad existendum substantialitèr omni spatio sub conditione, quod sit. Deniquè: conceptus intrinsecus æternitatis est non repugnantia ex se ad coexistendum omni durationi sub conditione, quod sit: ergo similitèr: conceptus intrinsecus Omnipotentiæ est non repugnantia ex se ad continendum, & producendum omne possibile sub contione, quod sit possibile.

33 *Maior difficultatis prob.* 1.

Probatur secundò dicta maior: continere omnia possibilia independentèr ab alio, ex hypotesi, quod dentur, est conceptus virturis infinitæ productivæ; sed hac salva, salvatur conceptus intrinsecus omnipotentiæ: ergo idem, quod anteà. Probatur maior: posse producere independentèr ab alio omnia possibilia, ex hypotesi, quod sint possibilia, est conceptus suprà omnem virtutem finitam possibilem; ab intrinseco enim repugnat creaturæ talis virtus; sed virtus possitivè excedens omnem virtutem finitam, est infinita: ergo continere

34 *Probat.* 2.

omnia possibilia independenter ab alio, ex hypotesi, quod dentur, est conceptus virtutis infinitæ productivæ.

35 *Probat. 3.* Probatur tertiò dicta maior: Omnipotentia ex se etiam est Omnipotentia respectu impossibilium; sed non continet absolutè impossibilia, sed conditionatè, scilicèt, sub conditione, quod essent possibilia: ergo idem, quod prius. Maior claret primò: quia Omnipotentia est virtus ad omnia saltim quantum est ex se. Secundò: quia omniscientia ex se est virtus ad numerum infinitum futurorum, & actualium, qui est impossibilis, similitèrque de immensitate, & æternitate respectu spatij, & durationis infinitæ, quæ repugnant. Minor conceditur ab omnibus adversarijs. Consequentia est legitima.

36 *Dices 1.* Dices primò: quod omnipotentia dicitur talis, quatenus actu continet omnia possibilia. *Contra:* Deus non dicitur omniscіens, quia præcisè sciat omnia, quæ de facto sunt scibilia, sed etiam, quia ipsi non repugnet scire infinita futura, & actualia, si scibilia essent, & similitèr de Immensitate, & æternitate: ergo paritèr de Omnipotentia. *Dices 2.* Dices secundò: sufficere ad conceptum intrinsecum Omnipotentiæ, quod nullum sit possibile ex his, quæ de facto dantur, quod ab Omnipotentia non habeat esse. *Contra,* & efforma replicam cum prædictis instantijs de scientia, Immensitate, & æternitate.

37 *Dices 3.* Dices tertiò: quod est maxima disparitas inter scientiam Divinam, & Omnipotentiam: nam scientia Dei (idem est de Immesitate, & æternitate) non facit sua obiecta cognoscibilia, saltim futura, & actualia, consequentèrque salvatur per non repugnantiam prædictam; at Omnipotentia facit sua obiecta, consequentèrq; salvari nequit per prædictam non repugnantiam, sed per absolutam continentiam.

38 *Contra.* Cæterum hæc disparitas argumentum non soluit; imò nobitèr contra ipsam insurgo: quidquid convenit Divinæ scientiæ ad illam salvandam, requiritur proportione servata ad Dei Omnipotentiam; alioquin non ita esset Omnipotens, ac omniscіens; sed per te scientia Divina, quia non est factiva suorum obiectorum, se extendit conditionatè ad impossibilia, scilicèt, infinita futura: ergo quia Omnipotentia est factiva suorum obiectorum, se extendit absolutè ad impossibilia: ergo absolutè potest impossibile facere; sed hoc per vos repugnat: ergo repugnat, quod Omnipotentia non salvetur per prædictam non repugnantiam.

39 Vlteriùs comprimo adversarios: Inquiro: ex quo provenit, quod non dentur plura possibilia, quam illa, quæ de facto dantur? Vel est, quia alia vltrà hæc, nò erant possibilia; vel quia Omnipotentia non fecit plura? Si primũ: ergo dantur possibilia, quæ ex se sunt possibilia, quod est nostrũ intentum. Si secundum: quarè Omnipotentia non fecit plura, si ex parte creaturarum non erant repugnantia, nec non repugnantia? Respondeant adversarij.

40 Denique: licèt verum sit, Omnipotentiam esse virtutem absolutam factivam possibilium, loquendo de possibilitate phisica, seu obiectiva, vel ad existere; falsum tamen est, esse talem virtutem, loquendo de logica possibilitate; nam hanc non habent res ab Omnipotentia; sed ex se ipsis formalitèr, & principiativè ab intellectu Divino, ex dictis in methaphisica, & *tom. 1. in 1. Sent. disp. 26. num. 46.* Quarè priùs est, rem esse logicè possibilem, quam quod possibile respiciat Omnipotentiam, & consequentèr Omnipotentia est virtus possibilium sub conditione, quod sint possibilia.

41 *Prob. vltimo conclusio.* Probatur denique conclusio, & simul confirmatur tota hæc doctrina: ita se habet bonum, vel malum respectu voluntatis, sicut possibile, & impossibile respectu Omnipotentiæ: ergo sicut priùs est, quod obiectum non implicet malitiam, quam quod Deus possit illud amare; ita priùs erit, quod obiectum non implicet contradictionem, quam quod possit illud facere: ergo conceptus intrinsecus Omnipotentiæ est non repugnantia ex se ad continendum, & producendum omne possibile sub conditione, quod sit possibile. Alias probationes pro nostra conclusione assignavimus *tom. & disp. citat. §. 9.*

Vide *tom. 1. in 1. Sentent.*

§. VI.

Solvitur duplex argumentum Rivadeneiræ.

42 *Objicies 1.* OBijcies primò cum Rivadeneira: eo ipso, quod Deus sit verus

Deus, & ſumme neceſſarius, habet prædicata ex ſe interentia per optimam conſequentiam, Petrum v. g. eſſe poſsibilem: ergo connectitur cũ Petri poſsibilitate. Probatur antecedens: Deum eſſe Deum verum, & ſumme neceſſarium, dicit hæc duo prædicata, primum eſt poſsibilitatis, vt coexiſtat Petro, ſi ſit hoc animal rationale, contradictionem non implicans; ſecundum eſt impoſsibilitas, vt coexiſtat Petro, ſi ſit binarium contradictorium; ſed hæc duo prædicata ex ſe ipſis inferunt, Petrum eſſe poſsibilem: ergo eo ipſo, quod Deus ſit verus Deus, & ſummè neceſſarius, habet prædicata ex ſe inferentia per optimam conſequentiam Petrum eſſe poſsibilem.

43 *Prob. min.* Minorem probat Rivadeneira varijs inſtantijs, & hac præcipuè: poſsibilitas ad aliquod ſub vna conditione, & impoſsibilitas ad idem ſub alia conditione, neceſſariò infert diſtinctionem inter talia extrema: ergo poſsibilitas Dei ad coexiſtendum Petro ſub conditione, quod ſit hoc animal rationale, & impoſsibilitas ad coexiſtendum ſub conditione, quod ſit binarium contradictorium, neceſſariò inferunt diſtinctionem Petri, vt eſt hoc animal rationale, ab ipſo, vt eſt binarium contradictorium. Suſſummo.

44 Atqui Petrus, vt eſt hoc animal rationale, eſt Petrus ſub ſua diffinitione expreſſus, & vt eſt binarium contradictorium, eſt impoſsibile ſua diffinitione ſignificatum: ergo illa Divina prædicata de ſe inferunt diſtinctionem Petri ab impoſsibili; ſed nihil aliud intelligimus nomine poſsibilitatis Petri, quam eius diſtinctionem ab impoſsibili: ergo illa Divina prædicata ex ſe ipſis inferunt, Petrum eſſe poſsibilem.

45 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò ad argumentum, negando antecedens, & minorem probationis; ad cuius probationem diſtinguo antecedens: poſsibilitas ad aliquod ſub vna conditione, & impoſsibilitas ad idem ſub alia conditione, neceſſariò inferunt diſtinctionem inter talia extrema abſolutè, nego antecedens; conditionatè, concedo antecedens, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Concedo ſuſſumptam, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Diſtinguo etiam ſimilitèr minorem ſequentem, & conſequens; quatè nihil contra nos.

46 *Reſpond. 2. retorquẽdo argum.* Reſpondeo ſecundò, retorquendo argumentum: in Deo eſt poſsibilitas, vt coexiſtat Petrò exiſtenti, ſi ſit hoc animal rationale exiſtens ſine cõtradictione, & impoſsibilitas, vt coexiſtat Petro, ſi eius exiſtentia implicat contradictionem; & ab oppoſito: in Deo eſt impoſsibilitas, vt coexiſtat hyrcocervo, ſi eius exiſtentia implicat, & poſsibilitas, ſi eius exiſtentia non implicat; atqui hæc prædicata inferunt neceſſariò, Petrum eſſe exiſtentem, non verò hyrcocervum: ergo Deus neceſſario connectitur cum exiſtentia Petri, & cum non exiſtentia hyrcocervi, quod eſt contra Rivadeneiram. Maior eſt ipſius. Minor probatur eo modo, quo ipſe minorẽ argumenti probat. Item: fiat retorſio de ſcientia Dei reſpectu futuri; Immenſitate reſpectu ſpatij; æternitate reſpectu durationis; vt habetur *num.* 27. & fiant retorſiones illæ cum ipſis terminis Rivadeneiræ. Item: argumentum æquè probat: Deum connecti cum poſsibilitate, ac cum impoſsibilitate, quod eſſe falſum, conſtat ex dictis *num.* 16.

47 Itaquè verum eſt, quod in Deo ſint poſsibilitas, & impoſsibilitas ad coexiſtendum Petro cum ſuprà dictis conditionibus; imò hoc eſſe verum, quin de facto detur Petrus poſsibilis, diſtinctus actu, & abſolutè ab impoſsibili; ex quo variæ contra Rivadeneiram inſtantiæ fieri poſſunt.

48 *Obijcies 2. ex eodem.* Obijcies ſecundò ex eodem: Deus ex ſuis prædicatis habet poſſe producere Petrum; non verò impoſsibile: ergo Deus ab intrinſeco exiſtere nequit ſine diſtinctione Petri ab impoſsibili: ergo nec ſine Petri poſsibilitate. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Deus ex ſuis prædicatis habet poſſe producere Petrum abſolutè, nego antecedens; ſub conditione, quod non implicet, concedo antecedens, & diſtinguo ſimilitèr conſequens. Itaq; ex poſſe, & non poſſe Dei, non infertur poſsibilitas, vel impoſsibilitas Petri abſolutè; iſtæ namq; inferuntur ex compoſsibilitate, vel incompoſsibilitate prædicatorum ipſius Petri ex dictis in Methaphiſica.

Reſpondeo.

49 *Retorqueo argum.* Retorqueo etiam argumentum: Deus ex ſuis prædicatis habet poſſe amare amorem actualem Petri circa

ip-

ipsum, & non posse amare odium actuale in ipsum: ergo Deus ab intrinseco existere nequit sine distinctione amoris actualis eliciti à Petro circa Deum ab odio actuali in Deum: ergo nec sine existentia prædicati amoris: ergo connectitur cum tali amore, quod negat Rivadeneira. Item: fiant suprà positæ retorsiones.

50 *Replicabis.* Replicabis: Divina sufficientia ad producendum Petrum ex intrinsecis habet, compleri in ratione potentiæ absolutæ ab eo, quod Petrus ex suo conceptu formali sit hoc animal rationale, non implicans contradictionem: ergo etiam habet Divina sufficientia ex intrinsecis non posse reddi absolutam potentiam productivam Petri ab eo, quod Petrus ex conceptu suo contradictionem implicet; sed ita posse reddi absolutam à Petro primo modo, & non posse à Petro secundo modo, sunt prædicata intrinseca Omnipotentiæ, quæ stare non possunt sine distinctione Petri ab impossibili: ergo nec sine Petri possibilitate.

51 *Respondeo.* Hæc replica patitur retorsiones factas. Respondeo ergo concedo antecedens, & consequentiam, distinguoque secundam partem sumptæ: quæ stare non possunt sine distinctione actuali, & absoluta Petri, nego minorem; sine conditionata, concedo minorem, & nego consequentiam. Alia sunt argumenta desumpta ex infallibilitate scientiæ Dei, & ex perfectionibus voluntatis Divinæ, quæ idem sumunt principium, scilicet, quod Deus ratione infallibilitatis suæ scientiæ, & volitionis potest hoc, & non potest aliud, supponendo, quod illud posse non potest Deo convenire sine distinctione possibilis ab impossibili, ex quo inferunt connexionem cum possibilitate. Hæc igitur argumenta similitèr solvuntur, & retorquentur.

Alia argumenta similitèr solvuntur.

§. VII.

Argumenta Quiros solvuntur.

52 *Arguit. 1.* PAter Quiros *in 1. part. D. Thomæ, tract. 4. de Scientia Dei, disp 41. sect. 1.* Arguit primò: Deus essentialitèr fundat possibilitatem creaturæ: ergo connectitur cum illa. Antecedens probat sic primo: Deus absolutè fundat repugnantiam alterius Dei, peccati Divini, mendatij, & aliorum: ergo similitèr è contra. Probat secundò antecedens: ita Deus dicit esse maiorem alio, sicut non habere aliud æquale; sed ratione huius negationis fundat Deus absolutè repugnantiam alterius Dei: ergo ratione illius maioritatis fundat absolutè possibilitatem alterius à se. Probat tertiò: ita potentia infinita dicit terminū producibilem, ac infinita perfectio repugnantiam alterius Dei, peccati, &c; sed hoc dicit absolutè infinita perfectio: ergo Deus essentialitèr fundat possibilitatem creaturæ.

53 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad primam probationem nego consequentiam. Disparitas est ipsa, quam assignavimus *num.* 19. Ad secundam distinguo maiorem: ita, & eodem modo, nego maiorem; ita, & diverso modo, concedo maiorem, & nego consequentiam. Ratio est: nam Deus dicit esse maiorem alio, sub conditione, quod sit aliud ex *num.* 5. & 6. at Deus dicit absolutè negationem æqualis, vt ad primam dixi probationem. Ad tertiam similitèr distinguo maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam.

54 *Arguit. 2.* Arguitur secundò ex eodem *citat. num.* 3: ad efficaciam Divinæ voluntatis pertinet, non solum, quod illam sequatur effectus, si non fuerit impossibilis, sed etiam tollere, seu purificare hanc conditionem, idest, tollere, quod nihil ei sit impossibile: ergo perfectio Omnipotentiæ affert, non solum posse omnia, si sint possibilia, sed etiam affert simplicitèr, nihil ei esse impossibile. Probatur antecedens: ad infinitam perfectionem Dei spectat, non solum quod habeat sanctitatem, si hæc non fuerit impossibilis, sed etiam tollere talem impossibilitatem: ergo similitèr. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad probationem nego paritatem ob dicta *num.* 19. 45. 47 & §. 5. *à num.* 32.

55 *Arguit. 3.* Arguitur tertiò ex eodem: licèt homo posset conditionate creare Angelum, sub hypotesi, quod Angelus esset ab illo creabilis, tamen homo est simplicitèr impotens ad illum creandum, quia non affert prædictam hypotesim: ergo Omnipotentia debet afferre conditionē possibilitatis omnium. Probatur antecedens: licèt Deus posset mentiri, si mendatium Divinum esse possibile, tamen hoc

sim-

simplicitèr repugnat Deo, quia Deus non affert hanc conditionem: ergo à simili.

56 *Respondeo.* Respondeo negando antecedentis causalem: quia ideo est simplicitèr impotens, quia ex se repugnat creare iuxta dicta §. 5. *à num.* 32. Ad probationem distinguo antecedens: licèt Deus posset mentiri, si mendatium Divinum esset possibile, tamen hoc simplicitèr repugnat Deo, quia Deus non affert illam conditionem præcisè, nego antecedens; quia illam non affert, & alioquin affert impossibilitatem illius conditionis ratione summæ veracitatis Divinæ, concedo antecedens; hæc enim est ratio, cur Deo repugnet mendacium ex dictis *num.* 19; quarè, nego consequentiam ob rationem datam. Respondeò clariùs, negando antecedens: nam ratio, ob quam Deo repugnat mendatium, est, quia necessario affert identitatem cum summa veracitate.

Clariùs respondeo.

57 *Replico pro ipso.* Replico pro ipso: si homo afferret prædictam hypotesim (similitèr de Deo) homo esset simplicitèr potens ad creandum Angelum, & Deus ad mentiendum: ergo ideò homo est simplicitèr impotens ad creandum, & Deus ad mentiendum, quia non afferunt prædictam hypotesim. Respondeo primo distinguendo antecedens: quia affert prædictam hypotesim præcisè, nego antecedens; quia ex se haberet talem potentiam, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est: nam esse simplicitèr potens constituitur per virtutem ex se sufficientem, independentèr ab hoc, quod talis virtus afferat conditionem possibilitatis effectus, vt claret exemplo Solis respectu vacui, scientiæ Divinę, immensitatis, &c. vt diximus *num.* 33. Similitèr esse simplicitèr impotens constituitur per hoc, quod ex se repugnet, præscindendo ab hoc, quod afferat impossibilitatem effectus, vt constat in homine respectu creationis Angeli.

Respond. 1.

58 *Respond.* 2. Respondeo secundò concedendo antecedens, & negando consequentiam: est enim mala, sicut ista: *Si homo esset albus, esse coloratus: ergo ideò non est coloratus, quia non est albus*; non alia ratione, nisi quia afferre prædictam conditionem, vel non afferre, non est causa præcisa potentiæ, vel impotentiæ, sicuti albedo non est causa præcisa colorati. Respondeo tertiò retorquendo: Sol non affert possibilitatem passivæ illuminationis in vacuo; & tamen est simplicitèr potens, quantum est ex se, ad illud illuminandum: ergo non ideò homo est simplicitèr impotens ad creandum, & Deus ad mentiendum, quia non afferunt prædictam hypotesim. Simile fac argumentum in scientia Divina, immensitate, & æternitate.

Tertiò.

59 *Replico iterum pro ipso.* Replico iterum pro ipso: afferre prædictam hypotesim est saltim causa illativa potentiæ: ergo illam non afferre est causa saltim illativa impotentiæ. Consequentia patet ex illo axiomate: *Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.* Respondeo primo distinguendo antecedens: afferre prædictam hypotesim est saltim causa illativa præcisè, nego antecedens; supponens causam præcisam, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia axioma tantum tenet in causis præcisis. Respondeo secundò negando consequentiam, vt in *num. anteced.* ex quo retorque instantiam.

Respond. 1.

Secundò.

60 *Arguit.* 4. Arguitur quartò ex eodem *citat. num.* 4: Deus in se est talis entitatis, vt si homo sit possibilis, sit ab ipso factibilis, quin Deo noba virtus, vel perfectio accrescat: ergo nunc præhabet absolutè hominem: ergo semper præhabebit: ergo fundat hominis possibilitatem. Antecedens, & prima consequentia, sunt certa. Secunda verò probatur: in casu possibilitatis hominis, entitas Dei præhabet hominem; sed entitas Dei semper est eadem: ergo Deus semper præhabebit hominẽ.

61 *Confirm.* 1. Confirmatur primò ab ipso: implicat, quod sit talis effectus, quin sit talis perfectio causæ: ergo implicat, quod manente eadem perfectione causæ, quam postullat effectus, effectus non sit præhabitus in tali causa; sed entitas Dei semper manet eadem: ergo semper præhabet effectus. Confirmatur secundò: virtus causæ est eminentèr ipse effectus: ergo identificatur cum illo: ergo semper illum præcontinet.

Secundò.

62 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum, negando secundam consequentiam, ad probationem distinguo minorem: entitas Dei semper est eadem fundamentalitèr, quoad sufficientiam, concedo minorem; formalitèr, quoad

effi-

efficatiam, nego minorem, & consequentiam. Constat solutio ex *num.* 6. & 7. Ad primam confirmationem distinguo similitèr minorem. Ad secundam distinguo consequens primum: ergo identificatur cum illo, sumpto secundum esse virtuale, concedo consequentiam; quia sic est ipsa causa, & de hoc non est dubium; capto secundum esse formale, nego consequentiam.

Ad 1. confirmat.

Ad 2.

63 *Arguit. 5.* Arguitur quintò ex eodem *citat. num.* 5: Si Deus in se haberet esse hominem, vel prædicata hominis, connecteretur cum illo; sed Deus in se habet esse hominem: ergo Deus connectitur cum possibilibus. Hanc rationem fundat Quiros (meo videri) in eo, quod possibilitas creaturæ sit, vel Omnipotentia, vel aliquod aliud prædicatum Divinum; ipsamque vocat evidentissimam, sicque confirmat: implicat, ponere hominem impossibilem, & non ponere impossibilia illa prædicata Divina, quæ præcontinebant hominem possibilem. Item: implicat, ponere Chymeram possibilem, & non ponere ex parte Dei prædicata peculiaria, quibus sit eminentialitèr Chymera: ergo Deus connectitur cum possibilibus.

Confirmat.

64 *Respond. ad argum.* Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: si Deus in se haberet absolutè esse hominem, vel prædicata hominis, connecteretur cum illo, concedo maiorem; si haberet conditionatè, nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Deindè falsum est, quod aiebat Quiros de possibilitate creaturæ ex dictis *num.* 1. Ad confirmationem nego vtrumque antecedens; quia possibilitas. vel impossibilitas creaturæ, non oritur ex Deo, sed ex ipsa creatura ex dictis in Methaphisica; quarè sivè possibile fiat impossibile, sivè è contra, semper stabit eadem invarita Omnipotentia quoad absolutum, seu fundamentalitèr; licèt diversa formalitèr.

Ad confirm.

65 *Arguit. 6.* Arguitur sextò ex eodem *citat. num.* 6: Essentia Divina secundum omnem suum conceptum continet eminentèr perfectiones hominis: ergo & hominem. Probatur consequētia primò: ideo de facto continet hominem, quia excedit perfectionem hominis; sed secundum quemcumq; conceptum excedit; ergo essentia Divina secundum omnem suum conceptum continet eminentèr hominem. Secundò: causam continere eminentèr effectum, non est aliud, quam esse tantæ, ac talis perfectionis sic proportionatæ; sed sic est Deus: ergo idem, quod anteà. Tertiò: si in Deo esset entitas proportionata conceptui Chymeræ, Deus esset potens ad Chymeram; sed in Deo est proportionata perfectio homini producendo: ergo continet hominem.

66 *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: essentia Divina secundum omnem suum conceptum continet absolutè perfectiones hominis, nego antecedens; sub conditione, quod sit homo, concedo antecedens; & distinguo similitèr consequens. Ad primam probationem consequentię distinguo maiorem: ideò de facto continet hominem, quia excedit præcisè perfectionem hominis, nego maiorem; quia excedit, & quia supponit esse hominem, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & distinguo consequens, vt supra. Ad secundam distinguo maiorem: dato, quod sit effectus, concedo maiorem; si non sit, nego suppositum; quia tunc non est continentia, sed virtus ex se contentiva. Ad tertiam distinguo maiorem: dato, quod esset Chymera, concedo maiorem; si non esset, subdistinguo: esset potens conditionatè, concedo maiorem; absolutè, nego maiorem; distinguo minorem: si sit homo producendus, concedo minorē; si non sit, nego minorem, & distinguo consequens, vt suprà.

67 *Arguit. 7.* Arguitur septimò ex eodem *citat. num.* 7: Deus in se habet non esse, nec posse esse Chymeram; sed si homo non esset possibilis, Deus esset Chymera: ergo Deus affert hominis possibilitatem. Probatur minor: scientia intuitiva, & vera de homine impossibili est Chymerica; sed si homo esset impossibilis, Deus secum identificaret illam scientiam: ergo si homo non esset possibilis, Deus esset Chymera. Probatur maior: impossibilitas hominis est Chymerica: ergo scientia intuitiva, & vera de homine impossibili est Chymerica. Hoc argumentum, ait Quiròs, est sophisticum. Respondeo distinguendo antecedens: impossibilitas hominis est Chymerica, non facta suppositione de eius impossibi-

Respondeo.

sibilitate, concedo antecedens; facta tali suppositione, vt facit ipse Quiros in argumento, nego antecedens, & distinguo similiter consequens.

§. VIII.

Alia argumenta Jesuitarum solvuntur.

68 *Arguit. 8.* ARguitur octavo: creaturæ in Deo sunt ipsa creatrix essentia: ergo sunt æqualis necessitatis cum Deo. Confirmatur: idem est: lapidem non esse possibilem à Deo fieri, ac Deum non posse facere lapidem: ergo sunt æqualis necessitatis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens argumenti: creaturæ secundum esse virtuale sunt ipsa creatrix essentia, concedo antecedens, sed de hoc non est quæstio; secundum esse formale, nego antecedens, de hoc est dubium, & distinguo similiter consequens. Ad confirmationem, vel nego antecedens; quia Chymera non est impossibilis, quia Deus non potest facere ipsam, sed quia ipsi deest potentia passiva, vt producatur, quod claret exemplo Solis, gratiæ, scientiæ, &c. ex quo fiat retorsio. Vel distinguo antecedens: idem est: lapidem non esse possibilem à Deo fieri, ac Deum non posse absolutè formaliter facere lapidem, concedo antecedens; conditionatè, nego antecedens, & distinguo similiter consequens.

69 *Arguit. 9.* Arguitur nono: possibilitas creaturæ, vel concipitur, vt quædam denominatio à Divina Omnipotentia, vel vt non repugnantia ad esse; sed vtroque modo est æqualis necessitatis cum Deo: ergo Deus connectitur cum possibilibus. Probatur minor quoad primam partem: tanta est necessitas denominationis, quanta formæ denominantis: ergo si concipitur vt quædã denominatio, est æqualis necessitatis cum Deo. Probatur quoad secundã: creatura habet ex se talem non repugnantiam: ergo si cõcipitur possibilitas vt non repugnantia ad esse, etiam est æqualis necessitatis cum Deo.

70 *Respondeo.* Respondeo concedendo: possibilitatem creaturæ vtroque modo posse explicari, cum hoc tamen discrimine, quod possibilitas logica, & intrinseca est illa non repugnantia; physica, obiectiva, & extrinseca, idest, ad esse simpliciter, vel existere, explicatur per denominationem à Divina Omnipotentia. Nego tamen minorem. Ad probationem primæ partis, distinguo antecedens: tanta est necessitas denominationis, quanta est formæ denominantis reduplicativè, vt denominantis, concedo antecedens, quia sic passiva, & activa denominatio sunt correlativa; specificativè, nego antecedens, quia sic est ipsa Omnipotentia; & distinguo similiter consequens. Ad probationem secundæ partis distinguo antecedens: creatura habet ex se, & à se, illam non repugnantiam, nego antecedens; ex se, & ab alio, concedo antecedens, & nego consequentiam. Patet solutio ex dictis in Methaphisica de possibilitate creaturarum.

71 *Dices 1.* Dices primò: antequam producatur creatura in esse cognito à Divino intellectu, vel est possibilis, vel est impossibilis? Si primũ: ergo ex se, & à se, habet impossibilitatẽ logicam, & consequenter ruit prædicta responsio. Si secundum: ergo sibi repugnat poni in esse possibili, quod est falsum. *Respondeo.* Respondeo: quod ante Divinam cognitionem nullum esse habent creaturæ, vt docet Scotus *in 2. dist. 1. quæst. 1. numer. 12.* quia ex ipso non priùs habent esse intelligibile, quam intellectum, & constat ratione: nam illud esse, vel haberent à se, vel à Deo? Non primum; alioquim non esset creatura. Non secundum; quia ante Divinam cognitionem nulla datur potentia productiva. Concluditur ergo, quod ante cognitionem Divinam creatura nec est possibilis, nec impossibilis.

72 *Impugnat. responsio.* Sed contra: possibilia habent esse formale ante Divinam cognitionem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: possibilia priùs sunt intelligibilia, quam intellecta: ergo habent esse formale ante Divinam cognitionem. Consequentia est evidens in doctrina Scotistarum, & iuxta solutionem traditam. Antecedens verò probatur: possibilia sunt actu intellecta: ergo priùs sunt intelligibilia, quam intellecta. Probatur consequentia: ex eo, quod detur actu intellectum, sequitur, quod sit priùs intelligibile; sed iuxta concessa possibilia sunt actu intellecta: ergo priùs sunt intelligibilia, quam intellecta. Probatur maior: ex eo, quod detur actu intelligens, sequitur, quod sit priùs intellectivum:

er-

ergo ex eo, quod detur actu intellectum, sequitur, quod sit priùs intelligibile. Consequentia claret: nam sicut esse actu intellectum sequitur ad esse intelligibile; ita actu intelligere sequitur ad esse intellectivum, & è contra. Antecedens verò est generalis omnium Scotistarum doctrina; est namque fundamentum, quo probant, & nos probabimus *quæst.* 13. §. 3. dari in Deo intellectum per modum actus primi.

73 *Respondeo ad impugnationem.* Respondeo ad replicam, negatis negandis, negando paritatem vltimæ probationis. Disparitas est: nam cum non sit dabilis potentia intellectiva, quæ constituatur per intellectionem; repugnat namque intellectio, quæ ab intellectu non sit egressa; hinc est, quod ex eo, quod detur actu intelligens, sequitur, quod sit priùs intellectivum. Ast, cum detur aliquid, nempè, possibile, quod constituatur per esse cognitum, hinc est, quod ex eo, quod detur actu intellectum, non sequatur, quod sit priùs intelligibile; cum constitutum non sit prius constitutivo; ex qua disparitate fiat contra replicam retorsio.

74 *Dices. 2.* Dices secundò: creaturæ ante Divinam cognitionem habent esse virtualitèr, & radicalitèr in essentia Divina ob eius eminentialem continentiam; sed hoc sufficit, vt dicantur logicè possibiles: ergo creatura ex se, & a se, habet possibilitatem logicam. *Respondeo.* Respondeo negando minorem: quia esse rei virtuale, & radicale in causa non est aliquod esse formale, & proprium rei, sed est esse ipsius causæ, vt patet de esse caloris in Sole.

75 *Arguit. 10.* Arguitur decimò: ita se habet potentia factiva ad factibile, sicut visiva ad visibile; sed hæc nequit concipi sine obiecto visibili: ergo nec illa sine termino factibili. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem: nam potentia visiva dicit ordinem transcendentalem ad suum obiectum, & consequentèr dependet ab illo in existendo; at potentia factiva non dicit talem repectum ex §. 5.

76 Alia plura sunt argumenta, quę connexionem probant, quia convincere volunt: Deum dicere relationem realem ad creaturas; contra quæ stat Scotus *citat. num.* 7. Qui voluerit ea singularitèr conspicere, videat Fabrum *in* 1. *dist.* 30. *disp.* 50. Mastrium *disp.* 8. *de prædicamentis, quæst.* 5. *art.* 1. Et præcipuè Scotum *citat.* Hic autem in communi assignabo, quia hoc sufficit pro nunc.

77 *Assignantur alia argum. in cõmuni.* Quædam sunt ex paritate creaturarum, ad quæ omnia respondetur, negando paritatem: nam in creaturis ob earum limitationem est capacitas ad prædictas relationes; in Deo autem ob eius simplicitatem, immutabilitatem, & necessitatem est obex. Quædam sunt ex eo, quod Deus sit realitèr creator, Dominus, &c. Ad quæ satisfit, dicendo: quod ad hoc sufficit, Deum esse verum, & realem terminum relationis creaturę, quia Deus non est creator intrinsicè, & subiectivè, sed extrinsicè, & terminativè, vt claret instantia vnionis humanitatis ad Verbum.

78 Quædam denique procedunt ex eo, quod in Deo sint relationes causæ, & effectus; diversitatis, & similitudinis, quæ, quia sunt primi, & secundi modi relativorum, sunt mutuæ. Ad quæ respondeo: quod si relationes primi, & secundi modi differunt precisè à tertiò, quia in hoc non est mutuitas; benè verò in illis; omnes relationes Dei spectant ad tertium modum ex Scoto *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 5. Et *dist.* 35. Si autem spectant ad primum, & secundum modum, nego has præcisè distingui à relationibus tertij, quia in illis est mutuitas, & non in istis, sed in hoc, quod in tertiò nunquam sunt mutuæ; in alijs verò aliquando, licèt non semper, & hæc est sufficiens distinctio.

79 *Dices.* Dices contra hoc: æqualitas in Divinis secundum Scotum est relatio realis: ergo & inæqualitas inter Deũ, & creaturas. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam: quia æqualitas in Divinis stat cum necessitate, & simplicitate Divinarum personarum, quę referuntur; non verò inæqualitas Dei ad creaturam; quarè hæc non est relatio realis in Deo. Cœtera omnia, quæ contra nostram conclusionem militare possunt, soluta vide in nostro *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disput.* 26. §. 10. 11. & 12. Vide *tom.* 1. *in* 1. *Sentent.*

§. IX.

Occurritur cuidam argumento difficili.

80 *Arg. deniq;* ARguitur deniquè: Scotus *quodlib.* 8. §. *de* 3. *artic.* ℣. *Aliter potest*

di-

dici, hæc habet verba: *Necessarium à se non necessariò coexigit aliquod aliud in esse reali; licèt coexigat aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto*: ergo connectitur cum possibilibus; nam Deus cum possibilibus connecti, nihil aliud est, quam possibilia coexigere.

81 Hoc argumentum proposui *tom. 1. in 1. Sent. disp. 26. num. 193.* ad illudque hic repetendum moveor, tum vt Mastrij solutionem impugnem; tum, vt solutionem ibi à me traditam sufficientem non esse, ostendam; tum denique, vt Scoti mentem aperiam, & litteralis sit ad mentem Magistri solutio.

82 *Respondet Mastrius.* Hoc argumentum sibi obiecit Mastrius *in 1. disp. 4. quæst. 1. num. 6.* ad ipsumque respondet: Scotum ibi ad secundam obiectionem sibi factam triplicem assignare solutionem, ex quibus tertia, quam magis approbat, est: quod alio modo est necessarium illud, quod necessariò requiritur, & hoc, sivè præexigatur, sivè coexigatur ad esse necessarium à se; & alio modo est necessarium illud, quod ad esse necessarij consequitur, quo tantum modo est necessaria creatura in esse cognito, & possibili; nam præexigentia dicit quamdam prioritatẽ; coexigentia simultatem; consecutio verò posterioritatem, & cum longè maior sit necessitas illius, quod ad esse Dei requiritur, sivè præexigitivè, sivè coexigitivè, quam illius, quod necessario consequitur, & concomitatur, qualis est creatura in esse cognito, & possibili; nunquam concedit Doctor, creaturam in esse possibili requiri, sivè coexigi ad esse Dei; alioquim Deus non esset magis necessarius, quam creatura in esse possibili, quod est falsum.

83 *Impugn. 1.* Hæc tamen solutio mihi omninò duplicet, & sic eam impugno primò: hæc Mastrij solutio est omninò voluntaria: ergo ruit. Probo antecedens: hæc Mastrij solutio fundatur in eo, quod eam Scotus magis approbet; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probo minorem: nullum est verbum in prædicta Scoti solutione, ex quo Mastrius inferat, nec inferre posset, hanc tertiam solutionem Scotum magis approbare: ergo, &c. Consequentia est legitima. Antecedens autem probo primò; verba Scoti transcribendo: *Tertiò modo posset dici, quod alio modo est necessarium illud, quod necessariò requiritur, & hoc, sivè præexigatur, sivè coexigatur ad esse necessarij: alio modo est necessarium illud, quod ad esse necessarij necessario consequitur.* Hæc sunt Scoti verba duntaxat. Vndè ergo infert, vel inferre potest Mastrius, hanc solutionem præ alijs magis Scotum approbare? Falsa igitur est solutio, & omninò voluntaria.

Probat. 1. anteced.

84 *Secundò.* Probatur secundò idem antecedens: Scotus hanc tertiam solutionem incipit his verbis: *Tertiò modo posset dici*; sed his eisdem verbis incipit primam, & secundam solutionem: ergo nullum est verbum, &c. Consequentia est legitima. Maior constat ex textu, & ex textu etiam probatur minor: nam Scotus primam solutionem incipit his verbis: *Ad secundum potest dici*; & his verbis incipit secundam: *Aliter potest dici*: ergo eisdem verbis, quibus incipit tertiam solutionem, incipit primam, & secundam.

85 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: nam dato, & nunquam concesso, quod tertiam solutionem magis Scotus approbet, non respondet Mastrius ad argumentum: ergo nulla est illius solutio. Probo antecedens: solutio tertia solum potest deservire ad argumentũ, quod sibi fecit Scotus; sed argumentum, quod nos facimus, & Mastrius sibi fecit, non est argumentum quod sibi fecit Scotus: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior evidens, & minor notoria; nam argumentum, quod nos facimus, & Mastrius sibi fecit, est secunda Scoti solutio ad argumentum, quod sibi fecit Scotus: ergo argumentum, quod nos facimus, &c.

86 *Tertiò.* Impugno tertiò: argumentum à nobis factum, & quod sibi fecit Mastrius, procedit ex secunda solutione ad argumentum, quod contra se obiecit Scotus; sed tertia Scoti solutio ad hoc argumentum nequit esse solutio ad argumentum, quod ex secunda Scoti solutione facimus, & Mastrius sibi fecit: ergo non respondet Mastrius ad argumentum. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur primò: quia solutio tertia ad argumentum, quod contra se obiecit Scotus, est solum ad tale argumentum solutio. Secundò: quia argumentum, quod contra se obiecit Scotus, est valdè diversum ab argumento, quod ex secunda Scoti solu-

tio-

tione nos facimus,& Mastrius sibi fecit. Tertiò : quia Scotus per tertiam solutionem non respondet ad secundam solutionem. Deniquè : nam argumentum , quod ex secunda Scoti solutione nos facimus,& Mastrius sibi fecit , non est argumentum , quod contra se obiecit Scotus : ergo tertia Scoti solutio ad argumentum , quod contra se obiecit Scotus , nequit esse responsio ad argumentum , quod ex secunda Scoti solutione nos facimus, & Mastrius sibi fecit ; alioquim responderet Scotus ad non obiectum.

87 *Quartò.* Impugno quartò : licèt creatura in esse cognito, vel possibili sit necessaria consecutivè , & concomitantèr ad esse necessarij à se iuxta tertiam Scoti solutionē , negare nequit Mastrius, quod iuxta secundam Scoti solutionem sit necessaria coexigitivè, seu quod necessarium à se coexigat creaturam in esse cognito, & diminuto; atqui hoc est argumentum , quod nos facimus,& Mastrius sibi fecit: ergo cum ad hoc nullatenus respondeat,non respondet ad argumentum, quod sibi fecit,& nos facimus. Maior constat ex textu. Minor claret ex argumento facto, quod est idem, quod sibi fecit Mastrius. Consequentia evidentèr apparet ex ipsa Mastrij solutione.

88 *Quintò.* Impugno quintò : Scotus in tertia solutione à Mastrio relata , & à nobis transcripta *num.* 83. non loquitur de necessitate creaturæ possibilis : ergo solutio Mastrij non est ad rem. Probo antecedens: Scotus in tertia solutione loquitur de necessitate respectus Dei ad creaturam: ergo, &c. Antecedens patet primo : quia argumentum procedit de necessitate talis respectus, vt claret ex ipso ℣. *Item.* Secundò: quia prima,& secunda solutio locuntur de tali respectu, vt constat ex ℣. *Ad secundum*, & ℣. *Alitèr potest dici.* Tertiò: quia argumentum procedit contra rationem factam ; sed ratio facta ab Scoto est , quod talis respectus non potest esse necessarius à se: ergo solutio ad argumentum , probans , talem respectum esse necessarium à se , debet loqui de tali respectu , alioquim, non esset ad argumentum solutio. Totum patet ex littera textus Scoti.

89 *Sextò.* Impugno sextò : solutio Mastrij fundatur in eo , quod creatura in esse cognito, & possibili consequitur , & concomitatur ad esse necessarij Dei, ideoque est minus necessaria , quam Deus , & consequentèr hic cum illa inconnexus; atqui, quod esse necessarium possibilium consequatur, & cōcomitetur ad esse necessarij Dei, non obest, vt Deus cum illis connectatur: ergo nulla est solutio Mastrij. Probo minorem : respectus Dei , vt intelligentis ad possibilia intellecta , est necessarius , & consequens , vel concomitans ad esse necessarij possibilium; sed hoc non obest , vt talis respectus connectetur cum possibilibus , vt intellectis: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est clara , & Scoti; alioquim Deus non necessariò intelligeret possibilia , quod est falsum. Minor patet : quia termino deficiente , deficit relatio , vt est vniversalitèr verum.

90 *Solutio data tom.* 1. Visa iam , & relecta Mastrij solutione, mea solutio data *tom. citat.* fuit: Scotum loqui de necessariò à se in actu secundo ; non verò in actu primò; quia loquitur de respectu Dei, vt intelligentis ad creaturam intellectā, & de respectu Dei,vt creativi ad creaturam vt creabilem , vt constat ex textu *citat.* ℣. *Item contra rationem factam obijcitur.* Et licèt aliqualem replicam ibi contra solutionem hanc obieci , in prædicta solutione steti , & rationem iuxta litteram Scoti dedi. Cœterum re maturiùs cogitata, videtur mihi , plenè , & planè non satisfacere. Vndè.

91 *Reijcitur.* Sic contra ipsam arguo : Scotus loquitur de necessariò à se in actu primo: ergo nulla est solutio. Probo antecedens : Verba Scoti sunt hæc: *Necessarium à se non necessariò coexigit aliquod aliud à se in esse reali, licèt coexigat aliquod aliud in esse cognito , vel esse diminuto*; atqui falsa sunt hæc verba, si Scotus loquitur de necessariò in actu secundo: ergo,&c. Probo minorem : necessarium à se in actu secundo, ita coexigit aliquod aliud à se in esse cognito , & diminuto , ac in esse reali: ergo , &c. Consequentia infertur. Antecedens verò est manifestum; quia necessarium à se in actu secundo , ita connectitur essentialitèr cum aliquo alio à se in esse cognito, & diminuto, ac in esse reali , vt ab omnibus Scotistis supponitur , & claret in Omnipotētia,vt producente creaturā in esse reali , quæ cū illa connectitur.

92 *Respondeo.*

Fateor: hanc replicam vim aliquam facere; sed nullatenus obstat nostræ traditæ solutioni. Respondeo itaquè, negando antecedens, ad cuius probationem explico Scotum: *necessarium à se* in actu primo, *non necessariò*, &c. nego maiorem; in actu secundo, subdistinguo: *necessarium à se*, de quo non loquitur Scotus, omitto maiorem; de quo Scotus loquitur, scilicèt, de respectu Dei, vt intelligentis, & creativi, concedo maiorem; & hac subdistinctione, distinguo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem minoris, distinguo antecedens: necessarium à se in actu secundo, de quo loquitur Scotus, ita coexigit, &c. nego antecedens; de quo non loquitur Scotus, concedo antecedens, & distinguo consequens distinctione data.

93 *Explicatur*

Itaquè, licèt sit aliquod necessarium à se in actu secundo, quod coexigat aliquod aliud à se in esse reali, vt claret de Omnipotentia, vt producente creaturam in esse reali; tamen necessarium à se, de quo hic loquitur Scotus, licèt coexigat aliquid aliud à se in esse cognito, vel diminuto; non tamen in esse reali; quia tale necessarium à se est respectus Dei, vt intelligentis, & creativi ad creaturam intellectam, & vt creabilem, quæ est tantum creatura possibilis.

94 *Contra.*

Contra: ergo loquitur Scotus de necessariò à se in actu secundo: ergo necessarium à se, de quo loquitur Scotus, coexigit aliquod aliud à se in esse cognito, vel diminuto. Totũ est concessum, & est Scoti *citat.* infero nunc: ergo magis necessarium in actu secundo connectitur essentialitèr cum minus necessariò. Si hanc consequentiam concedis, infero: ergo falsificatur maxima illa Scoti: *Magis necessarium nequit connecti cum minus necessariò.* Si illam negas, illam sic probo: si magis necessarium in actu secundo requirit, & coexigat minus necessarium, magis necessarium in actu secundo connectitur essentialitèr cum minus necessariò; sed magis necessarium in actu secundo requirit, & coexigit minus necessarium: ergo, &c. Maior est certa: nam data præexigentia, vel coexigentia alicuius ab aliquo, sine hoc nequit illud esse, & consequentèr connectitur cum illo.

Minorem probo: quod est necessarium à se in actu secundo est magis necessarium, quam illud, quod non est necessarium à se; sed quod est necessarium à se in actu secundo requirit, & coexigit, quod non est à se necessarium: ergo magis necessarium in actu secundo requirit, & coexigit minus necessarium. Probo minorem: respectus Dei, vt intelligentis ad creaturã intellectam, & respectus Dei, vt creativi ad creaturam vt creabilem, est necessarius à se in actu secundo; atqui vterque respectus requirit, & coexigit, quod non est necessarium à se: ergo, &c. Maior est Scoti expressa *quodlib. & §. citat. ℣. Aliter potest dici*, vbi hęc habet verba: *Deus est sic necessariò intelligens creaturam, & causativus creaturæ, quod vtrumque istorum formaliter dicitur aliquid necessarium à se, prout à se excludit causam.* 95 *Prob. min.*

Minor autem, in qua potest esse difficultas, probatur: vterque respectus requirit, & coexigit creaturam in esse cognito, vel diminuto; sed creatura in esse cognito, vel diminuto non est necessaria à se: ergo vterque respectus, &c. Consequentia est legitima. Minor ab omnibus Scotistis (Pontio excepto) fatetur. Maior verò pro secunda parte est Scoti *citat.* vbi loquens de prædicto respectu ait: *Nunc autem necessarium à se non necessario coexigit aliquod aliud in esse reali, licèt coexigat aliquod aliud in esse cognito, vel esse diminuto.* Pro prima est etiam Scoti *citat. ℣. Ad secundum*, vbi loquens de prædicto respectu, ait: *Illud necessarium non potest esse sine esse cognito cuiuscumque alterius, quia esse eius necessariò requirit cognitionem alterius, & perconsequens alterum in esse cognito, & consimilitèr est de esse possibili.* 96 *Min. prob.*

Ob hanc replicam, quæ in Scoti textu manifesta est, & omninò nostræ adversatur opinioni, quin solutio ad argumentum à nobis data *tom. suprà citat.* possit hic deservire; quia supposita illius veritate, procedit replica. Ob hoc ergo aliter mihi videtur esse argumento occurrendum, & sicut argumentum nititur in littera Scoti, ne nostra solutio voluntaria dicatur, litteralis erit ad textum Scoti solutio. 97

Respondeo itaquè ad argumentum positum *num.* 80: Scotum ibi permissivè tantum loqui; non verò assertivè, & ex propria mente. Si hoc 98 *Vera respons.*

est

est verum, verum est argumentum ruere, & locum replicas non habere. Quod igitur Scotus ita loquatur, probo primo: nam intentum Scoti *quodlibet. citat.* est, quod filius, vel Verbum Divinum nullam habeat causalitatem propriam respectu creaturæ, vt patet ex titulo quæstionis; & §. *de tertio artic.* assertivè tenet: quod nullus respectus ad creaturam potest per se includi in constitutivo personæ Verbi, quod ibi probat, & ad argumentum, quod in oppositum sibi obiecit, solvendum, permittit, quod respectus prædictus requirat, & coexigat aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto, quia hoc non est ad rem, de qua disputat; nam semel, quod non requirat, nec coexigat aliquid aliud in esse reali; salvat, & concludit suum intentum, nempè, quod nullus respectus ad creaturam potest includi in constitutivo personæ Verbi, quia quod sic inciuditur, debet esse reale.

Firmat. 1.

99 *Secundò.* Probo secundò: Scotus namque citatus, §. *de tertio artic.* assertivè ait: quod nullus respectus Dei ad creaturam inquocumque esse, potest esse necessarius à se, & rationem tribuens, eam evidentem assignat per hæc verba: *Quia nec terminus respectus potest esse necessarius sic*: ergo, quando in solutione ad argumentum in oppositū dicit, quod talis respectus est necessarius à se, loquitur dumtaxat permissivè ob rationem proximè allatam.

100 *Tertiò.* Tertiò deniquè idem probo: Si Scotus assertivè asserit, quod verum est apud ipsum, & apud omnes, scilicèt, quod respectus prædictus est ens rationis, habens esse per actum, quo intellectus Divinus comparat personas Divinas ad creaturam, & consequentèr non est à se, sed ab actu intellectus, quomodo Scotus, quin sibi expræssè contradiceret, & à veritate sua, & omnium deficeret, dicere posset assertivè, quod talis respectus erat necessarius à se? ergo quando id dicit, non assertivè, & ex propria mente, sed permissivè tantum loquitur. Omitto alia in textu, & contextu videnda, quia hæc clara, & clarissima sunt pro solutione argumenti suprà dicti.

101 *Solutio in forma.* Vndè ad argumentum in forma respondeo, explicando antecedens: necessarium à se coexigit aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto iuxta Scotum, permissivè loquentem, concedo antecedens; loquentem assertivè, seu ex propria sententia, nego antecedens; & distinguo consequens: ergò connectitur cum possibilibus, permissione ista suppositā, concedo consequentiam; in rei veritate, seu in sententia Scoti, vel non suppositā permissione prædictā, nego consequentiam. Hæc solutio est litteralis textui Magistri, & vltrà dicta clarissimè hoc ostendo.

102 *Declaratur solutio.* Scotus namque citatus intendit, quod nullus respectus ad creaturam potest per se includi in constitutivo personæ Divinæ Verbi, ob duplicem rationem. Prima est, quia quidquid includitur in persona Verbi, debet esse necessarium à se. Secunda est, quia debet esse reale, vt patet ex ab Scoto dictis §. *de 3. art.* Et hac doctrina dupli citèr respondet ad argumentū contra se factū. Primò: quia respectus Dei, vt intelligentis creaturam, & vt est creativi illius, vt creabilis, non est necessarius à se, vt patet ex verbis illius, ℣. *Ad secundum potest dici*, quæ sunt hæc: *Potest tamen personæ Divinæ competere aliquod cognoscere, vel aliquod posse, licèt illud* (ideſt prædictus respectus) *non sit necessarius à se, sicut nec terminus.* Ecce Scotum expræssè negantem, vt negatum habet, §. *de tertio artic.* quod prædictus respectus sit necessarius à se. Hæc est prima solutio ad argumentum contra se factum, & ad formam redacta, idem est, ac negare minorem.

103 In secunda autem solutione permittit, quod sit necessarius à se, & quod coexigat aliquid aliud in esse cognito, vel diminuto, vt apparet ex illius verbis immediatè antecedentibus: *licèt coexigat*; quia adhuc hoc permisso, talis respectus, non est necessarius à se in esse reali, & consequentèr salvat suum intentum, scilicèt, quod nequeat per se includi in persona Verbi; quia ad hoc erat necessarium, quod esset necessarius à se in esse reali, quod expræssè docet Doctor, ℣. *Alitèr potest dici*, & hæc est secunda ad argumentum solutio, per quam in forma potest distingui maior argumenti contra se facti. Et hanc esse mentem Scoti, à nullo, si Scotum legat attente, dubitari valet.

104 Sed hoc non obstante, pro maiori

nostræ solutionis intelligentia advertendum est, quod Scotus *citat. §. de tertio artic.* asserit, nullum respectum ad creaturam posse per se includi in constitutivo personæ Verbi; & vna ex rationibus, ab eo traditis, est, quia, quidquid per se includitur in persona Verbi, debet esse necessarium à se, quod non habet aliquis respectus ad creaturam.

105 Contra hanc itaquè rationem sic se arguit Scotus, ℣. *Item: Si verum sit hoc, quod accipitur in illa ratione, quod creatura in quocumque esse non est necessaria à se, nec per consequens quicumque respectus ad creaturam est sic necessarius; tunc sequitur, quod nec respectus Dei, vt intelligentis, ad creaturam intellectam, nec respectus eius, vt creativi, ad creaturam vt creabilem, sit necessarius à se; sed Deus nihil est formalitèr, & necessariò, nisi illud sit necessarium à se: ergo sequeretur, quod Deus non necessariò est intelligens creaturam, nec causativus creaturæ, quorum vtrumque est falsum.*

106 Ad hoc itaquè argumentum triplicitèr respondet Scotus, & tertia omissa, quia non necessaria, in forma respondet primò, ℣. *Ad secundum*, negando, quod talis respectus sit necessarius à se per hęc verba: *potest tamen personæ Divinæ competere aliquod cognoscere, vel aliquod posse, licèt illud non sit necessarium à se, sicut nec terminus.* Et quamvis hac solutione solutum sit directè argumentum, ad aliam progreditur solutionem, ℣. *Alitèr potest dici*, quæ sic se habet: *Alitèr potest dici, quod Deus est sic necessariò intelligens creaturam, & causativus creaturæ, quia vtrumque istorum formalitèr dicitur aliquod necessarium à se, prout à se excludit causam; sed non necessarium in esse reali; sed in aliquo esse diminuto: quidquid autem includitur in proprietate personæ, sic est necessarium à se, quia est in esse reali.*

107 Ecce Scotum in prima solutione negantem prædictum respectum esse necessarium à se; & in secunda hoc permittentem. Dicemus ergo Scotum tam proximè, & immediatè sibi contradicere? Neutiquam. Quid itaq; dicemus? Facilima est responsio. Quod in prima solutione dixit Scotus quod apud se, & apud omnes, est verum, scilicèt, quod talis respectus non est necessarius à se, quod idem dictum habebat, §. *de tertio artic.* & dictum manet *num.* 104. In secunda autem solutione loquitur permissivè, quia adhuc permisso, quod talis respectus esset necessarius à se, salvat suum intentum, nempè, quod non includatur per se in proprietate personæ, quia non esset necessarius à se in esse reali, quod erat necessarium ad prædictam inclusionem, vt probaberat etiam §. *citat.* Cum ergo argumentum contra nos factum *num.* 80. sumatur ex verbis, quæ tradit Scotus in secunda solutione, vbi permissivè tantum loquitur, optima est nostra solutio data *num.* 101.

108 Deniquè, vt hæc textualis solutio meliùs declaretur, & firma absquè dubio maneat, inquiro: vel Scotus pro ly *necessarium à se* intelligit Deum, seu aliquod reale Dei; vel intelligit respectum Dei, vt intelligentis, ad creaturam intellectam? Si primum. Dico, quod in verbis sequentibus, nempè: *Licèt coexigat aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto*, loquitur permissivè. Tum, quia non dicit absolutè, quod coexigat, sed cum adverbio *Licèt*, quod est permittere. Tum, quia hoc permisso, adhuc salvat suum intentum, ob dicta *num.* 103. & 107. Si secùndum. Dico, quod permissivè loquitur, appellando illum respectum *necessarium à se*, vt satis constat ex dictis; & hac permissione suppositа, concedo, quod talis respectus coexigit aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto, quia requirit creaturam in esse cognito, vt terminũ talis respectus, ex quo nihil contra nos. Primò, quia talem respectum connecti cum possibilibus, fatemur cũ omnibus. Secundò, quia nunquã deducitur, quod necessarium à se, quod in rei veritate sit tale, coexigat aliquod aliud in esse cognito, vel diminuto, quod ad connexionem cum illo erat necessarium.

109 Ex his habetur; solutionem à Mastrio traditam ad argumentũ ex Scoto obiectum, esse omninò voluntariã, & omninò invtilem. Cęterũ solutio nostra, quã dedimus *tom.* 1. *disp.* 26. *n.* 193. & 194. verám esse, & iuxta Scoti doctrinam, sed in illo sensu non esse sufficientem, ob replicam factam *n.* 93. Solutionem autem, quam in forma dedimus, esse genuinam Scoti mentem, contra quam (meo videri) nulla replica vi textus efformari valet.

EX

EX TRACTATU DE SCIENTIA FUTURORUM CONTINGENTIUM.

QUÆSTIO QUINTADECIMA.

An Deus certò, & infallibilitèr conditionata contingentia cognoscat ante decretum liberum suæ voluntatis?

HÆc est illa difficultas, quam *tom.* 1. *in* 1. *Sent. disput.* 35. proposuimus, & quia difficultas non erat inter Thomisticam, & Scoticam Scholam, ibi illam non pertractavimus; de illa autem nunc.

§. I.

Aperitur difficultas, & referuntur sententiæ.

Num. 1 *Sensus difficultatis.*

DEum cognoscere certò, & infallibilitèr futura conditionata diximus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disput.* 34 idque ibi ostendimus *num.* 24. ex Scoto; ex Scriptura *num.* 25. ex Patribus *num.* 28; & rationibus *num.* 29. 59. 60. & 61. Quo supposito, vt debet supponi in præsenti, ad disputandum venimus: An Deus futura prædicta cognoscat certò, & infallibilitèr ante decretum liberum suæ voluntatis? Quæ in hoc tractatu est difficultas præcipua.

2 *Amplius declaratur difficultas.*

Quæ vtiquè difficultas non est de scientia conditionatorum, dicentium naturalem connexionem cum conditione antecedenti, v. g. *Si Petrus fuerit homo, erit risibilis*, quia ista, certum est, quod possunt cognosci à Deo certò ante decretum suæ voluntatis, quia sunt propositiones æternæ veritatis, & sic à se habent necessariã veritatem cognoscibilem; ideò talem connexionem independentèr à decreto cognoscit Deus. Nec etiam est difficultas de futuris conditionatis disparatis, quia ista, si cognosci possunt, vt nos diximus *tom.* 2 *in* 1. *Sent. disput.* 34. §. *vltimo*, cognosci debent secundum omnes post decretum Divinæ voluntatis, vt Authores Societatis concedunt; quare tota difficultas est de futuris contingentibus conditionatis, seu liberis.

3 *Ratio dubitandi proponitur.*

Ratio autem dubitandi in hac maxima controversia sic proponitur: si Deus ante omne suum decretum de rebus, quomodolibet futuris, scit, quod futurum esset à libera creatura, si in his, vel illis antecedentibus circunstantijs poneretur, iam liberum nostrum arbitrium in suis liberis operationibus, sivè naturalibus, sivè supernaturalibus, se ipsum determinat ad volendum, vel nolendum; & non determinatur ad aliquod vnum istorum à Divina voluntate, decernente antecedentèr hoc, & non aliud, quod videtur error Semipelagianorum. Si verò è contra, id Deus scire non potest, nisi prius ipse efficacitèr statuat, vt liberum arbitrium ex pluribus oppositis, quæ potest facere, faciat vnum determinatum, & non aliud, iam creata voluntas liberè operabitur prædeterminata ab æterno à Deo extrinsicè, & consequentèr prædeterminata etiam intrinsicè in tempore per physicam aliquam qualitatem inhærentẽ; nonque ipsa voluntas se se determinabit, quod error vtiquè Calvinisticus iudicatur.

4

Hoc itaquè pro nunc relicto, & de quo *tom.* 2. *citat. disp.* 36. contra Ill. Godoy latè, & latissimè egimus, difficultas est tantũ in præsenti: An Deus cognoscat prædicta futura ante omne decretum suæ voluntatis? In qua difficultate duplex ex diametro versatur sententia. Prima in vniversum negat. Sic Thomistæ omnes, & omnes etiam Scotistæ paucis exceptis.

1. *Sentent. Thomistæ.*

Scotistæ.

5 2. Sentent. Authores Societatis.

Secunda absolutè affirmat. Sic Authores omnes Societatis dicunt: Deum cognoscere prædicta futura conditionata ante omne decretum suæ voluntatis; non tamen omnes concordant in medio, in quo Deus ea cognoscit ante tale decretum, quia aliqui dicunt: cognosci à Deo in causis secundis liberis supercomprehensis à Deo. Alij in propositionibus cõtradictoriè oppositis; & alij in eorum obiectiva veritate, quæ illis competit ante omne actuale decretum ex ordine ad existentiam pro futuro tempore habendam, si purificetur conditio; quod etiam ab aliquibus dicitur de futuris absolutis, censentibus etiam cognosci à Deo in se ipsis ante decretum de illorum futuritione.

6 Pontius. Faber. Cabellus.

Hanc Jesuitarum sententiam secutus fuit noster Pontius *disp. 5. num.* 28. Faber, & Cabellus, iudicantes, eam esse sententiam Scoti. Fundantur primo in hoc, quod Scotus *in 2. dist. 37. §. Ad solutionem istorum*, ait: *Quod voluntas Divina, quantum est ex se, daret rectitudinem actus, si voluntas creata vellet cooperari*: ergo ante decretum prævidit Deus secundum Scotum voluntatem esse, vel non esse cooperaturam, quod dicunt Jesuitæ. Secundò: quia Scotus *in 1. dist. 41. quæst. vnica, §. Primum istorum*, vbi de concordia Divinæ præscientiæ, & prædeterminationis cum libero arbitrio loquens, inquit: *Ideo ne scrutando, de profundo eatur in profundum, eligatur, quod magis placet, dum tamen salvetur libertas Divina sine aliqua iniustitia*: ergo dat Doctor licentiam Scotistis, vt hanc sententiam Jesuitarum sequantur. Ob hoc ergo mentem Doctoris declarare, necessarium videtur; pro quo sit.

§. II.

Aperitur mens Scoti.

7 Mens Scoti proponitur.

SCotus ergo, quidquid dicant Scotistæ prædicti, nullo modo admisit, futura conditionata à Deo cognosci ante decretum suæ voluntatis, quod probatur ex pluribus locis eius, in quibus apertissimè hoc impugnat, & præsertim *in 1. dist. 39. §. Viso de contingentia, & quodlib. 14. §. Hic intelligendum est*, vbi planissimè docet: propositiones omnes contingentes ante Divinæ voluntatis decreta nullam ex se habere determinatam veritatem, sed esse omninò neutras, indeterminatas, ac indifferentes.

8 Solutio ad locum 1. Scoti.

Nec loca opposita adducta à Pontio, & Cabello fabent ipsis. Non primum, quia ibi Scotus loquitur non de concursu exhibito, & in actu secundo; sed de concursu parato, & in actu primo, quem semper creata voluntas habet in promptu, vt possit eligere, quod placuerit, immo, & in sensu diviso oppositum eius velle, quod determinatum est; quod patet ex illis verbis Doctoris, quibus illam propositionem assumptam probat, dicens: *Vniversalitèr enim quidquid Deus dat antecedentèr, daret illud consequentèr, quantum est ex se, nisi esset impedimentum; dando autem voluntatem liberam, dedit antecedentèr opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis, & ideò quantum est ex parte sui dedit rectitudinem omni actui voluntatis*: Ecce quod loquitur de generali decreto habendi concursum paratum cum voluntate creata ad vtrumlibet, quod à Recentioribus dicitur decretum indifferens, non quidem per respectum ad actum in communi, sed per respectum ad duos actus particulares sub omnibus singularibus circunstantijs acceptos, ad quos indifferentèr se habet concursus Divinus paratus; non verò loquitur de particulari decreto circà hunc, vel illum actum in actu secundo, quod erat necessarium, vt eis faberet Scotus.

9 Solutio ad 2.

Nec minus Scotistis suffragari potest licentia Doctoris ab eis allata: nam ibi talis licentia datur à Doctore cum hac conditione, vt salvetur Divina libertas sine iniustitia; at cum tali opinione Jesuitarum non salvatur, quia iam tale futurum habet suam futuritionem independentèr à libertate Dei, quia independentèr ab omni eius decreto; nonque haberet Deus rationem primi liberi, sed secundi, quia ista causalis esset vera: ideò Deus vult hoc futurum, quia priùs, & antecedentèr voluntas creata vult, hoc ipsum esse futurum. Vndè Deus in modo illo determinandi futurum haberet rationem secundi liberi, & non primi. Tum, quia Doctor non dat facultatem ad hoc, vt dicamus, Deum cognoscere futura ante omne decretum, vel hoc negemus, sed ad hoc, quod affirmemus, vel negemus, prædestinationem esse ante prævisionem

me-

meritorum, quorum vtrumque ſubſtineri poteſt, negato, vel conceſſo, Deum cognoſcere futura ante omne decretum.

10 *Vera Scoti mens.*

Firmum ergo maneat apud Doctorem ſubtilem, Deum cognoſcere prædicta conditionata poſt aliquod decretum, ſaltim conditionatum Divinæ voluntatis. Quæ opinio iudicatur germana Scoti ab Smiſing, Vulpes, Felice, & Merinero. Nos etiam hoc iudicamus, licèt cum aliquo diſcrimine; ad cuius intelligentiam, noto; quod duplex decretum diſtinguimus in Deo: vnum abſolutum, tàm ex parte actus, quàm ex parte obiecti, quale eſt omne decretum, quo Deus decrevit res abſolutè futuras, v.g. *Volo Petrum cras diſputare in gimnaſio.* Alterum verò abſolutum quidem ex parte actus; conditionatū verò ex parte obiecti propter aliquam conditionem incluſſàm ex parte obiecti vt actus, v. g. quo diceret Deus: *Volo Perrum cras diſputare, ſi fuerit in gimnaſio*, vbi conditio non ſe tenet ex parte actus voluntatis concurrentis, ſed ex parte obiecti.

11

Dicimus itaquè: nullum futurum conditionatum liberum poſſe à Deo cognoſci certò, & evidēter ſub ratione futuri, niſi ſuppoſito in Deo decreto cōditionato prædiffiniente tale futurum ſub aliqua conditione incluſſa ex parte obiecti; quod quidem decretum non eſt ſubſequens determinationem creatam, vt Jeſuitæ ſubſtinent; nec eſt antecedens noſtram determinationem, vt Thomiſtæ affirmant, contra quos egimus *tom. 2. cit. diſp. 36.* nec eſt concomitans vſum libertatis noſtræ, quæ ſententia eſt cōmunis Scotiſtarum, & contra ipſos dicemus infrà *quæſt. ſeq.*

12

Ex quo conſtat primò: rationes dubitandi ſuprà poſitas *num. 3.* pro decreto antecedenti eſſe contra Thomiſtas, ponentes decreta antecedentia, & contra Jeſuitas, ſubſequentia decreta cognoſcentes; an verò ſit etiam contra Scotiſtas, admittentes decreta concomitantia ſolum, dicemus infrà.

13 *Litigium eſt contra Jeſuitas.*

Conſtat ſecundò: hic nos non litigare ſpecialitèr contra Thomiſtas, quia in eo, in quo noſtra opinio à ſua diſtat, diſputavimus *tom. & diſp. citat.* eſtque nobis litigandum contra Jeſuitas, ſeu Neutrales, intendique contra ipſos ſpecialitèr, Deum non cognoſcere futura dicta independenter ab omni decreto voluntatis, vt concedunt ipſi; & vt claritate procedamus in hac obſcura, & ardua difficultate.

14 *Opinio Jeſuitarum proponitur.*

Sciendum eſt, quod opinio hæc Jeſuitarum præcipuè fundatur in iſta propoſitione, quæ ſi falſa diceretur, vniverſa ceſſarent, propoſitio eſt, quod futura libera antecedentèr ad omne decretum voluntatis Dei habent, vel à ſe ipſis, vel cum dependentia à ſuis cauſis ſecundis, determinatam veritatem, vel falſitatem; quarè Deus certò, & evidentèr ante omne decretum cognoſcit, ea eſſe vera, vel falſa, aut in ſe ipſis, aut in propoſitione poſita, aut in determinatione voluntatis creatæ ſupercomprehenſa; eo modo, quo nos poſt decretum dicimus, certò cognoſcere, quia poſt illud habent talem veritatem, vel falſitatem Theologicè, & Philoſophicè. Si enim talia futura ante omne decretum habeant determinatam veritatem, vel falſitatem? Sivè antecedenter ad tale decretum futura ſint futura? habebunt certè determinatam veritatem, vel falſitatem, pro indeque erit opinio Jeſuitarum bona. Si non? Non habebunt determinatam veritatem, vel falſitatem, ideòque falſa eorum opinio, noſtraque vera erit. Hanc opinionem Jeſuitarum impugnat Ill. Godoy, reijciendo triplicem modum, quod dicunt Jeſuitæ, Deum cognoſcere prædicta futura conditionata, quod facit §. 2. 3. & 4. quæ in ipſo videnda omitto; à nobis autem impugnanda eſt Philoſophicè, & Theologicè. Pro quo. Sit.

§. III.

Opinio Jeſuitarum impugnatur Philoſophicè.

15 *Impugn. 1. opinio Jeſuitarum.*

IMpugnatur ergo primò prædicta opinio: ſi futura conditionata antecedentèr ad decreta Divina circà illa haberent eſſe determinatum, ratione cuius eſſent certò cognoſcibilia à Deo, vel haberent tale eſſe à ſe ipſis, vel ab aliqua cauſa extrinſeca. Non primum, quia eis non convenit determinata futuritio intrinſicè ex propria natura, aliàs non eſſent contingentèr, ſed potiùs naturali neceſſitate futura: ergo ſecundum: ergo vel talis cauſa eſt prima, vel ſecunda; non

ſe-

secunda, quia hæc est indifferens, & indeterminata, in quocumque rerum ordine constituatur, quia cum causa secunda operari nequeat sine subordinatione ad primam; sicut nequit intelligi actu operans sine prima causa secum cooperante; ita nequit intelligi actu operatura sine actuali decreto primæ causæ, quo vellit ei cooperari. Ergo est prima causa; sed clarũ est, futurum, non posse habere esse futurum à prima causa, nisi per actuale decretum subiectivè existens in Divina voluntate: ergo futura prædicta nec sunt, nec habent veritatem determinatam ante decretum conditionatum subiectivè existens in Divina voluntate: ergo Deus illa non cognoscit ante omne decretum.

16 *Confirmat.* Confirmatur: implicat effectum contingentem esse præsentem, nisi per dependentiam ab aliqua causa: ergo etiam esse futurum sine aliqua tali dependentia; cum idem sit esse rei præsentis, & futuræ: ergo si futurum conditionatum est effectus determinatè futurus, licèt sub conditione, ante decretum Dei re ipsa existens, hoc haberet præcisè ex sola determinatione causæ secundæ, quod implicat, quia sicut ob essentialem subordinationem ad primam nequit operari sine actuali concursu Dei, & exhibito, nec sufficit paratus concursus, quia hic spectat tantum ad actum primum; ita nequit se determinare ad operandum, nisi secum re ipsa se condeterminet causa prima; nec sufficit decretum paratum ex parte Dei, quia tale decretum spectat ad actum primum.

17 *Respondent Amicus, Pontius, & alij.* Respondent Amicus, Pontius, & alij Neutrales: argumentum, vel confirmationem, probare tantum: futura conditionata habere quidem determinationem, & esse futuri à decreto Divino; non tamen actu existente in Deo, seu subiectivè in Divina voluntate, sed quod esset, si conditio talis futuri conditionati poneretur in esse; hoc enim decretum, vt obiectivè repræsentatum Divino intellectui, est causa determinationis, seu veritatis determinatæ, quod habet futurum conditionatum ante omne decretum in Deo realitèr præexistens.

18 *Reijcitur 1* Hæc tamen respõsio falsa est. Primò: quia causa in actu, & effectus in actu, simul sunt ex 2. Philosophi; sed futurum conditionatum in esse futuri conditionati est effectus in actu, ideſt, actu habet ab æterno, & per totam æternitatem futuritionem conditionatam, & non posibilitèr tantum: ergo ab aliqua causa præsenti, & actu existente realitèr, & non obiectivè tantum, aut posibili, vel futura, debet habere determinationem futuri conditionati: ergo non sufficit dependentia à decreto ex hypotesi, quod, scilicèt, esset, si poneretur conditionalis futuri, sed debet antecedentèr ad talem futuritionem conditionatam poni decretum re ipsa existens subiectivè in voluntate Divina; & non tantum obiectivè in Divina mente.

19 *Secundò.* Item: quia decretum conditionatum non actu existens in Deo, sed quod esset, si conditio poneretur in re, non est sufficiens, dare determinationem futuro conditionatã, quod est ab æterno: ergo ruit solutio: Probatur antecedens: tale decretum quãdiu stat sub illa hypotesi, quod poneretur ex parte actus Divini, posita conditione ex parte obiecti, semper est nihil in re, etiam si ponatur, habere esse obiectivè in Divino intellectu: ergo vt sic nequit influere futuritionem, & determinatam veritatem in futurum conditionatum: ergo decretum, &c. Item: futurum conditionatum aliquid addit supra posibile: ergo in illo, quod addit, dependet non à posibili, vel à ponendo, sed ab eo, quod est, vel à decreto posito: ergo ruit responsio. Confirmatur: quia futurum absolutum supra posibile addit futuritionem, dependet non à decreto ponendo, sed à posito: ergo quia futurum conditionatum aliquid addit supra posibile, dependet non à posibili, vel ponendo, sed à posito decreto.

Tertiò.

Confirmat.

20 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: nullus effectus transire potest à statu purè posibilis, ad statum futuri, etiam conditionati, nisi per aliquam determinationem actu existentem in Deo: ergo nullus effectus cognosci potest, vt futurum, ante actuale decretum Dei. Antecedens probatur: quia Divina voluntas alitèr comparatur ad futurum sivè absolutum, sivè conditionatum, quam ad purè posibile: ergo non nisi per aliquam determinationem suam, quia Divina volun-

tas

tas de ſe omninò indifferenter ſe habet circa fore, vel non fore alicuius, quarè niſi determinetur ad fore huius effectus, non magis habebit rationem futuri, quam non futuri, eritque tantum poſsibile.

21 Stando ergo in principijs naturalibus, non video, cur non poſsit dici: hanc propoſitionem: *Si Petrus eſſet in gimnaſio, diſputaret*, conſideratam ante omne decretum Divinum, nullam veritatem, & nullam falſitatem dicere; clariùs: eandem propoſitionē non intelligi eſſe veram, vel falſam, quia habemus Divinæ durationis ſignum, aut rationis inſtans, pro quo plurimæ propoſitiones factæ à nobis nec ſint veræ, nec falſæ; quarè etſi Deus intelligeret eas, vel earum ſtatum pro illo inſtanti cognoſceret, vt ſunt in ſe, hoc eſt, veriſima cognitione perciperet illas, omni veritate, & omni falſitate illas deſtitueret.

22 *Dices.* Nec patiar illud argumentum phiſicum apponi, quo vti ſolent nonnulli, ſcilicèt, quod prædicta propoſitio; vel eſt vera, vel non vera? Alterum videtur dici debere ex illo principio per ſe noto: *quodlibet eſt, vel non eſt*, nam ex duabus contradictorijs altera debet concedi, & altera negari. Si dicatur primum, etiam ab æterno, & ante omne decretum fuit vera; ſi ſecundum, etiam ab æterno, & ante omne decretum fuit non vera, quia ante decretum conſiderata propoſitio poteſt quæri, an ſit vera, vel non? ergo futura libera antecedentèr ad omne decretum voluntatis Dei habent, vel à ſe ipſis, vel cum dependentia à ſuis cauſis ſecundis, determinatam veritatem, vel falſitatem.

23 *Contra.* Non, inquam, patiar hoc proponi argumentum, quia non meretur ſolutionem; eſt enim quoad ſpeciem aliquid; etſi benè examinetur, nihil, ſed quia ſæpè in libris legitur, & non pauci illo vtuntur, illud ſic deſtruo. Interrogo, an animal, quod eſt genus, & prædicatur de homine, & bruto, ſit rationale, vel irrationale, quia iuxta regulas contradictionis, quas argumentum ſequitur, debet dici, alteram ex his duabus eſſe veram: *Animal eſt rationale animal non eſt rationale*? Si prima, illud non prædicabitur verè de bruto; ſi ſecunda, non de homine: ergo nō prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, nonq; erit genus.

24 *Dices.* Dices: alium eſſe ſtatum exiſtentiæ, & alium præciſionis; in illo debere alteram ex contradictorijs eſſe veram; in hoc ab vtroque termino contradictionis præſcindi. Sic mihi tu, arguens, & benè: ergo dictum puta etiam tibi. *Reſpondet.* Dico enim, quod tu dicis, ſcilicèt, quod ante decretum Dei non debes ſignificare ſtatum realem futuri, quia nullum habet ante decretum, nec prioritatem rationis ratiocinatæ, quia nihil illius, vt futuri, concipitur exiſtere ante tale decretum, ſed prioritatem præciſionis, ſeu rationis ratiocinantis; ideòque idem eſt dicere ante decretum, ac præſcindendo à decreto.

25 *Firmatur ſolutio.* Quibus poſsitis reſponde mihi, quæſo, has quæſtiunculas: an Petrus, ſi præſcindimus ab omni qualitate, ſit albus? An, ſi præſcindimus à rationalitate, ſit admirativus? Reſpondebis primò, & benè: has quæſtiones clariùs, & meliùs proponi, ſi loco illius *ſit* ſcriberetur *intelligatur eſſe*, quia omnes pertinent ad præciſionis ſtatum, ad intellectionem, & non ad exiſtentiam. Reſpondebis ſecundò, & etiam benè, Petrum, præſcindendo ab omni qualitate, nec intelligi eſſe album, nec nigrum, quia albedo, & nigredo ſunt qualitates; idem dicis præſcindendo à rationalitate, quia admirabilitas ſequitur neceſſariò in quarto modo ad rationalitatem.

26 *Firmatur amplius.* Hinc ad rem venio, & tua doctrina vtor: futura ſunt ſic connexa cum libera Dei voluntate, quod ideò futura ſunt, quia Deus vult, quod ſint in aliqua differentia temporis, vel abſolutè, vel poſsita ex parte obiecti aliqua conditione: ergo præſcindendo à libera Dei voluntate, & volitione Divina, non poteſt intelligi ſtatus creaturæ futuræ, vt futuræ; nullaque debēt intelligi futura, vel non futura per ſtatum illum præciſionis, quia idem eſt præſcindere à Divino decreto, ac à creaturarum futuritione, & exiſtentia; quarè præſcindendo à decreto, idem eſt quærere: an prædicta propoſitio ſit vera, vel falſa; ac quærere, an præſcindendo à futuritione, & veritate, vel falſitate eius, ſit vera, vel falſa, quia hanc non habent ſine illo.

o)(o)(o

§. IV.

Opinio Jesuitarum impugnatur Theologicè.

27 *Reijcitur 1*

IMpugnata Philosophicè hac Jesuitarum opinione, Theologicè nunc reijcitur primò: ideò præcisè adversarij hanc præscientiam futurorum conditionatorum ante omne decretum excogitaverunt, vt conciliarent libertatem nostram cum certitudine Divinæ præscientiæ, & infallibilitate Divinæ providentiæ, ac efficacitate gratiæ, & prædestinationis; sed hoc non facit prædicta opinio: ergo ruit opinio Jesuitarum. Probatur minor: quod destruit vnum extremum, non conciliat illud cum alio extremo; sed prædicta opinio destruit vnum extremum, scilicèt, certitudinem Divinæ præscientiæ, infallibilitatem Divinæ providentiæ, ac efficacitatem gratiæ, & prædestinationis: ergo prædicta opinio non conciliat libertatem cum certitudine Divinæ præscientiæ, & infallibilitate Divinæ providentiæ, ac efficacitate gratiæ, & prædestinationis. Probatur minor: prædicta opinio ponit hæc ante omne decretum Divinæ voluntatis; sed ante omne decretum non potest esse certitudo obiecti decretati, quia non est obiectum decretatum, infallibilitas Divinę providentię, quia non consideratur ante omne decretum providentia, nec efficatia gratię, cum etiam ante velle Dei gratia efficax non sit, immo nec ipsa gratia: ergo prædicta opinio destruit vnum extremum, scilicèt, certitudinem Divinæ præscientiæ, infallibilitatē Divinæ providentiæ, ac efficacitatem gratiæ, & prædestinationis.

28 *Confirmat.*

Confirmatur: finis præcipuus opinionis contrariæ ipsa opinione frustratur: ergo ruit. Probatur antecedens: finis erat salvare nostram libertatem sine læsione; sed opinione eorum læditur libertas: ergo finis præcipuus opinionis contrariæ ipsa opinione frustratur. Probatur minor primò: in eorum opinione non nisi in his, vel illis circunstantijs posita voluntas consentiet, & posteà Deus determinat efficacitèr, quod consentiet in his, vel illis, non autem in omnibus: ergo in alijs circunstantijs voluntas nostra posita non consentiet, nequè poterit consentire: ergo lędi-tur libertas cum hoc modo dicendi. Probatur secundò: scientia Divina conditionata Jesuitarum circa meam operationem tollit libertatem: ergo opinione eorum læditur libertas. Probatur antecedens: auxilium conflatum ex gratia, & meo consensu tollit libertatem: ergo scientia Divina conditionata, &c. Probatur antecedens: id, quo stante, non stat operatio principalitèr libera, tollit libertatem; sed stante auxilio conflato ex gratia, & meo consensu, non stat operatio principalitèr libera: ergo, &c. Maior patet ab oposito. Minor probatur: si stante auxilio conflato ex gratia, & meo consensu, staret operatio principalitèr libera, operatio libera diceret magis principalitèr consensum voluntatis; sed per vos operario libera minus principalitèr solum dicit consensum voluntatis: ergo, &c. Hoc argumentum fundatur in hoc: quod Jesuitæ dicunt, quod auxilium efficax in actu secundo conflatur ex gratia, & nostro consensu; ita, quod principalitèr dicat gratiam, & minus principalitèr nostrū consensum; alioquim homo principalitèr à se converteretur, iustificaretur, & secerneretur, contra Apostolum, & fidem. Qua doctrina suppositā, argumentū vim habet: nam eo modo actus elicitus à voluntate est liber, quo voluntatis consensum in se inbibit: ergo si minus principalitèr, &c.

29 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundò: talia decreta conditionata, postquam Deus cognoscit futura; summæ Dei providentiæ; infinitæque perfectioni Divinæ voluntatis non repugnant, immo maximè congruunt: ergo ponenda sunt prædicta decreta actu existentia subiectivè in voluntate Divina: ergo ruit opinio Jesuitarum. Probatur antecedens: sicut Divinus intellectus ob suam infinitam perfectionem nequit circa aliqua futura conditionata manere suspensus, sed determinatè omnia illa cognoscit; ita paritèr Divina voluntas circa illa ob eandem perfectionem non manet suspensa, sed omnia determinatè decrevit: ergo talia decreta conditionata, postquam Deus cognoscit futura, summæ Dei providentiæ, infinitæque perfectioni Divinæ voluntatis non repugnant, immò maximè congruunt. Probatur hæc paritas: quia sicut esset maxima im-

perfectio Divini intelectus, manere circa illa ſuſpenſum, non determinatè omnia cognoſcendo; ita foret imperfectio Divinæ voluntatis, manere ſuſpenſam nihil de illis determinãdo.

30 *Dices.* Dices: non valere paritatem de intellectu, & voluntate, quia intellectus intelligere debet neceſſariò omnia intelligibilia, cum ſit potentia naturalis; non ſic voluntas tenetur tendere in omnia volibilia, cum ſit libera ad extra, alioquin ſequeretur, Deum non liberè habere decretum conditionatum. *Contra.* Contra: nam etiam ſi voluntas libera ſit, & indifferens ad volendum vnum ex oppoſitis per determinationem à ſe, ſic quod poſſit velle hoc, vel illud, vel nolle; non verò ſic libera eſt Dei voluntas, quod poſſit manere ſuſpenſa ſine determinatione aliqua, quia hoc derogat perfectionem determinationis à ſe, in quo ſtat perfecta libertas: ergo licèt ſit libera voluntas, & intellectus naturalis potentia, ratione perfectionis nequit manere ſuſpenſa circa conditionata ſine determinatione.

31 *Reijcitur 3.* Reijcitur tertiò: ex oppoſita ſententia ſequitur, vnum hominem ſe ipſum ab alio diſcernere in gratuitis contra Apoſtolum 1. ad Corint. 1. dicentem: *Qui gloriatur in Domino, glorietur; quis enim ſe diſcernet?* Probatur ſequela: nam in oppoſita ſententia ante omne decretum liberum Dei vnus prævidetur conſenſurus, ſi vocetur, alter non conſenſurus, ſi vocetur, & hoc pro ſua libertate: ergo ille ſe ipſum diſcernit ab iſto, cum ſupponantur ambo æqualiter vocati.

32 *Reſpondet Amicus.* Reſpondet Amicus negando ſequelam, quia prima radix diſcretionis vnius ab alio, eſt voluntas Dei præparantis auxilium congruum; hoc enim ipſo, quod Deus crearet hominem cum auxilio, cum quo prævisus eſt conſenſurus, prima radix futuræ diſcretionis eſſet Deus, nam illa gratia, cum qua prævisus eſt conſenſurus, non eſt illi debita, cum ſit extra ordinem naturæ.

33 *Contra.* Contra: in ſtatu conditionato Petrus prævidetur conſenſurus vocationi ante decretum Divinæ voluntatis, actu poſitum ſecundum ipſos etiam conditionatum, quia in eo ſigno adhuc non intelligitur Deus aliquid actu decreviſſe, neque de conſenſu futuro, neque de conditione antecedente, vndè ſequi debet conſenſus, quæ eſt gratia excitans, & prævenies: ergo talis gratia ſolum ex hypoteſi inferendâ nullum habere poteſt influxum, nec phiſicum, nec moralem in talem conſenſum prævisum, vt determinatè futurum, ſi Petrus vocabitur, cum de tali vocatione nullum adhuc pro eo ſigno ſtet actuale decretum: ergo quod vnus ſit conſenſurus, ſi vocabitur, & alter nõ, reducitur in eorum libertatem, tanquam in primam radicem, atque ita ſequitur, vnum ab alio ſe ipſo diſcerni, & proprijs liberi arbitrij viribus.

34 *Reſpondet Arriaga.* Reſpondet Arriaga: non debere attendi diſcretionem in ſtatu conditionato; ſed in ſtatu abſoluto, in quo præcipuè fit à Deo, quatenus dat Petro auxilium, quod ſciebat eſſe congruum, ſi daretur tali tempore, & occaſione, non autem Judæ. *Contra.* Contra: nam ſecundum hunc Authorem *diſput. 21. ſect. 6. num. 35*: ideò ſcit Deus illud auxilium in ſtatu abſoluto fore congruum Petro, non autem Judæ, quia in ſtatu conditionato prævidit illum conſenſurum, ſi tali tempore vocaretur, non autem Judam: ergo congruitas gratiæ tanquam ex prima radice attenditur ſecundum ipſum ex libertate Petri, qui per conſenſum prævisum conditionatè futurũ incohativè, & radicaliter ſe diſcrevit à Juda.

35 *Reijcitur 4.* Reijcitur quartò: Deus revelavit in Scriptura futura conditionata, vt vera, & certa infallibiliter ex dictis *tom. 2. in 1. Sent. diſp. 34.* ſed non habent veritatem infallibilem ratione connexionis inter effectum, & conditionem antecedentem: ergo habent illam ex voluntate Divina conditionatè decernente talia futura: ergo ſunt in Deo decreta conditionata actu poſita, à quibus dependeant in ſua infallibili veritate: ergo nequeunt ſic cognoſci à Deo ante omne decretũ.

36 *Confirmat.* Confirmatur, & augetur difficultas: nam iuxtà adverſarios plura futura conditionata diſparata habent veritatem determinatam ex Divino decreto actu poſito; nam hoc concedunt de illo futuro revelato 4. Reg. 13: *Si percuſiſſes, &c.* vt claret ex dictis *num. 2*: ergo etiam futura conditionata ordinata habent veritatem infallibilem ex Divino decreto actu poſito. Probatur conſequentia: ideò plura futura conditionata diſparata

habent veritatem determinatam ex decreto Divino actu posito, quia inter tale futurum, & conditionem antecedentem non est connexio aliqua ex natura rei, penès quam possit attendi certitudo effectus futuri; atqui inter futura conditionata ordinata, & conditiones antecedentes non est cõnexio ex natura rei, penès quam possit attendi infallibilis certitudo effectus futuri: ergo si iuxtà adversarios plura futura conditionata disparata habent veritatem determinatam ex Divino decreto actu posito, etiam futura conditionata ordinata habent veritatem infallibilem ex Divino decreto actu posito.

37 *Reijcitur.* Reijcitur quintò: futura conditionata cognoscuntur, vt dependentia à decreto Dei: ergo non cognoscuntur ante omne decretum. Probatur antecedens: talia futura cognoscuntur vt sunt; atqui dependent à decreto, vt sint; habent enim ab illo, quod sint futura: ergo futura conditionata cognoscuntur, vt dependentia à decreto Dei. Probatur minor: futura absoluta à decreto habent suã futuritionem absolutam: ergo dependent à decreto absoluto: ergo etiam conditionata in sua futuritione conditionata dependent à conditionato decreto. Probatur consequentia: futurum absolutum habet duas formalitates, scilicèt, formalitatem futuri, & absoluti; atqui qua futurum vt sic, dependet à decreto vt sic; & qua absolutũ, à decreto absoluto: ergo conditionatũ futurum, qua futurum vt sic, dependet à decreto vt sic, & qua conditionatũ, à conditionato.

Vrgetur. Item: hæc conditionata futura si cognoscuntur ante omne decretum, cognoscuntur vt non dependentia à Deo; atqui ipsa dependent à Deo: ergo conditionata in sua futuritione conditionata dependent à cõditionato decreto. Probatur maior: sic cognita non dependent à decreto absoluto Dei, nec à conditionato, vt claret; sed nec dependent ab Omnipotentia Dei (dato quod sit distincta ab ipsa voluntate) ergo hæc conditionata futura si cognoscuntur ante omne decretum, cognoscuntur vt non dependentia à Deo. Probatur minor: quia ex Omnipotentia solum inferuntur creaturæ possibiles: ergo futura conditionata non dependent ab Omnipotentia Dei.

38 *Respondeb.* Respondebis concedendo maiorem, & distinguendo minorem: futurum conditionatum non dependet à decreto posito, concedo minorem; ponendo, nego minorem. *Contra.* Contra: futurum conditionatum aliquid addit supra merè possibile; sed hoc, quod addit suprà possibile, non dependet ab Omnipotentia (ex conceptu enim Omnipotentiæ, vt diximus, solum inferuntur creaturæ qua possibiles) ergo dependent à decreto posito. *Respondeb.* Respondebis distinguendo maiorem: futurum conditionatum addit supra possibile aliquid positũ, nego maiorem; ponendum sub conditione, concedo maiorem; ideòque sufficere, quod dependeat à decreto sub conditione ponendo. *Contra.* Contra: futurum absolutum addit suprà conceptum rei purè possibilis conceptũ futuritionis absolutæ, & tamen non dependet à decreto ponendo, sed posito: ergo tametsi futurum conditionatum aliquid futurum addat suprà conceptum rei purè possibilis, debebit pendere à decreto posito. Probatur consequentia: sicut se habet futurum absolutum ad decretum absolutũ, ita & conditionatũ ad conditionatum; atqui futurum absolutum pendet, non quidem à decreto absolutè ponendo, sed absolutè posito: ergo conditionatum non pendebit à decreto conditionatè ponendo, sed conditionatè posito.

39 *Respondeb.* Respondebis negando maiorem: quia absoluta habent existentiam in aliqua differentia temporis; conditionata tamen non habent; cumque magis dependeant à Deo, quæ sunt, quam quæ non sunt; hinc fiat disparitas. *Contra.* Contra: ideò futurum conditionatum non dependet à decreto posito (sed si poneretur, dependeret) quia non est, sed esset; atqui futurum absolutum non est, sed erit: ergo non dependet à decreto quod est, sed quod erit, vel si res, quæ erit, non dependet à decreto, quod erit, sed ab eo, quod est; res etiam, quæ esset, non dependebit à decreto, quod esset, sed quod est.

40 *Respondeb.* Respondebis concedendo maiorem, tàm respectu Dei, quàm nostri, & distinguendo minorem: futurum absolutum non est, sed erit respectu nostri, concedo minorem; respectu

Dei, nego minorem; Deo enim nulla sunt futura. *Contra.* Contra: respectu Dei nulla sunt futura: ergo futurum conditionatum non dependet à decreto sub conditione futuro. Probatur consequentia: si in Deo essent decreta futura, iam respectu Dei essent futura; atqui secundum vos respectu Dei nihil est futurum: ergo futurum conditionatum non dependet à decreto sub constitione futuro.

41 *Respondeb.* Respondeo concedendo maiorem re, vel ratione; scilicèt, si in Deo essent decreta re, vel ratione futura, iam respectu Dei re, vel ratione essent futura; distinguitur minor: respectu Dei nihil est futurum re conceditur; ratione negatur; quia tametsi nihil sit verè futurum; nos fingimus esse futurum. *Contra.* Contra: vos fingitis decreta futura: ergo & futurum conditionatum pendere à decreto ficto, affirmatis: ergo verè non dependet à decreto futuro: ergo vel dependet à posito, vel non dependet à Deo.

42 *Respondeb.* Respondebis distinguendo antecedens: fingitur cum fundamento in re, conceditur antecedens; sine fundamento, negatur antecedens; & eodem modo distinguitur consequens. *Contra.* Contra: atqui nullum est fundamentum ad concipiendum illud futurum decretum: ergo illud fingitis sine fundamento Probatur minor: est repugnantia ipsis rebus: ergo nullum est fundamentum ad concipiendum illud futurum decretum. Probatur antecedens: conceptus Deitatis, & conceptus decreti ponendi, sunt incomposibiles: ergo est repugnantia ipsis rebus. Probatur antecedens: res ipsæ sunt incomposibiles: ergo & conceptus. Probatur consequentia: iste est bonus discursus: *Si paries realitèr haberet albedinem, conciperetur habere albedinem: ergo concipitur esse albus*: ergo etiam iste: si Deus realitèr haberet decreta realitèr futura, esset imperfectus, ideòque non Deus; at concipitur habere decreta futura: ergo concipitur esse imperfectus, ideòque concipitur, non esse Deum.

43 *Respondeb.* Respondebis concessa maiori, distinguendo minorem, scilicèt, concipitur Deus habere decreta futura præcisivè; non verò negativè; non enim est verum dicere in Deo: *Nunc non habet decretum*; *sed postea habebit*; nec est verum dicere: *Nunc concipitur carere decreto, quod posteà habebit*; sed nunc non concipitur habere decretũ, & posteà concipitur habere. *Contra.* Contra: atqui hæc solutio militat contra alias solutiones: ergo est nulla. Probatur minor: sæpissimè est assertum, futurum conditionatum dependere à decreto sub conditione futuro, & modo asseritis, mentem abstrahere ab illo futuro; at repugnat, quod res, quæ intelligitur dependere ab altera, intelligatur abstracta ab altera, hoc est, non intellecta altera: ergo dicta solutio militat contra alias solutiones.

§. V.

Jesuitarum argumentis occurritur.

44 *Arguit.* 1. ARguitur primò: vt aliquid sit sub conditione futurum, non est necessarium decretũ subiectivè existens in Deo; sed sufficit conditionata futuritio decreti cognita à Deo: ergo futurum sub conditione cognoscitur infallibilitèr à Deo cognitione antecedente omne decretum subiectivè existens exercitè in Deo. Antecedens probatur primò: nam existentia causæ sufficit, quod sit talis, qualis est existentia effectus; at effectus sub conditione futurus non existit de facto, sed existeret, si purificaretur conditio: ergo non requirit decretum actu existens, sed decretum, quod esset, purificata conditione. *Probat. 1. antecedens.*

Probatur secundò prędictum antecedens: futurum conditionatum non est aliquid prędens pro tunc futuritionis, sed quod esset, si conditio poneretur: ergo non requirit decretum existens, sed quod esset. *Secundò.* Tertiò: effectus futurus non solum à decreto libero dependet ab æterno, sed etiam à decreto in tempore conditionatè ponendo, sivè cum concursu simultaneo; at sub conditione quod sit futurum, nõ requirit prædictum concursum, vt de facto existens: ergo nec exiget actuale decretum ab æterno existens, sed extiturum, si ponatur conditio. *Tertiò.* Hoc argumentum non solum est contra futurum conditionatum, verum & cõtra absolutum, vt patet, quarè resolvendum erit doctrina communi ad omnia futura, & pro resolutione.

45 *Nota ante solutionem* Nota, quod arguens procedit in duplici suppositione falsa in nostra doctrina; supponit enim ex parte decreti non repugnare decreto Divino futuritio, quod nos negamus, quia

decreta Dei subiectivè accepta, sunt perfectiones intrinsicæ, operationesque essentiales Dei, quibus semper sic existere competit, quod futuritio ad existendum ab intrinseco repugnet. Ex parte item futuri supponit, futurum, vt futurum, dicere meram negationem existentiæ; nonque esse aliquid positivum à voluntate Divina productum, quod etiam in via Scoti non est verum, quia proportionalitèr loquendo sic philosophamus de futuris, sicuti de possibilibus, & sicuti dicimus, possibilia esse quid diminutum productum à Divino intellectu cum ordine ad Omnipotentiam; ita dicimus, vt iam diximus *tom. 2. in 1. Sent. disp. 33. §. 1. per totum, & præsertim num. 11*: futurum in se formalitèr esse quid reale diminutum productum à Divina voluntate cum ordine ad existentiam in hac, vel illa differentia temporis absolutè, vel conditionatè, vt futurum est; quibus suppositionibus falsificatis, facilitèr argumentum ruit.

46 *Respondeo ad argum. Ad 1. prob. anteced.*

Respondeo ergo negando antecedens, ad primam probationem distinguo maiorem: existentia causæ sufficit, si causæ non repugnat existentia talis, qualè habet effectis transeat maior; si repugnat ob suam infinitam actualitatem, nego maiorem; cum verò repugnet decreto Dei existentia sui effectus, scilicèt, esse in statu futuritionis, quia semper actu est; ideò non sufficit, vt futurum sit, decretum ponendum, seu futurum, sed requiritur existens. Distinguo minorem: effectus futurus non existit existentia reali simplicitèr, quæ est terminus actionis productivæ in tempore exortę, concedo minorem; existentia reali diminuta status futuritionis, nego minorem, & consequentiam; quia ad hanc requiritur in Deo causa actu existens subiectivè, scilicèt, decretum Dei; sicuti ad esse possibilium cognitio actualis, & non merè possibilis; si enim probaret aliquid argumentum, probaret, ad cognoscenda possibilia non requiri actualem cognitionem, sed sufficere possibilem.

47 *Ad secund.*

Ad tertiã.

Ad secundam probationem negatur, quod futurum, eo modo, quo est futurum, seu secundum suam essentiam, non sit aliquid actu prę sens modo explicato. Ad tertiam dicimus: quod effectus futurus non dependet à concursu Dei in tempore exercendo secundum statum futuritionis, sed secundum statum existentiæ, quam habituri sunt pro hac, vel illa temporis differentia; ob quod etsi sufficiat ad statum futuritionis concursus ponendus, & non requiratur actualis existentia eius, quia hæc solum, quando futurum sit existens extrà, requiritur; non sufficit decretum ponendum, sed requiritur existens, nam ab hoc dependet essentialitèr futurum, secundum quod est futurum.

48 *Retorqueo argum.*

Immo, si argumentum benè ponderetur, est contra adversarios, quod ita in forma retorqueo: effectus futurus, prout dependet à concursu Dei in tempore exercendo, scilicèt, quando fit in hac temporis differentia existens, requirit actualem concursum Dei existentem, sic, quod non sufficiat ei pro illo statu concursus ponendus: ergo futurus effectus, vt dependet à decreto ab æterno, seu secundum statum futuritionis, requirit actuale decretum existens in Deo subiectivè, vt ita sit futurus. Item: negatur paritas, nam concursus simultaneus non semper est; cum non sit quid intrinsecum Dei, sed ipse effectus in fieri; at decretum obiectivè consideratum semper debet esse, quia est quid intrinsecum Dei.

49 *Dices cum Bazquez, & Amico.*

Dices cum Bazquez, & Amico: decreta conditionata, si darentur, essent libera, ita quod potuerit Deus non habere illa: ergo non possunt esse in Deo, nisi ratione alicuius effectus ponendi, qui potuerit non poni; cum ex dictis nihil convenit Deo, quod non possit non convenire per terminationem sumptam ex effectu, qui potuerit non esse; aliàs esset Deus mutabilis intrinsicè; at per illa decreta conditionata nullus est ponendus effectus, alioquin essent decreta absoluta: ergo in Deo esse non possunt, quia cum non possint salvari per aliquam mutationem liberam in re volita, oportet ponere (ait Amicus) mutationem in Deo.

50 *Respondeo.*

Respondeo negando, non salvari mutationem liberam in ipsis futuris, quia Deus liberè ea vult ab æterno, ideòque succedit in eis ab æterno mutatio proportionata ipsis, quatenus ex vi decreti conditionati transeunt de priori statu possibilis puri, ad alium statum futuritionis, quæ est suf-

ficiens mutatio obiectiva in æternitate eis correspondens, vt salvetur transitus liber de contradictorio in contradictorium absquè aliqua intrinseca Dei mutatione. Instatur hoc in ipso decreto absoluto futuri absoluti, quod decretū liberè ab æterno est per mutationes futuri absoluti ab statu possibilitatis ad statū futuritionis.

Instatur.

51 *Obijcies 2. cum Arriaga.*

Obijcies secundò cum Arriaga: quia incredibile videtur, Deum de facto habere omnia decreta conditionata, quæ potest habere circà omnes conditiones in vi rerum serie possibilis, v. g. iam decrevisse Deum, si alius mundus esset, quod fuissent in eo tot folia arborum, tot guttę aquę, & sic discurrendo per infinitas convinationes, quia tot decreta videntur superflua, cum ad nullum finem sint necessaria. Respondeo: non magis absurdum, & incredibile esse, quod omnes illæ volitiones conditionatæ respectu futurorum conditionatorū, in quacumque serie convinabilium, in Divina voluntate reperiantur, quā quod omnes eorum cognitiones reperiantur in Divino intellectu, quarè cum has concedant adversarij de facto in Deo absquè vllo absurdo, & superfluitate, sic etiam concedere possunt & illas; sicut enim illud requiritur ad infinitam Dei scientiam; ita & hoc ad infinitam Dei providentiam.

Respondeo.

52 *Dices.*

Dices: quod huiusmodi decreta cōditionata sunt quędam velleitates; velleitas autem repugnat Deo, cum sit quidam actus imperfectus: non ergo sunt cōcedenda in Deo; vti cognitiones, quæ sunt perfecti actus. Respōdeo propriè loquendo: decreta conditionata velleitates dici non posse, quæ solent explicari per verbum *Vellem*; sed sunt voluntates absolutæ, & actuales ex parte subiecti, & tantum cōditionatæ ex parte obiecti; & licèt per comparationem ad decreta absoluta dici soleant velleitates; hoc tamen dicitur absquè vlla imperfectione in Deo, quia licèt velleitas, ex impotentia proveniens, imperfectionem dicat, sitque Deo repugnans; tamen quę provenit ex infinito ordine Divinæ providentiæ, ac summa eius libertate, & liberalitate, nec dicit imperfectionem, nec Deo repugnat.

Respondeo.

53 *Obijcies 3.*

Obijcies tertiò: repugnat Deo decretum imprudens, otiosum, & invtile, sed huiusmodi sunt decreta conditionata: ergo Deo repugnant decreta conditionata. Probatur minor pro imprudentia: nam Deo conceditur absolutum decretum, quo decrevit illos non ponendos, scilicèt, quod Christus Tyris non prædicaret: ergo non nisi imprudenter decernere potuisset futura sequentia ex illis, scilicèt, conversionem Tyriorum sub conditione prædicationis Christi, impossibilis redittę per aliud decretum, & cognitæ, vt talis. Probatur consequentia: quia ridiculum videtur, adstruere decretum, & firmam determinationem faciendi aliquid sub conditione aliqua impossibili, cognita, vt tali, v. g. adstruere decretum hoc in Deo: *Volo conversionem Petri, si ego non fuerim Deus*, & in humanis stultum esset, decernere: *Volo dare tibi librum, si per aera volabero.*

Prob. min. pro imprudentia.

54 *Probatur pro otiositate, & invtilitate.*

Probatur pro otiositate, & invtilitate: nam ex vi decreti conditionati obiectivè non potest fieri res absolutè futura, si purificetur conditio, sed necessariò exigitur aliud decretum: ergo invtile est tale decretum. Probatur antecedens: quia si purificetur conditio, res erit absolutè futura: ergo requireretur aliud decretum absolutum, vi cuius sit ita futura, nam decretum illud conditionatum non potest transire in absolutum. Ad hoc argumentum respondeo negando minorem; & primam eius probationem, & pro intelligentia.

Respond. ad argum.

55 *Nota pro solutione.*

Nota: quod dupliciter dicitur conditio antecedens futurum aliquod impossibile. Primò: ex se, & ab intrinseco, sic, quod ratione eius impossibilitatis reddatur impossibilis connexio consequentis cum illo antecedenti, v.g. si homo esset Angelus, Deus illum conservaret. Secundò: ex suppositione aliqua, qua illud, quod in se non est impossibile, immo connexionem aliquam dicit cum consequenti, ratione suppositionis redditur in tali connexione impossibilis, v.g. si Petrus esset in gimnasio cras, disputaret, hæc conditio ex se non dicit impossibilitatem cum disputatione; potest verò illam dicere ex suppositione, quod esset necessarius equs, vt Petrus iret, & quod talis equs ei non concederetur, in hoc casu dicitur conditio impossibilis in connexione cum consequenti, non ex se, sed ex suppositione.

56 *Respondeo in forma ad 1. probationem minoris.*

Hoc notato respondeo in forma ad primam probationem minoris distinguendo antecedens: redditur impossibilis prædicatio Christi erga Tyros in connexione cum eorum conversione, impossibilitate intrinseca,& de se, nego antecedens; ex suppositione, & ratione decreti positi de nō existentia talis prędicationis,concedo antecedens; & nego consequentiam; quia etsi imprudentia esset, decretare conditionaliter aliquod futurum,vel velle prævisa conditione intrinsicè repugnante cum illo, & omninò impossibili in connexione cum illo, vt probant exempla argumenti;non verò est imprudentia, velle, vel decretare aliquid conditionatè prævisa futura conditione ex se, & intrinsicè, connexionem cum futuro dicente,licèt extrinsicè,& suppositione alterius videatur impossibilis.

57 *Ad secundam.*

Ad secundam probationem negatur invtilitas decreti,dicēdo: quod decretis Divinis repugnat futuritio, quarè non vi alterius decreti futuri fieret res absolutè futura, si purificaretur conditio, sed vi ipsiusmet decreti subiectivè existentis ab æterno, data obiectiva conditionis mutatione, quæ ab æterno fuisset à Deo decretata,si Deus ab æterno decrevisset, purificare conditionem.Vel dicimus, obiectum sub conditione futurum transiturum fore in futurum absolutè, non in sola vi decreti conditionati, sed in vi decreti absoluti, illati ab æterno ex conditionato, si Deus purificare conditionē decrevisset;quarè prædictum conditionatum decretum non est invtile.

58 *Dices.*

Dices: ergo si conditio nunquam est ponenda, & res ipsa talitèr futura in illo temporis instanti non est extitura, tale decretum videtur non habere finem vllum, per indèque otiosum erit,& quasi puerile.

Respondeo.

Respondeo: non esse invtile tale decretum ex eo, quod futurum, nec conditio in tempore ponenda sit, nec ob hoc caret omni fine,sicut non est invtilis,& sine fine potentia Dei erga merè possibilia,etiam si prædicta possibilia in nullo instanti temporis existentiam habitura sint, habetque Deus, sicut in hoc, finem, scilicèt,suæ infinitæ Omnipotentiæ perfectionem;sic etiam in decretandis futuris conditionatis nūquam extituris habet intentum,nempè, infinitam perfectionem suæ providentiæ, quæ non solum consitit in decretando absolutè omnia futura, sed etiam in volendo, quæ posita hac, vel illa conditione forent, quod etiam adversarij plurimi concedunt in futuris conditionatis in materia disparata.

59 *Obijcies 4. ex Amico.*

Obijcies quartò ex Amico absurda deducta ex tali decreto conditionato. Primum: quod lædatur illo nostra libertas. Secundum: quod ex ipso sequatur: Deum prædiffinire peccata,esseque authorē eorum.

Respondeo.

Respondeo ad hæc brevitèr (quia in tractatu de voluntate, prædestinatione, & auxilijs latè prædicta franguntur) in nostra opinione prædicta absurda non sequi; non primum, quia non concedimus decretum antecedens, non cadens in libertate voluntatis. Non secundum, quia Deus,etsi prædeterminet materiale peccati,non verò formale; quarè non est Author peccatorum;de quo alibi.

60 *Obijcies 5.*

Obijcies quintò: Deus cognoscit futura libera absoluta certò, & infallibilitèr in suis causis proximè dispositis,& non impediendis: ergo Deus cognoscit futura prædicta ante decretum liberum suæ voluntatis certò,& infallibilitèr. Probatur antecedens: effectus liber infallibili certitudine cognoscitur in causa libera proximè dispositā, & non impediendā: ergo Deus cognoscit futura libera absoluta certò,& infallibilitèr in suis causis proximè dispositis, & non impediendis. Probatur antecedens: effectus necessarius necessaria certitudine cognoscitur in causa necessaria proximè disposita, & non impediendā: ergo effectus liber infallibili certitudine cognoscitur in causa libera proximè disposita,& non impediendā. Probatur consequentia: ideò effectus necessarius necessaria certitudine cognoscitur in causa necessaria proximè disposita, & non impediendā,quia causa necessaria dicit necessarium ordinem ad effectum necessarium; sed causa libera proximè disposita, & non impedienda, dicit infallibilem ordinem ad effectum liberum: ergo effectus liber infallibili certitudine cognoscitur in causa libera proximè disposita, & non impedienda. Probatur minor: ideò causa necessaria proximè disposita,dicit

ne-

necessarium ordinem ad effectum necessarium, quia causa necessaria proximè disposita, & non impedienda, necessario habebit effectum; atqui causa libera proximè disposita, & non impedienda, infallibiliter habebit effectum: ergo causa libera proximè disposita, & non impedienda, dicit infallibilem ordinem ad effectum liberum. *Respondet.* Respondeo negando vltimam minorem; quia causa libera proximè disposita, & non impedienda, adhuc est libera, consequentèrque potest effectum non producere; ideòque non habebit infallibilitèr effectũ.

61 *Objicies 6.* Objicies sextò: ex eo, quod futurum, antequam sit futurum, non sit futurum, non sequitur, quod Deus non cognoscat ipsum, vt futurum, antequam sit futurum: ergo Deus cognoscit futura absoluta certò, & infallibilitèr. Probatur antecedens: ex eo, quod res futura non sit existens, antequam actu existat, non sequitur, quod non cognoscatur à Deo vt existens, antequam actu existat: ergo ex eo, quod futurum, antequam sit futurum, non sit futurum, non sequitur, quod Deus non cognoscat ipsum vt futurum, antequam sit futurum.

62 *Respondet.* Respondeo ad argumentum negando antecedens: ad cuius probationem distinguo antecedens: ex eo, quod res futura non sit existens, antequam actu existat, non sequitur, quod non cognoscatur à Deo vt existens pro tempore existentiæ, nego antecedens; in omni tempore, concedo antecedens; & distinguo similitèr consequens: ergo ex eo, quod futurum, antequam sit futurum, non sit futurum, non sequitur, quod Deus non cognoscat ipsum vt futurum pro tempore futuritionis, nego consequentiam; pro omni tempore, concedo consequentiam; seu quod idem est; facta reduplicatione pro tempore futuritionis, concedo consequentiã; ablata reduplicatione, nego consequentiam. Itaquè Deus ab æterno, in æternum, & in omni tempore cognoscit res futuras, existentes, & præteritas; non verò pro omni tempore, quia pro tempore futuritionis cognoscit res vt futuras solum, & sic de alijs.

63 Ratio autem, ob quam Deus in omni tempore cognoscit res futuras, existentes, & præteritas, est: quia Deus est essencialitèr determinatus ad semper cognoscendum, quidquid semper est verè cognoscibile; sed futura, præsentia, & præterita sunt semper verè cognoscibilia: ergo Deus in omni tempore cognoscit res futuras, existentes, & futuras. Hoc clarissimè constat ex dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 22. num. 4. cum seqq.* Ratio verò, ob quam Deus non pro omni tempore cognoscit res, est: quia Deus non cognoscit res, vt tales, nisi pro tempore, pro quo sunt verè cognoscibiles; sed futura, vt talia, sunt verè cognoscibilia pro tempore futuritionis; præsentia pro tempore existentiæ, & præterita pro tempore præterito: ergo Deus non pro omni tempore cognoscit res. Hoc etiam manifestè apparet ex dictis *tom. disput. & num. citat.*

64 *Objicies 7.* Objicies septimò: non minus Deus est infinitè sciens, ac infinitè æternus; sed quia infinitè æternus, coexistit cum rebus secundum se non existentibus: ergo quia infinitè sciens, cognoscit, quod secundum se cognoscibile non est; atqui conditionata prædicatio secundum se ante decretum cognoscibilis non est, vt futura: ergo quia infinitè sciens, Deus illam, vt futuram cognoscit. Hoc argumentum habet vim contra Thomistas concedentes coexistentiam futurorum saltim absolutorum ab æterno; contra nos verò nihil; quia talem coexistentiam negamus, vt diximus *tom 2. in 1. Sent. disput. 41.* Vndè negata minori, ruit argumentum. *Respond.*

65 *Objicies 8.* Objicies octavò: decretum de conditionato futuro repugnat esse subiectivè absolutum: ergo subiectivè est conditionatum. Probatur antecedens: si tale decretum esset subiectivè absolutum, in Deo daretur absolutum decretum, contradictoriè oppositum alio absoluto decreto; sed hoc repugnat: ergo decretum de conditionato futuro repugnat esse subiectivè absolutum. Probatur maior: decretum de conversione Tyriorum per prædicationem Christi est subiectivè absolutum; sed hoc decretum contradictoriè opponitur alio absoluto decreto de non conversione Tyriorum: ergo si tale decretum esset subiectivè absolutum, in Deo daretur absolutum decretum, contradictoriè oppositum alio absoluto de

creto. Maior est certa. Minor patet: nam conversio, & non conversio contradictoriè opponuntur. Consequentia infertur.

66 *Respondeo.* Respondeo distinguendo vltimum antecedens: conversio, & non conversio eodem modo contradictoriè opponuntur, concedo antecedens; diverso modo, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè conversio, & non conversio subiectivè considerata, contradictoriè opponuntur. Item: conversio, & non conversio obiectivè absoluta, contradictoriè opponuntur. Ceterum conversio subiectivè absoluta, & obiectivè conditionata, de quibus loquitur argumentum, contradictoriè non opponuntur.

)(o)(

QUÆSTIO DECIMASEXTA.

An Deus conditionata contingentia cognoscat in decreto libero suæ voluntatis, concomitante voluntatem creatam?

§. I.

Referuntur sententiæ, & decretum concomitans explicatur.

Num. 1 DVæ sunt extremæ in hac difficultate opiniones. Prima est affirmativa, quam tenet

1. *Sentent.* Mastrius *in* 1. *disput.* 3. *quæst.* 3. *artic.* 8. *num.* 168. vbi simul cum *num.* 172. & 173. ostendit: Tum: hanc opinionem non esse novam, nec novitèr introductam in nostra Schola. Tum etiam: esse veram, & germanam Scoti sententiam, & antiquorum Scotistarum.

Mastrius.

2. *Sentent.* Secunda sententia est negativa, quam iuxtà Scotum *infrà* tirandum, certiorem iudico, & contra Mastrium amplector.

Scotus.

2 *Explicatur decretum cõcomitans.* Sed, vt clarissimè procedamus, sciendum est: hanc difficultatem sub alijs terminis à Mastrio *citat.* proponi, nempè, An decretum concomitans Scotistarum sit sufficiens, & prima ratio præscientiæ futurorum contingentium? Quod quidem decretum sic explicatur. Postquam enim intellectus Divinus apprehendit res omnes futuras in esse possibili, eas secundum illud esse possibile proponit voluntati absquè vlla determinatione futuritionis; posteà verò voluntas Divina eligit alteram partem, & determinat decreto suo, hoc esse futurum, sivè absolutum, sivè conditionatum, sic, quod decretum illud non antedat consensum voluntatis creatæ, sed concomitetur. Hæc opinio est media inter Thomistarum, & Jesuitarum opiniones, quia isti dicunt, quod antecedenter ad decretum in ipsis futuris quadam media scientia cognoscit Deus prædicta futura iuxtà dicta quæstione præcedenti. Thomistæ, vt vidimus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disput.* 36. iudicant, cognosci in decreto antecedenti ipsam determinationem libertatis creatæ. Et hæc dicit: cognosci in essentia, concomitante decreto, vel in decreto æterno omninò concomitante voluntatem creatam. Pro cuius intelligentia.

3 *Amplius explicatur.* Observandum est, ait Mastrius *citat. num.* 166: decretum Dei, quo alteram partem contradictionis determinat, duobus modis intelligi posse, quod decretum voluntatis creatæ antecedat, vel concomitetur. Primò modo potest intelligi antecedere, si intelligatur, illud nulla ratione includere, sed omninò antecedere ordine causalitatis, quasi Deus priùs decernat voluntatem creatam volituram hanc partem contradictionis, & posteà creata voluntas per naturalem, & essentialem subordinationem causæ secundæ ad primam, moveatur in tempore ad id volendum, & exequendum ex vi prædeterminationis, quæ præcessit, tàm ordine temporis, quàm causalitatis, quo pacto explicant

Tho-

Thomiſtę ſuam decreti antecedentiã.

4 *Declaratur ampliùs.*

Secundò modo intelligi poteſt antecedere, ſi includens, aut involvens ſaltim virtualitèr decretum creatæ voluntatis, non intelligatur ab eo dependere, ſed potiùs è contra; ita vt Deus talitèr decernat cum voluntate creata, quam eminentèr continet in genere potentiæ volitivæ, aliquid ab ea futurum, quod ipſe vellit à ſe ipſo facere, voluntatem verò creatam ab ipſo; & iſti duo modi prioritatis inter ſe diſtinguntur ita, quod primus dicitur prioritatis *in quo*, & ſecundus *à quo*.

5 *Ampliùs declaratur.*

Sic paritèr proſequitur Maſtrius *num.* 167. duobus modis poteſt intelligi, decretum Divinum concomitari decretum voluntatis creatæ. Primò: ſi intelligatur, præſupponere illud ſaltim in Divina ſcientia ex hypoteſi, quod creata voluntas poneretur in tali, vel tali rerum ordine; quo pacto concomitantia decreti explicatur à Neutralibus. Et hoc modo verè ſequitur decretum voluntatis creatæ, etſi non abſolutum, ſaltim conditionatum, iuxtà quam explicationem in rigore loquendo, Divinum decretum abſolutum, poſitum ex prævisione futuri conditionati à voluntate creata, potiùs conſequens dici debet, quam concomitans.

6 *Idem proſequitur.*

Secundò: ſi intelligatur, Deum non determinare aliquid ſine voluntate creata, ſed omnem ſuam determinationem reſpectu effectuum interventu creatæ voluntatis futurorũ, eſſe cum determinatione illius, quaſi non determinet voluntatem meam hoc voliturам, ſed cum voluntate mea condeterminet, hoc volendum fore abſquè vlla prævisione effectus ab ea futuri, & hoc modo verè concomitari diceretur decretum voluntatis creatæ, nec aliqua ratione ipſum ſequeretur.

7 *Vera intelligentia de creti concomitantis.*

Multum autem refert, ait Maſtrius *citat.* vno, vel altero modo explicare Divini decreti antecedentiã, quia ſi decretum Divinum antecedat, vel concomitetur primo modo ex explicatis, nullo modo dici poſſunt, aut intelligi ſimul eſſe, quia ſic inter ſe comparantur ordine cauſalitatis, qui cauſalitatis ordo petit, quod ſimul natura non ſint cauſa, & effectus. Vndè Thomiſtæ explicantes antecedentiam primo modo, faciunt Divinum decretum ſimplicitèr antecedens ordine cauſalitatis ad decretum, vel determinationem creatę voluntatis. Et Jeſuitæ explicantes concomitantiam Divini decreti primo etiam modo, conſtituunt illud ſimplicitèr conſequens ordine cauſalitatis ad determinationem creatæ voluntatis. Scotiſtæ verò explicantes Divinum decretum concomitans, vel antecedens ſecundo modo, intelligunt decretum Dei cum decreto voluntatis ſimul, quia non comparantur ad invicem ſecundum ordinem cauſalitatis, ſed puræ concomitantię, quia prioritas *à quo* verè compatitur cum ſimultate *in quo*, vt ait Scotus *in* 1. *diſt.* 37. *quæſt. vnica.* Hæc itaquè Scotiſtarum opinio eſt à nobis impugnanda.

§. II.

Authoritate Scoti reijcitur decretum concomitans Scotiſtarum.

HOc decretum Maſtrij, & Scotiſtarum non eſſe Scoti, vt aſſerunt Scotiſtæ, illud tuentes, patet primò ex *quæſt.* 4. *Prologi*, §. *Si quæris*, ℣. *Hoc ſaltim teneo*, vbi ait: Quod rectitudo actus voluntatis creatæ, hoc eſt, actus rectus voluntatis creatæ determinatur à voluntate Divina; ſed ſi determinatio Divina, & humana eſſet concomitans, nulla eſſet ratio, vt diceret Scotus, quod voluntas Divina determinaret voluntatem creatam potiùs, quam creata Divinam: ergo iuxtà Scotum nequit ſubſtineri decretum concomitans.

8 *Hoc decretum Scotiſtarum non eſſe Scoti patet* 1.

Secundo patet ex 1. *diſt.* 38. §. *Ex hoc ſciendum eſt vlterius*, ℣. *Ad ſecundum dico*, vbi loquendo de inſtantibus naturæ, & ordine, quo intellectus Divinus cognoſcit actus volũtatis creatæ, inquit: *Sed diſtinguendo de inſtanti naturæ, in primo apprehendit quodcumque operabile, & in ſecundo offert omnia iſta voluntati, quorum omnium aliqua acceptat*, hoc eſt, decernit; atqui Scotus, vt videtur, mentionem hic non facit de concomitantia voluntatis creatæ in determinando illos actus, quos voluntas Divina acceptat, ſeu decernit: ergo iuxtà Scotum nequit ſubſtineri prædictum decretum concomitans.

9 *Patet* 2.

Patet tertiò ex ipſo *in* 1. *diſt.* 41.

10 *Patet* 3.

vbi

vbi docet: quod Deus non prævidet, illum benè vsurum libero arbitrio, nisi quia vult, & præordinat illum benè vsurum eo, quia certa prævisio contingentium est ex determinatione voluntatis Divinæ, quibus verbis manifestè excludit prævisionem futuri ex decreto concomitanti: ergo iuxtà Scotum nequit substineri decretum concomitans. Quartò: nam *in 1. dist. 39. §. & ỳ. Viso de contingentia rerum, & ỳ. sequenti*; immo *in quodlib. 14. §. Hoc intelligendum est, ỳ. Completo igitur toto ordine*, alijsque in locis asserit: quod Deus movet, & quod primo movet nostram voluntatem: ergo iuxtà Scotum non datur prædictũ decretum concomitans. Denique si est locus aliquis ex quo deduci valeat, apparentèr deducitur, vt in solutione ad argumenta videbimus.

Patet 4.

11 *Respondet Mastrius.*

Respondet Mastrius *cit. num. 189.* quod in dictis locis, præsertim *dist. 39. & quodlib. 14.* non loquitur Scotus præcisè de eventibus liberis, qui sunt futuri à voluntate creata, sed vniversalitèr de omnibus futuris contingentibus, etiam his, quæ à sola voluntate Divina pendent sine interventu causæ secundæ liberæ, quæ proindè in nullam possunt veluti primam, seu causam reduci, nisi in voluntatem Divinam, quarè ait: loca prædicta non esse ad propositum. Admitto solutionem Mastrij, & in ipsum.

12 *Contra 1.*

Contra primò: nam iuxtà hanc solutionem Scotus in his locis loquitur de omnibus futuris contingentibus, tàm provenientibus à sola Divina voluntate, quàm à Divina, & humana voluntate provenientibus: ergo etiam de his intelligendum est, quod ibi asserit Doctor; atqui ibi negat decretum concomitans: ergo hoc decretum negat in eventibus liberis, qui à voluntate Divina, & humana proveniunt: ergo ruit Mastrij solutio. *Contra 2.* Contra secundò: nam Scotus *dist. 39. cit. ỳ. vltimo*, expræsè loquitur de futuris contingentibus, provenientibus etiam à voluntate creata: ruit ergo solutio Mastrij. Probatur antecedens: nam ibi Scotus ait: quod determinatio ad actus contingentes est priùs à voluntate Divina, quam à creata, his verbis: *Immo contingentia per prius est à causa prima, quam à secunda*: ergo Scotus expræsè loquitur de futuris contingentibus, provenientibus etiam a voluntate creata.

13 *Respondet Mastrius.*

Respondet Mastrius *num. cit.* Scotum intelligendũ esse de prioritate *à quo*; non verò *in quo*, quod probare intendit ex ipso Doctore *in 2. dist. 37.* nam ibi (ait Mastrius) loquitur Scotus, non tantum de Voluntate Divina ab æterno decernente; sed etiam in tempore concurrente ad liberos eventus. Hanc Mastrij solutionem, quæ est doctrina tota, in qua eius opinio fundatur, specialitèr impugnabimus *§. 4.* dum specialibus rationibus decretum concomitans reijciamus. Pro nunc autem.

14 *Contra.*

Contra: nam iuxtà hanc Mastrij solutionem Scotus etiam loquitur de Divina voluntate ab æterno decernente; sed ab æterno non concurrit voluntas creata, vt rationibus infrà ostendimus: ergo non solum prioritate *a quo*, sed etiam *in quo* decernit Deus actus liberos futuros, quam voluntas creata concurrat ad illos: ergo iuxtà Scotum tuendum non est decretum concomitans.

15 *Nota 1.*

Vt autem rationibus reijciamus hoc decretum concomitans Mastrij, & Scotistarum, suppono primò, vt omninò certum: quòd decretum Dei nihil aliud est, quam Divina volitio, qua efficacitèr, & determinatè vult consensum Petri, v. g. positi in tali occasione, & cum talibus auxilijs, existere, provenientem à voluntate Petri, seu quod idem est: Petrum in tali occasione, & cum talibus auxilijs constitutum consentire.

16 *Secundò.*

Suppono secundò, tanquam æquè certum: quod Deus nihil potest velle de novo in tempore, quod non vellit ab æterno, vt diximus *tom. 2. in 1. Sent. disp. 53.* Vndè cum Deus non alitèr concurrat, quam volendo, quod effectus existat pro hac, vel illa differentia temporis, vt docet Scotus *in 1. dist. 37. §. Respondeo, & ỳ. Et secundum hoc*; eadem volitio, qua vult effectum existere in tali temporis differentia, & est decretum Dei, & est illius concursus. Est decretum, quatenus talis volitio consideratur ab æterno vsquè ad illud instans exclusivè, in quo incipit existère effectus. Est concursus quatenus prædicta volitio consideratur iam in illo temporis instanti, in quo incipit existere effectus.

17

Vndè volitio Divina, prout est

de-

decretum, non eſt concurſus exercitè, ſed ſolum ſignatè, ſcilicèt, quatenus ab æterno ſignat, effectum extiturum eſſe in illo temporis inſtanti; tuncque effectus non eſt exiſtens, ſed futurus. Volitio verò Divina, prout eſt concurſus exercitè, non dicitur decretum, neque effectus dicitur futurus, ſed exiſtens. Ex quibus clarè deducitur: quod licèt Divina volitio, vt eſt concurſus exercitè, ſit concomitans determinationem Petri; tamen, vt eſt decretum, non eſt concomitans, ſed eſt priùs prioritate *à quo*, & *in quo* determinatione voluntatis Petri ſecundum phiſicam exiſtentiam illius, quod eſt apud omnes certiſsimum. Hoc notato. Sit.

§. III.

Rationibus impugnatur decretum concomitans Scotiſtarum.

18 *Impugn. 1.* IMpugnatur primò decretum concomitans: Divina volitio, prout eſt decretum, eſt priùs prioritate *à quo*, & *in quo* determinatione Petri ſecundum phiſicam illius exiſtentiã: ergo vt eſt decretum, non eſt concomitans determinationem Petri ſecundum phiſicam exiſtentiam illius. Atqui quod Divina volitio, vt eſt concurſus exercitè, ſit concomitans determinationem Petri ſecundum phiſicam exiſtentiam illius, non ſufficit ad ſalvandam libertatem: ergo fruſtrà admittitur tale decretum concomitans. Probatur ſuſſumpta: Divina volitio, vt eſt decretum, eſt priùs prioritate *à quo*, & *in quo* determinatione Petri ſecundum phiſicam illius exiſtentiam; ſed vt eſt decretum, eſt omninò efficax ita, vt, illa poſita, impoſsibile eſt, quod non exiſtat conſenſus Petri pro illo temporis inſtanti, pro quo ab æterno voluit Deus, quod exiſteret: ergo ante determinationem Petri ſecundum phiſicam illius exiſtentiam prioritate *à quo*, & *in quo*, impoſsibile eſt, quod non exiſtat conſenſus Petri, poſita Divina volitione: ergo quod Divina volitio, vt eſt concurſus exercitè, ſit concomitans determinationem Petri ſecundum phiſicam exiſtentiam illius, non ſufficit ad ſalvandam libertatem.

19 *Reſpondet Maſtrius.* Reſpondent Maſtrius, & ſequaces decreti concomitantis: argumentum ſolum probare, decretum Dei eſſe prius prioritate æternitatis ad tempus determinatione volũtatis creatæ, hoc eſt; decretum Dei eſſe ab æterno, & ab æterno non eſſe determinationẽ voluntatis creatę ſecundum phiſicam illius exiſtentiam; non verò probare, eſſe prius prioritate cauſalitatis; nam licèt determinatio voluntatis creatæ non exiſtat ab æterno ſecundum phiſicam illius exiſtentiam, exiſtit tamen obiectivè in Divina voluntate, quin decretum alitèr præcedat, quam prioritate *à quo*, per quod ſalvatur libertas voluntatis creatæ in ſuis actibus.

Contra: nam hoc modo etiam decretum Thomiſtarum eſt concomitans; & ſolum prius prioritate *à quo*; ſed hoc non obſtante, deſtruit per vos libertatem creatam: ergo etiam decretum concomitans deſtruit libertatem creatam. Probatur maior: Implicat decretum efficax ab æterno conſenſus Petri, quin in eodemmet inſtanti æternitatis ſit futurus conſenſus Petri, & conſequentèr obiectivè exiſtens in Divina voluntate: ergo conſenſus futurus Petri, & Divinum decretum adhuc ſecundum Thomiſtas ſunt in eodem inſtanti æternitatis: ergo decretum Thomiſtarum non eſt prius prioritate *in quo*: ergo etiam decretum Thomiſtarum eſt concomitans; & ſolum prius prioritate *à quo*. 20 *Contra.*

Reſpondent Maſtrius, & alij Scotiſtæ: magnam eſſe differentiam inter decretum à Thomiſtis poſitum, & decretum concomitans; nam Thomiſtæ ita ponunt decretum, vt nullâ ratione includat determinationem voluntatis creatæ; ſed omninò illam antecedere ordine cauſalitatis, quaſi Deus priùs decernat voluntatem creatam conſenſuram, & poſteà creata voluntas per naturalem, & eſſentialem ſubordinationem cauſę ſecundæ ad primam moveatur in tempore ad conſentiendum ex vi decreti prædefinientis, quod præceſit, non ſolum prioritate æternitatis ad tempus, ſed etiam ordine cauſalitatis; vndè lędit omninò libertatem creatam. 21 *Reſpondent Maſtrius, & alij.*

Decretum verò concomitans ità ab Scotiſtis ponitur, vt Deus nihil decernat ſine voluntate creata, ſed cum determinatione illius; ideòq; Deus nõ determinat voluntatem meam hoc volituram, ſed condeterminat cum voluntate mea, hoc volendum fore; quarè non antecedit antecedentia 22

cau-

causalitatis determinationem voluntatis creatæ sed ipsam concomitatur; vndè non lædit libertatem creatam.

23 *Contra.* Fateor differentiam à Mastrio, & alijs Scotistis assignatam; sed etiam fateor Thomistis imponi, quod non docent; nam falsum est, quod Thomistæ ponant suum decretum antecedens, ita vt nulla ratione includat determinationem voluntatis creatæ, quod manifesta ratione ostenditur: nam Thomistæ concedunt actum secundum voluntatis creatæ, tàm in esse futuritionis, quàm in esse existentiæ, dependere à Deo, tanquam à causa prima productiva illius: ergo concedunt actum secundum voluntatis creatæ contineri virtualitèr in volitione Divina, vt in causa illius: ergo falsò imponitur Thomistis, quod decretum Divinum nulla ratione includat determinationem voluntatis creatæ: ergo differentia à Mastrio, & alijs Scotistis assignata, falsa, & suppositа est: ergo nulla est eorum solutio ad replicam suprà positam.

24 *Declaratur* Declaratur hoc doctrina Thomistarum ab Scotistis concessa, & ab omnibus confessa: nam nulli dubium, quod Thomistæ meliùs, quã omnes, salvant in Deo rationem causæ primæ per suum decretum antecedens; sed repugnat sine virtuali continentia actus secundi voluntatis creatæ in Divina volitione: ergo falsum est, Thomistas ponere suum decretum sine inclusione determinationis voluntatis creatæ in Divino decreto: ergo differentia à Mastrio, & alijs Scotistis assignata, falsa, & suppositа est: ergo nulla est eorum solutio.

25 *Amplius declaratur* Atque hinc se se apperit: solutionem Mastrij, & aliorum Scotistarum non infringere efficatiam nostræ replicæ: nam semel statuto, Thomistas ponere suum decretum antecedens cum inclusione virtuali determinationis voluntatis creatæ in illo, decretum Thomistarum est concomitans, & prius prioritate *à quo* duntaxat, sicut decretum concomitans Scotistarum, vt manet probatum; sed hoc non obstante, substineri nequit ab Scotistis, eo, quia lædit libertatem creatam: ergo ob eandem rationem substineri non potest decretum concomitans ab Scotistis assignatum.

26 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò prædictum decretum concomitans: non videtur possibile, quod Deus prædefiniens aliquem effectum futurum à voluntate creata causandum, coincidat in eandem determinationem cum illa, ita vt simul cum ea se determinet, quando quidem nec voluntas creata ab æterno realitèr existat, nec per consequens decretum ab ea editum determinatè præcesserit: ergo impossibile est decretum, quo Deus ab æterno determinatè velit concurrere cum voluntate Petri in tali tempore ad actum determinatum, sine vlla prævisione talis actus futuri, & quod tale decretum non tollat libertatem.

27 *Respondet Mastrius,* Respondet Mastrius: coincidentiam illam desumi ex continentia virtuali, & eminentiali voluntatis creatæ in Divina, sicut in primo libero, secundum omnem suam virtutẽ, & volendi, aut nollendi modum: ratione cuius definire, & determinare potest ab æterno quidquid à causis liberis determinatè futurum est, simul cum eis pro quolibet rerum ordine, per inde ac si se determinarent causæ secundæ, si ab æterno forent simul cum voluntate increata. Rationes autem, quibus id probat, referemus inter argumenta ad oppositum.

28 *Contra 1.* Contra primo: quia æquè continetur in causa prima causa secunda naturalis, ac libera: ergo ex continentia non pendet libertas. Patet consequentia: quia si ex continentia illa haberet decretum, posse coincidere cum voluntate creata, & ex hoc evaderet actus eius liber, etiam ex eadem continentia haberet decretum, posse coincidere cum igne ad comburendum, & ex hoc evaderet combustio libera.

29 *Contra 2.* Contra secundò: nam ab eo, quod est solum in virtute, seu solum habet esse virtuale, non fit decretum, sed ab eo, quod habet virtutem decretandi; sed voluntas ab æterno non habet talem virtutem: ergo voluntas ab æterno non potest se condeterminare formalitèr. *Confirmat.* Confirmatur: effectus formaliter liber est à causa formalitèr libera; sed voluntas ab æterno non est formalitèr libera, sed solum virtualitèr, quia sicut habet esse, ita & modum essendi, & operandi: ergo non potest ab æterno se condeterminare formalitèr. *Si dicas.* Si dicas condeterminare virtualitèr cum voluntate Divina se condeterminante for-

Contra. maliter. Contra eſt, quia quod determinatur virtualiter ad determinationem cauſæ, in qua continetur, non determinat ſe, ſed determinatur à cauſa continente: ergo non liberè, ſed neceſſariò determinatur.

30 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò prædictum decretum: Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit, poſsibile eſſe, Petrum pro tali tempore elicere actũ amoris: ergo vel per eandem ſcientiam cognoſcit, ſe poſſe coincidere cum voluntate Petri pro eodem tẽpore in illum actum amoris præciſsè; vel cognoſcit etiam, poſsibile eſſe, per decretum ſuum coincidere cum voluntate Petri ad actum odij pro eodem tempore? Si primum: ergo voluntas Petri non erit libera pro eodem tempore, quia libertati obeſt determinatio ad amorem ſine indifferentia ad oppoſitum. Si ſecundum, quæro: quarè magis determinatur Deus ad eliciendum decretum de coincidendo cum amore poſsibili Petri pro illo tempore, quam cum odio poſsibili eiuſdem pro eodem tempore? Non enim ille amor, nec illud odium, ſunt pluſquam poſsibilia pro illo priori, pro quo concipimus, Deum adhuc ſe non determinaſſe.

31 *Si dicas.* Si dicatur: ideò ſe determinaſſe ad amorẽ, ſeu ad coincidendũ cum amore poſsibili, & non cum odio poſsibili, quia vult; videtur prævenire voluntatem creatam, & eam prædeterminare ad amorem, & per conſequens auferre ab illa indifferentiam, quam per illud eſſe virtuale habebat ad ſe condeterminandum cum voluntate Divina. Si autem dicatur, ideò ſe Deum determinaſſe ad coincidendũ cum amore magis, quam cum odio, quia vidit voluntatem Petri in illo eſſe virtuali magis inclinari ad amorem, quam ad odium, ſeu magis exigere illam coincidentiam, quam iſtam, hoc erit incidere in ſcientiam mediam,

Contra.

Si dicas.

Contra.

32 *Impugn. 4.* Impugnatur quartò concomitans decretum: admiſſo decreto merè concomitante, non procederet Deus cum ſumma equitate, decernendo converſionem Petri, & non Pauli: ergo repugnat tale decretum. Probatur antecedens: ante decretum de converſione Petri nihil cognoſcit in Petro, quod non cognoſcat in Paulo, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè, vt potiùs decernat converſionem Petri, quam Pauli: ergo admiſſo decreto merè concomitante, non procederet Deus cum ſumma equitate, decernendo converſionem Petri, & non Pauli. Patet conſequentia ex antecedenti.

33 *Prob. antec.* Antecedens autem probatur: nam ante decretum de converſione Petri, vel Deus cognoſcit ſcientia abſoluta, ſeu conditionata, quod Petrus convertetur; vel ſolum cognoſcit, quod in Petro eſt potentia expedita, & libertas ad ſe convertendum, & non convertendum? Primum eſt apud Scotiſtas, contra quos arguo, omninò falſum, quia Deus ante decretum non cognoſcit futuram converſionem Petri. Si ſecundum, hoc etiam cognoſcit in Paulo, vt eſt de ſe manifeſtum: ergo ante decretum de converſione Petri nihil cognoſcit in Petro, quod non cognoſcat in Paulo, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè, vt potiùs decernat converſionem Petri, quam Pauli. Quarè ergo potiùs decrevit converſionem Petri, & non converſionem Pauli, ſi ante decretum nihil ſcit de Petro, quod non ſciat de Paulo, & Paulus non poteſt ſine decreto converti, ſicut Petrus cum decreto non poteſt non converti?

34 *Impugn. 5.* Impugnatur quinto: ſi decretum eſſet concomitans, nec creata voluntas penderet à Deo in operari, potiùs, quam ab ea penderet Deus; nec Deus concurreret cum voluntate creata, vt cauſa prima potiùs, quam voluntas creata cum Deo; ſed neutrum poteſt catholicè defendi: ergo nec quod decretum ſit concomitans. Minor, & conſequentia tenent. Maior probatur: nam iuxtà Scotiſtas oppoſitos ſicut voluntas creata nequit ſe determinare, quin ſimultanee ponatur decretum Dei, ita neque Deus poteſt ponere ſuum decretum, quin ſimultanee ponatur determinatio voluntatis creatæ: ergo ſi decretum eſſet concomitans, nec creata voluntas penderet à Deo in operari potiùs, quam ab ea penderet Deus, nec, &c.

35 *Impugn. 6.* Impugnatur ſextò: dato concomitante decreto, ruit omninò potiſsima ratio, qua pluralitatem Deorum excludunt Theologi: ergo nequit admitti. Probatur antecedens: ideò potiſsimè excluditur Deorum pluralitas, quia cum haberent diſtinctas vo-

lun-

luntates liberas, posset vnus efficacitèr velle, quod alter nollet, vndè vnius saltim voluntas frustraretur, & consequentèr non esset Deus; atqui hęc potissima ratio nihil vrget, dato concomitante decreto: ergo dato concomitante decreto, ruit omninò potissima ratio, qua pluralitatem Deorum excludunt Theologi. Probatur minor: dato decreto concomitante, est per vos necessaria, & per se determinatio concomitans in aliquibus ad eundem effectum: ergo etiam esset necessaria in duobus Dijs: ergo vnus Deus non posset efficacitèr velle, quod alter nollet: ergo potissima ratio, qua excluditur à Deo pluralitas Deorum, nihil vrget, dato decreto concomitante.

36 *Si dicas 1.* Nescio certè, quid possit ad hoc responderi, quod non habeat oculatè impugnationem. Nam si primò dicas: voluntatem vnius Dei non esse subordinatam voluntati alterius Dei; benè verò voluntatem creatam Divinæ voluntati. *Contra.* Contra: ergo ratione subordinationis voluntatis creatæ in Divinam, nequit voluntas creata nolle, quod Deus vult: ergo ratione subordinationis est determinata ad vollendum, quod Deus vult: ergo non est libera in elicientia sui actus contra vos.

37 *Si dicas 2.* Si verò secundò dicas: Dei, & creaturæ determinationes ab intrinseco, & per se conecti. Insurget statim Gentilis, & dicet: determinationes, & volitiones vtriusque Dei ab intrinseco, & per se conecti, vt vtriusque Dei determinatio, & volitio sit vniformitèr, & purè concomitantèr; & si ratione huius concomitantię salvatur libertas in Deo, & in creatura; ratione eiusdem concomitantiæ vtriusque Dei libertas, & dominium salvaretur, consequentèrque frustranea est ratio potissima, qua à Deo excluditur pluralitas Deorum. *Contra.*

38 *Impugn. 7.* Impugnatur deniquè: repugnat, quod duo agentia adæquatè libera simul per se concomitantèr se determinent ad eundem actum liberum: ergo repugnat concomitans determinatio Dei, & creaturæ ad eundem actum liberum. Consequentia patet: quia Deus, & creatura sunt duo agentia adæquatè libera. Antecedens probatur: hoc ipso, quod duo agentia sint adæquatè libera ad eundem effectum, quodlibet est æquè potens ad liberè producendum, & non producendum prædictum effectum: ergo solum per accidens, & contingentèr accidere potest, quod illa agentia concomitantèr se determinent ad eundem effectum: ergo repugnat, quod duo agentia adę quatè libera simul per se concomitantèr se determinent ad eundem actum liberum. Consequentiæ tenent, & antecedens est clarum; alioquim aliquod agens non esset liberum.

39 *Ad hoc potest Mastrius respondere.* Ad hoc nihil potest respondere Mastrius, nisi ratione probativa suæ opinionis, scilicèt, concomitantiam determinationis Dei, & creaturæ possibilem esse ratione continentiæ virtualis, & eminentialis determinationis creaturæ in determinationē Dei. Sed vltrà infrà dicenda in solutione argumentorum Mastrij. Contra: nam repugnat, quod voluntas creata sit æquè libera, ac Divina, & quod ipsi, sicut Divinæ, non conveniat potentia ad producendum, & non producendum amorem; sed continentia virtualis, & eminentialis voluntatis creatæ in Divinam non tollit libertatem à voluntate creata: ergo creatæ, sicut Divinæ, convenit potentia ad producendum, & non producendum amorem: ergo contingere potest, quod vna se determinet ad amorem, ad quem alia non se determinet: ergo dato, quod concomitanter se determinet ad amorem, hoc non erit per se, sed per accidens, & contingenter. Certè enim est inintelligibile, quod vtraque voluntas sit omninò libera, & quod quælibet non possit se determinare ad partem, quā voluerit, licèt alia se ad contrariam determinet. *Contra.*

40 *Confirm. 1.* Confirmatur primò, & augetur difficultas: concomitantia voluntatis Divinæ cum creatura non determinat voluntatem creatam: ergo libera manet, vt se determinet ad partem, quam voluerit. Secundò: concomitantia volūtatis creatæ cum Divina non tollit, quod Divina se determinet ad partem, quam voluerit: ergo nec concomitantia voluntatis Divinæ cum creata tollet, quod voluntas creata se determinet ad partem, quam voluerit: ergo Mastrij solutio vim prædictæ rationis non infringit. *Confirm. 2.* Si tandem recurras ad subordinationem voluntatis creatæ in Divinam, & ad vtriusquè in-

trin-

trinsecam connexionem, hoc iam manet suprà reiectum.

§. IV.

Fundamentalitèr, & specialitèr impugnatur decretum concomitans Scotistarum.

41 *1. ratio fundamētalis, & specialis*

PRima ratio fundamentalis, & specialis ad hanc formam reducitur: Decretum concomitans Dei, quia non antecedit antecedentia Thomistica, non infert in creatura necessitatem: ergo quia non sequitur sequela Jesuitica, non infert in Deo rationem causæ secundæ. Atqui decretum concomitans creaturæ non sequitur sequela Jesuitica: ergo non infert in creatura rationem causæ secundæ. Probatur hæc consequentia: per te decretum concomitans Dei, quia non sequitur sequela Jesuitica decretum creatum, non infert in Deo rationem causæ secundæ; sed per te decretum concomitans creaturę non sequitur sequela Jesuitica decretum Divinum: ergo non infert in creatura rationem causæ secundæ.

42 *Confirmat.*

Confirmatur: ideò in tua, & Thomistarum opinione decretum Dei, vt ponitur a Jesuitis, infert in Deo rationem causæ secundæ, quia decretum Divinum sequitur creatum sequela Jesuitica; sed per te decretum creatum, quia concomitans, non sequitur Divinum sequela Jesuitica: ergo non infert in creatura rationem causæ secundæ.

43 *Dices.*

Dices: decretum Dei esse antecedens antecedentia dignitatis, perfectionis, & *à quo*, per quod sufficientèr salvatur in Deo ratio causæ primæ, & in creatura ratio causæ secundæ. *Contra.* Contra: hæc sequela in decreto creato respectu Divini non est sufficiens ad inferendum in creatura rationem causæ secundæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: sequela tantum Thomistica decreti creati respectu Divini infert in creatura rationem causæ secundæ: ergo hæc sequela in decreto creato respectu Divini non est sufficiens ad inferendum in creatura rationem causæ secundæ. Probatur antecedens: sequela Thomistica decreti creati respectu Divini æquè infert necessitatem in creatura, ac rationem causæ secundæ; sed ideò infert necessitatem, quia est sequela Thomistica: ergo sequela tantum Thomistica decreti creati respectu Divini infert in creatura rationem causæ secundæ. Minor, & consequentia tenent. Maior probatur: sequela Thomistica decreti creati respectu Divini infert decretum creatum esse posterius Deo ordine causalitatis; sed quia sic posterius, infert in creatura necessitatem, & rationem causæ secundæ: ergo sequela Thomistica decreti creati respectu Divini æquè infert necessitatem in creatura, ac rationem causæ secundæ.

44 *Dices.*

Dices: verum esse, sequelam Thomisticam decreti creati respectu Divini inferre in creatura rationē causę secundæ; sed non præcisè; quia ad hanc illationem sufficit posterioritas dignitatis, perfectionis, & *à quo* in decreto creato respectu Divini, quæ posterioritas optimè compatitur cum simultate *in quo*. *Contra* 1. Contra primò: ad esse causam secundam requiritur ordo causalitatis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: esse causam secundam est esse effectum causæ primæ; sed inter causam, & effectum ordo causalitatis requiritur: ergo ad esse causam secundam ordo causalitatis requiritur. *Secundò.* Contra secundò: prioritas dignitatis decreti Divini respectu creati non sufficit ad inferendam in creatura necessitatem: ergo nec posterioritas opposita decreti creati respectu Divini sufficit ad inferendam in creatura rationem causæ secundæ: ergo ruit solutio.

45 *Contra 3.*

Contra tertiò: posterioritas *à quo* decreti creati respectu Divini non sufficit ad inferendam in creatura rationem causæ secundæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: posterioritas *à quo* Verbi Divini respectu Patris non sufficit ad inferendam in verbo rationem causæ secundæ: ergo similitèr: posterioritas *à quo* decreti creati respectu Divini non sufficit ad inferendam in creatura rationē causę secundæ. *Quartò.* Contra quartò: cum prioritate dignitatis decreti Divini respectu creati stat posterioritas in causando: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: cum prioritate dignitatis formæ respectu materiæ stat posterioritas in causando compositum, vt dicitur *in lib. 2. Phisicorum*: ergo pariter: cum prioritate dignitatis decreti

Divini respectu creati stat posteriori-
tas in causando.

46 *2. ratio fundamētalis, & specialis*

Secunda ratio fundamentalis, & specialis formatur in hunc modum: implicat, Deum decreto concomitante (quomodocumque explicetur) decernere actiones pravas; sed istæ sunt futura contingentia absoluta: ergo non datur decretum concomitans. Probatur maior: si Deus tali decreto decerneret actiones pravas, actiones pravæ imputarētur Deo: ergo implicat, Deum decreto concomitante decernere actiones pravas. Probatur antecedens: illi, qui suppositā perfecta cognitione, & libertate, se determinat ad producendum actiones pravas, imputantur tales actiones: ergo si Deus tali decreto decerneret actiones pravas, actiones pravæ imputarentur Deo.

47 *Si respond.*

Responsionem hanc audivi: distinguo maiorem: illi, qui suppositā perfecta cognitione, & libertate, se determinat per condescendentiam ad producendum actiones pravas, imputantur tales actiones, nego maiorem; illi, qui se determinat ex intentione ad producendum actiones pravas, imputantur tales actiones, concedo maiorē; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

48 *Contra.*

Contra: illi, qui se determinat per condescendentiā ad actiones pravas, non imputantur tales actiones per te; sed creatura potiùs, quam Deus, sic se determinat: ergo Deo potiùs, quam creaturæ debent imputari: ergo ruit solutio. Probatur minor: si Deus decreto concomitanti decernit actiones pravas, potiùs creatura, quam Deus, sic determinat: ergo creatura potiùs, quam Deus, sic se determinat. Probatur antecedens: concomitantia decreti explicatur per virtualem continentiam, vel per essentialem subordinationem, vel per necessariam connexionem, vel per naturalem sympatiam; sed quomodocumque potiùs creatura, quam Deus, sic se determinat: ergo si Deus decreto concomitanti decernit actiones pravas, potiùs creatura, quam Deus, sic se determinat. Probatur minor: non Deus, sed creatura est virtualitèr cōtenta, subordinata, connexa, &c: ergo quomodocumque, potiùs creatura, quam Deus, sic se determinat. Hoc argumentum semper vrget, etsi ad responsionem assignent decretum permissivum.

49 *3. ratio fundamētalis, & specialis*

Tertia ratio specialis, & fundamentalis formatur sic: decreta Dei non habent commitem voluntatem creatam: ergo non sunt concomitantia. Probatur antecedens: decreta Dei sunt Dei, non mei, causæ primę, non secundæ: ergo decreta Dei non habent commitem voluntatem creatam. *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius: voluntatem creatam ab æterno decernere virtualitèr, etsi non formalitèr, quarè Dei, & mei sunt decreta. *Contra.* Contra: voluntas creata ab æterno non minùs decernit virtualitèr odium, quam amorem; nam secundum vtrumque continetur virtualitèr in primo libero; quarè ergo in tempore magis elicit formalitèr amorem, quam odiū? *Si dicas.* Si dicas: quod hoc provenit à Deo, tollitur libertas creaturæ. Si à creatura, inciditur in scientiam mediam. Si dicas hoc provenire ex virtuali continentia voluntatis creatæ in Divina. *Contra.* Contra: quia vt diximus: vtrumque æquè virtualitèr continetur in primo libero.

50 *4. ratio fundamētalis, & specialis*

Quarta ratio fundamentalis, & specialis hoc modo proponitur: ad eventus liberos futuros, qui à sola Divina voluntate proveniunt sine interventu causæ secundæ liberæ, non datur decretum concomitans: ergo nec ad eventus liberos futuros, qui à Divina, & humana voluntate proveniunt. Probatur consequentia: ideò iuxtà Mastrium *in præsenti num.* 189. ad eventus liberos futuros, qui à sola Divina voluntate proveniunt sine interventu causæ secundę liberę, non datur decretum concomitans, quia eventus prædicti in nullam possunt veluti primam sui causam reduci, nisi in voluntatem Divinam; sed eventus liberi futuri, qui à Divina, & humana voluntate proveniunt, in nullam possunt veluti primam sui causam reduci, nisi in Divinam voluntatem: ergo si ad eventus liberos futuros, qui à sola Divina voluntate proveniunt sine interventu causæ secundæ liberæ, non datur decretum concomitans, nec ad eventus liberos futuros, qui à Divina, & humana voluntate proveniunt. Consequentia est legitima. Maior est Mastrij *citat.* & aliorum Scotistarum, decretum concomitans tuentium. Minor est certa;

alioquim amor à Petro elicitus in ſuam voluntatem, veluti primam amoris cauſam, reduceretur, quod eſt contra fidem, vel valdè in ipſa periculoſum.

51 *5. ratio.* Quinta ratio fundamentalis, & ſpecialis ſic formatur: & ſupponamus, creaturam ab æterno decreviſſe conſenſum hodie eliciendum: conſenſus hodie eliciendus à creatura non oritur ex decreto virtuali creaturæ ab æterno: ergo ex decreto Divino. Conſequentia claret; & antecedens conſtat primo: quia adhuc poſito decreto virtuali ad conſenſum creaturæ ab æterno, nihil obſtat, vt hodie eliceat diſſenſum, vt quotidiè in nobis experimur, qui hodie decernimus, hoc eſſe manè faciendū, & manè alterum facimus. Secundo: nam alioquim decretum creaturæ eſſet infallibile, ſicut decretum Dei, quod eſt falſum. Quæro nunc: cur Deus potiùs decrevit conſenſum, quam diſſenſum? Si, quia Deus voluit; tollitur libertas creaturæ iuxtà Scotiſtas. Si, quia voluntas creata ab æterno virtualitèr illum decrevit, ob hoc non debebat eſſe infallibilis, vt manet probatum: ergo elicientia cōſenſus, & non diſſenſus, oritur præciſè à Divino decreto: ergo tollit libertatem: ergo concomitantia decreti non ſalvat in creatura libertatē.

52 *6. ratio.* Vltima ratio fundamentalis, & ſpecialis formatur ſic: decretum concomitans eſt minùs aptum, vt Deus cognoſcat in illo noſtros actus liberos futuros: ergo non eſt admittendum. Probatur antecedens: ideò iuxtà Maſtrium, & alios Scotiſtas non eſt aptum decretum ſubſequens Jeſuitarum, quia tollit à Deo rationem cauſæ primæ, etſi ſalvet libertatem creatam, & ideò non eſt aptum decretum antecedens Thomiſtarum, quia etſi ſalvet in Deo rationem cauſæ primæ, lædit libertatem creaturæ; atqui decretum concomitans tollit à Deo rationem cauſæ primæ, & lædit libertatem creaturæ, vt ex dictis conſtat: ergo decretum concomitans eſt minùs aptum, vt Deus cognoſcat in illo noſtros actus liberos futuros.

§. V.

Solvuntur Maſtrij argumenta.

53 *Arguit. 1.* MAſtrius *in 1. diſp. 3. quæſt. 3. art. 8. num. 168.* varia adducit Scoti loca pro decreto concomitante. Primo adducit Scotum *in 1. diſt. 40. §. Ad ſecundum*, ſic loquentem: *Sicut voluntas creata mereri poteſt damnationem; ita etiam poteſt concomitanter ſequi, quod voluntas Divina non præordinaverit hominem ad gloriam*: ergo iuxtà Scotum admittendum eſt decretum concomitans. Reſpondeo Scotum intelli de concomitantia illationis, & conſequentiæ, quatenus benè ſequitur: voluntas meretur damnationem: ergo Deus non præordinavit illam ad gloriam, quod eſt certiſſimum in omnium opinione, & ex quo nullatenus ſequitur concomitantia decreti. *Reſpondeo.*

54 Et quod hæc ſit vera mens Scoti, patet primò: quia ibi Scotus non loquitur de decreto, quo Deus decernit damnationem, de quo eſt difficultas, quomodo cum ſit infallibilis, & ab æterno, non lædat libertatem voluntatis creatæ, & de hoc non dicit Scotus, quod ſit concomitans, ſed de non ordinatione voluntatis ad gloriam, de qua dicit, ſequi concomitanter, vt explicet, & declaret infallibilem conſequentiam vnius ad aliud, quaſi diceret: hæc voluntas meretur damnationem: ergo Deus illam non præordinavit ad gloriam.

55 Patet ſecundò: nam ibi Doctor totus eſt in firmando, quod voluntas creata non poteſt impedire ordinationem voluntatis Divinæ, & tanquā certiſſimum firmat, quod infallibilitèr evenier id, quod prædifinit Deus, & per conſequens, quod prædeſtinatus non damnabitur, cum quo probat Doctor, ſtare in voluntate creata libertatem ad merendum ſuam damnationem; quomodo autem hæc cōponantur, Scotus ibi non reſolvit.

56 Maſtrius *num.* 170. fatetur, Scotum loqui de concomitantia illationis, & conſequentiæ, & replicat contra noſtram ſolutionem: nam ſi ex hoc, quod voluntas creata poteſt mereri damnationem, ſequitur concomitanter, quod voluntas Divina non præordinaverit ipſam ad gloriā: ergo decretum de non prę ordinando ad gloriam non eſt omnino antecedens ad voluntatem, ſed potiùs concomitans. Hæc tamen replica non ſalutat noſtrā reſponſionem. Primò: quia Scotus non loquitur, vt diximus, de decreto damnationis, de quo eſt difficultas. Secundò: quia dato,

quod decretum de non præordinando ad gloriam non sit antecedens, vt vult Mastrius; non probat esse concomitans; immò ex Scoti verbis potiùs infertur, esse subsequens, vt ex ipsis claret, & Mastrius non admittit.

57 *Arguit.* 2. Secundò adducit Scotum *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. *§. Dico ergo*, dicentem: quod causa secunda prævenia à prima ad vnum oppositum, non potest in aliud oppositum potentia propinqua; vndè deducit, Beatos in Patria, licèt remotam habeant libertatem circà fruitionis actum; non tamen proximam, & expeditam, qualem nos habemus in nostris actibus: ergo decretum, quo Deus ab æterno nostros præfinivit futuros actus liberos, non est antecedens, sed concomitans. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam pro secunda parte, quam non probat Mastrius; nam ex eo, quod decretum non sit antecedens, vt à Thomistis ponitur, non sequitur, quod sit concomitans, vt de se claret.

58 *Arguit.* 3. Tertiò adducit Scotum multis in locis præcipuè *in* 3. *dist.* 17. qui propter concordiam concursus causæ primæ cum causa secunda, & ad salvandum vsum libertatis eius, vult, Deum non operari ad operationem voluntatis creatæ, nisi ipsa liberè agente, & ad agendum se determinante in tempore: ergo secundum Scotum sic etiam dicendum est de decreto æterno. Probatur consequentia: quia non aliter Deus res efficit in tempore, quã illas ab æterno efficere decrevit; sed Deus in tempore res non efficit sine concursu causarum secundarum: ergo nec eas ab æterno fore decrevit sine determinatione illarum saltim virtuali. Probatur maior: quia non alia de causa secundum Scotum Deus res efficit cum causis secundis simul simultate *in quo*, & illas movet motione concomitanti actionem earum, nisi, vt in illis salvetur libertas: ergo etiam eodem modo iuxtà eius principia dicendum est ab æterno.

59 *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem, concessis præmissis, nego consequentiam; quia vt Deus non aliter res efficiat in tempore, quam illas ab æterno efficere decrevit, sufficit, vt ab æterno decrevisset, in tempore efficere res cum concursu causarum secundarũ; non verò, quod ab æterno simul cum illis decrevisset, vtpotè, impossibile, & repugnans, vt constat ex rationibus contra decreti concomitantiã *§. antec.* assignatis. Nec contra hoc facit, quod Mastrius adducit *n.* 171.

Et vt hoc manifestè appareat, attentè advertatur, quod solum de Deo dicitur, quod non aliter res efficiat in tempore, quam eas ab æterno efficere decrevit: ergo quod in tempore efficiat res concursu concomitante concursum creaturarum, est, quia sic ab æterno efficere decrevit; alioquin etiam diceretur de creatura, quod non aliter res in tempore efficit, quam eas ab æterno efficere decrevit, quod est falsum; aliàs ita esset infallibile decretum creaturæ, ac decretum Divinum: ergo quod Deus non aliter in tempore res efficiat, quã eas ab æterno efficere decrevit, non est, quia creatura ab æterno decernat: ergo non datur decretum concomitans. 60

61 *Arguit.* 4. Quartò adducit Scotum *in* 1. *dist.* 38. *artic.* 2. *§. Ad primam eorum*, vbi tangens radicem primariam concomitantiæ decreti Divini cum voluntate creata, ipsam refundit in continentiam eminentialem, & virtualem voluntatis nostræ in voluntate Dei: ergo iuxtà Scotum datur decretum concomitans. *Respondeo.* Respondeo, Scotum ibi nec verbum ex his, quæ Mastrius adducit, habere; nam ibi inquirit Doctor: vtrùm scientia Dei respectu factibilium sit practica, & in §. allegato totus est Doctor in ostendendo, Deum esse necessario scientem, & quod voluntas non est libera ad intra, quæ quasi præcedunt actum eius, vt est scientia præcedens actum voluntatis, & quod libertas voluntatis est ad omnia factibilia; quim mentionem faciat in tali distinctione de concordia libertatis creatæ cum decretis Divinis.

62 *Arguit.* 5. Deniquè adducit Scotum *in* 1. *dist.* 39. *§. Viso de contingentia*, vbi ait: quod ex decreto, sivè determinatione voluntatis Divinæ provenit, quod illa, quæ sunt ex se contingentia, sint determinata, & repræsententur in essentia Divina determinatè; atqui in alijs locis impugnat prædiffinitiones, sivè prædeterminationes, tàm intrinsecas, quam extrinsecas, vt læsivæ libertatis creatæ: ergo quia sentit Doc-

tor,

tor, decretum non esse antecedens, sed concomitans. Respondeo negando consequentiam quoad secundam partem, quia licèt ibi Scotus impugnet decretum antecedens, vt à Thomistis ponitur; decretum tamen concomitans non approbat.

Respondeo.

63 *Arguit. 6.*

Vltrà Scoti authoritates, adducit Mastrius *num.* 180. & 181. authoritates D. Augustin. & Chrisostomi pro suo concomitante decreto, quas ommitto referre, quia si aliquid probant, probant dumtaxat, decretum non esse antecedens, vt ex authoritate Chrisostomi, quæ (vt ait Mastrius) est testimonium clarius, patet evidentèr; ex quo nihil contra nos, vtpotè, neutrū defendentes, & vtrumque impugnantes. Ad rationes ergo Mastrij deveniamus.

64 *Arguit 7. Mastrius ratione à posteriori.*

A posteriori, & à priori probat Mastrius decretum concomitans. A posteriori sic: quidquid perfectionis est in rebus creatis, transferendum est ad Deum omni imperfectione sublata; sed ætimatur perfectio inter homines, quod vnus interdum incidat omnino in determinationem alterius, nulla existente in illo præscientia determinationis alterius, ex sola similitudine, ingenio, vel complexione, vel mero casu: ergo quod in nobis à casu est, defectu cognitionis determinationis alterius, aut ex intentione, ex præsuppositione talis cognitionis, debet poni in Deo sine his imperfectionibus per solam coincidentiam suæ voluntatis cum voluntate creata, ratione virtualis continentiæ istius in illa.

Respondeo.

Respondeo negando minorem: quia illa coincidentia multotiès erit in aliquo actu pravo, & etiam si aliquando in bono, vel indifferenti, hoc erit merus casus, in quo numquam potest inveniri perfectio, nec imperfectio.

65 *Probat à priori.*

A priori sic probat: quia Deus, ex quo est primum ens, continet virtualitèr omnia entia, & ex quo est primū efficiens, continet virtualitèr omnes causas secundas, & modos causandi earum; & ex quo est primum intelligibile, continet virtualitèr omnia intelligibilia, & perfectiùs movet ad ipsorum cognitionem, quam ipsamet moverent: ergo ex quo est primum volitivum, continet virtualitèr omnes voluntates, & omnes modos volendi earum in quibuscumque circunstantijs: ergo potest coincidere in quascumque volitiones earum, & determinare se ab æterno ad illam volitionem, vel nolitionem, ad quam se determinatura est in tempore voluntas creata, quæ cum ipso Deo etiam se condeterminat in æternitate saltem virtualitèr.

66 *Respondeo.*

Respondeo negando secundam consequentiam, quia non apparet, quomodo ex continentia virtuali, aut eminentiali inferatur coincidentia voluntatis continentis cum voluntate contenta. Vndè enim scit Deus, quod voluntas illa, quæ in tempore erit indifferens ad vtrumlibet, non se determinabit ad partem oppositam?

Dices.

Dices hoc scire, ex eo, quod voluntas creata ob virtualem continentiam se ab æterno condeterminat virtualitèr cum voluntate Divina.

67 *Contra.*

Sed contra: quia hæc virtualis condeterminatio iam manet impugnata, & contra illam arguo iterum sic: si ex virtuali continentia posset inferri virtualis condeterminatio æterna voluntatis creatæ, sequeretur, quod voluntas creata suum actum elicere non posset, nisi ad illum simul concurrerent omnes causæ creatæ etiam naturales, quod est absurdum. Probatur sequela: quia non minùs continentur virtualitèr in Divina voluntate omnes aliæ causæ creatę, quam hęc creata voluntas; sed ipsa in tantum condeterminat se ab æterno ad dandam futuritionem suo actui, simul cum voluntate Divina, quia continetur virtualitèr in illa: ergo eodem modo se condeterminabunt omnes aliæ causæ ibi virtualitèr contentę ad dandam futuritionem eidem actui huius voluntatis creatæ. Sed quod dat futuritionem dat existentiam: ergo omnis causa creata concurrit ad actum voluntatis huius.

68

Simili argumento probari posset, sequi ex prædicta responsione, quod idem actus, qui nunc elicitur, condeterminavit se ab æterno cum voluntate Divina, in qua continebatur virtualitèr, ad dandam futuritionem sibi ipsi secundum esse formale, & per cōsequens existentiam à se ipso habere in tempore eodem modo, quo illam habet à voluntate. Et paritèr sequi videtur, quod aliquid habens minus esse, quale est, esse virtuale, potest dare maius esse in genere causę efficientis, quale est, esse formale.

69 Præterea, illa virtualis condeterminatio, adhuc admissa, non videtur salvare libertatem voluntatis creatæ in tempore, quo elicitur actus. Quæro enim ab eius assertoribus, vtrum voluntas, quæ sic se ab æterno condeterminavit ad actum amoris pro *cras*, possit *cras* cum omni indifferentia elicere actum odij? Si dicatur quod sic, iam illud decretum Dei æternum de concurrendo cum ista voluntate ad talem actum, non erit medium aptum ad cognoscendum infallibiliter ipsum futurum, aliàs posset falli scientia Dei, quia voluntas potest *cras* non elicere actum illum. Si dicatur, quod non; tollitur libertas, vt patet.

70 *Dices.* Dices: tolli libertatem in sensu composito, sed non in sensu diviso, quia stante decreto Dei, & condeterminatione virtuali æterna voluntatis, non potest stare indifferentia eius ad vtrumlibet; benè verò prescindendo à tali decreto, & condeterminatione. Contra: quia eodem modo respondent prædeterminantes, & omnes instantiæ, quas contra eos facimus, vrgent etiam in præsenti, quia semper stat sensus ille compositus, & sic nunquam stat libertas. Nec Hæretici negant libertatem in sensu diviso, sed in sensu composito, & tamen nos Catholici absolutè dicimus, eos auferre libertatem.

Contra.

o)(§)(o

EX TRACTATU DE VOLUNTATE DEI.

QUÆSTIO DECIMASEPTIMA.

An detur in Deo libertas contradictionis, ita, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa?

HAnc difficultatem in hoc tomo pertractare, promisimus *tom.2. in 1. Sent. disput. 55.* Et quia promissio facta est contra Scotistas, contra istos præcipuè difficultatem resolvemus.

§. I.

Certa declarantur, & referuntur opiniones.

Num.1 *Sub alijs terminis difficultas proponi solet.*

SVb alijs terminis hęc ab alijs solet difficultas proponi. Felix *tom.1. tract. de Voluntate, cap.4. diffic. 2.* sub hoc titulo eam disputat: *Vtrùm detur in Deo libertas negativa?* Antonius Perez *tom.1. tract. de Voluntate Dei, disp.5. de Voluntate Dei ad extra*, eam proponit his terminis: *Vtrùm in Deo sit libertas immediata contradictionis?* Augustinus de Herrera ex Societate *tract. de Voluntate Dei, quæst.14. sect.2.* illam sub his vocibus movet: *Vtrùm Deus habeat libertatem puræ contradictionis, sivè an Deus possit habere puram omissionem?* Nos autem sub præfato titulo eam examinamus, quia in rei veritate est in Scholis notior. Pro qua.

2 *Divisio libertatis in libertatem cõtrarietatis, & contradictionis.*

Certa, & apud omnes nota est divisio illa libertatis in libertatem contrarietatis, & libertatē contradictionis. Libertas contrarietatis consistit in indifferentia ad actus, v.g. ad velle, & nolle. Libertas contradictionis cōsistit in indifferentia ad actum, & negationem actus, v.g. ad velle, & non velle. Ex quo reiectum manet placitum aliquorum dicentium, quod libertas contradictionis consistit in indifferentia ad obiecta contradictoriè opposita; nam in hoc sensu nulli dubium, dari in Deo libertatem contradictionis, quia omnes fateri tenentur: Deum posse velle rem esse, vel non esse, quæ sunt obiecta contradictoriè opposita.

Certum etiam est: hanc contra-

3

dic-

Libertas cõtradictionis reperitur in volũtate creata

dictionis libertatem in voluntate creata reperiri, qualiter docent omnes Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 49. quæst. 10.* Et plures Thomistæ *1. 2. quæst. 6. ad artic. 3. & quæst. 71 artic. 5.* affirmantes: quod adhuc obiecto voluntati proposito, potest voluntas nostra ab omni actu positivo cessare, exercendo suam libertatem per puram ommissionem, quæ voluntaria, & libera erit libertate negativa. Vndè hoc non supposito, nulla est quæstio, quia Thomistæ, qui voluntarium purè negativum in voluntate creata reputant impossibile, astruentes, quod obiecto per intellectũ cognito, necessitata manet voluntas ad aliquem positivum actum liberum erga ipsum exercendum, etsi in quolibet actu determinatè accepto libera sit, à fortiori id ipsum de voluntate Dei debent affirmare.

4 *Deus est liber ad extra.*

Denique certum est, & nihil certius, quam Deum esse liberum ad extra; constat enim expressè ex Sacra Scriptura, vt Psalm. 93. *Deus vltionum liberè egit.* Exod. 33. *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quæm mihi placuerit.* Et alibi sæpè. Ratione demonstratur à Doctore multiplicitèr *in 1. dist. 8. quæst. 5. à num. 19 V. Secundò arguo.* Et primo sic: aliquid fit contingentèr in rerum natura: ergo causa prima liberè, seu contingenter causat; nam si prima causa necessario se haberet ad secundam, si illa necessariò moveret, aut concurreret; in ista nulla esse posset contingentia.

Probat. 1.

5 *Secundò.*

Secundò: aliquod malum fit in Vniverso: ergo Deus non causat necessario: nam agens necessarium producit in susceptivo, quantum potest produci in eo; sed effectus Dei esset bonitas, & perfectio: ergo Deus necessariò agens produceret tantam bonitatem, quantæ ipsum susceptivum capax est; sed cum tanta bonitate nulla est compossibilis malitia: ergo Deus liberè agit, si aliquod est malum in rerum natura.

Tertiò.

Tertiò: omnis causa necessario agens, agit secundum vltimum potentiæ suę; quia sicut non est in potestate sua agere, & non agere, ita nec intensè, & remisè agere: vndè omne causabile causatum esset.

Quartò.

Quartò: si Deus ageret necessario, ipsius concursus esset ex natura rei determinatus ad vnum: ergo voluntas nostra non posset esse libera, & indifferens ad plura; nam est implicatoria indifferentia ad id, ex cuius positione sequitur contradictio: ergo evidenter convincitur, Deum esse liberum ad agendum, & non agendum, secundum libertatem contrarietatis, & contradictionis.

6 *Status difficultatis aperitur.*

Quod enim vertitur in dubium, est: An sicut voluntas nostra, obiecto sibi proposito, manet libera, ne dum libertate contrarietatis, quatenus potest illud velle, vel illius contradictorium per actum positivum, sed etiam est libera libertate contradictionis, taliter, quod potest nullum actum erga illud elicere, se exercendo per puram ommissionem libertate negativa: ita voluntas Dei, proposita sibi ab æterno futuritione Petri, & negatione illius, non solum sit libera libertate contrarietatis, quatenus potuit velle futuritionem, aut illam nolle; sed etiam libertate contradictionis, ita, vt potuit merè negativè se habere, nec volendo futuritionem, nec illam nollendo, sed liberè ab omni actu cessando.

7 *Amplius declaratur.*

Pro quo notandum est, quæstionem non esse: An Deus possit se suspendere, seu non habere actum amoris, seu volitionis quoad substantiam, & entitatem; quia sic est æquè necessarius simpliciter ac ipse Deus. Solum igitur est quæstio de terminatione, seu attingentia, aut denominatione in ordine ad creaturas secundum hunc sensum: Vtrùm Deus possit liberè suspendere omnem attingentiam, seu terminationem positivam erga creaturas, tàm directam, quam reflexam, ita, vt nullum habeat exercitium, præter negationem, aut privationem positivæ terminationis?

8 *1. Sentent.*

Navarrete Nazarius. Albelda. Salmantic. Suarez. Bazquez. Granadus. Arrubal. Fasolus. Alarcon.

In qua duplex ex diametro opposita versatur sententia. Prima est negativa, apud Recentiores communis. Illam tenent ex Thomistis Navarrete, Nazarius, & Albelda, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses *tract. 4. disp. 5. dub. 3. §. 2.* Ex Patribus Societatis Suaret *disp. 30. Metaphisicæ, sect. 9. num. 59.* Bazquez *disp. 79. cap. 3.* Granadus *tract 3. disp. 6.* Arrubal *disput. 56. cap. 2.* Fasolus *circa artic. 3. huius quæst. dub. 3. num. 16.* & Alarcon *tract. 3. disp. 4. cap. 1.* Adstruentes, quod etsi voluntas Divina fuerit libera in volendo, v.g. futuritionem Petri, aut volendo negationẽ futuritionis eius

de-

determinatè, illorum tamen aliquod vagè necessario voluit: vndè non potuit ab omni actu libero erga illa extrema suspensa manere.

9 *Mastius. Felix.* Ex Scotistis verò illam obitèr tradit Mastrius *in* 1. *disp.* 2. *quæst.* 4. *num.* 206. Et *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 9. Felix *tom.* 1. *tract. de Voluntate, cap.* 4. *diffic.* 2. *Durant. Antonius Perez.* Durant. *tract. de Voluntate, disput.* 3. *quæst.* 2. Antonius Perez *tom.* 1. *tract. de Voluntate Divina, disp.* 5. *sect.* 1. Isti autem Scotistæ, etsi Recentiores sint, nullum Antiquiorem Scotistam pro hac opinione referunt, & quod magis mihi mirum est, est, quod Scotum non afferant, nec citent pro hac opinione, Mastrio excepto, qui *disput.* 4. *citat.* allegat Scotum *in* 1. *dist.* 45. *in fine.*

10 *2. Sentent. Durandus. Ferrara. Catherinus Curiel. Ill. Godoy. Gregorius. Gabriel. Villegas. Hurtado. Basolus. Tataretus. Pontius.* Secunda sententia affirmat: Deum potuisse merè negativè se habere, & consequentèr ab omni actu libero suspensum manere. Ita Durandus, Ferrara, Catherinus, Curiel relati à Salmanticensibus *tract.* 4. *disp.* 5. *dub.* 3. §. 1. Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part. disp.* 55. Gregorius *in* 1. *dist.* 46. §. *Quamvis.* Gabriel *artic.* 3. Villegas *controvers.* 9. *cap.* 4. Hurtado *disp.* 2. *diffic.* 3. Et ex Scotistis Basolus *dist.* 41. *artic.* 4. Tataretus *dist.* 47. Pontius Cursu Theolog. *disp.* 6. *quæst.* 2. *num.* 12.

11 Pro hac opinione citari solet Scotus *in* 1. *dist.* 41. §. *Contra istud.* Sed non placet: nam ibi Doctor solum docet: Deum in primo instanti circa Iudam habuisse se merè negativè, nequè prædestinando, nequè reprobando, quod verum est, sed hoc non inquirimus; sed an Deus pro tota æternitate possit merè negativè se habere? Nam optimè stat, quod pro instanti primo rationis Deus se habeat merè negativè circa Iudam, & in alio instanti positivè reprobet, & pro tota æternitate. Citatur etiam *dist.* 47. *litt. C.* Et *in Reportatis dist.* 48. *in solut.* 2. *argum. quæst.* 4. Sed immeritò etiam, nam ibi Scotus loquitur de peccato, circa quod Deus nequit habere actum positivũ, nisi nolle, quod si efficax sit, nullum erit peccatum, & in præsenti non loquimur de peccato; sed de alijs privationibus, vel negationibus, & de actu, vel ommissione efficaci.

12 *Scotus.* Melius tamen citari valet Scotus *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. §. *Contra istam.* Et *dist.* 32. *quæst.* 2. *in fine.* Et *dist.* 39. §. *Quantum ad* 2. Quibus in locis sentit Scotus; Deum liberè libertate contradictionis amare possibilia. Cæterum quia hoc negant Scotistæ plures, melius contra omnes citari valet *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Ostenso esse de proprietatibus.* Et *dist.* 8. *quæst.* 5. §. *Contra igitur.* Et *dist.* 39. §. *Tertia positio dicit.* Et *dist.* 42. *quæst. vnica.* Et *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 3. Et omnibus alijs locis, in quibus Scotus asserere videtur, quod si Deus ad extra necessario ageret, creatura liberè agere non posset, nam huic videtur valdè conformis prædicta sententia, vt clarebit ex prima probatione conclusionis.

§. II.

Vera sententia eligitur, & probatur.

13 *Conclusio.* CONclusio: *Datur in Deo libertas contradictionis, ita, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa.* Sic Authores pro secunda sententia relati, & promissum adimplendo, probatur primò ad hominem contra Scotistas: non stante in Deo libertate, non stat libertas in creatura: ergo stante libertate in creatura, stat libertas in Deo: ergo stante in creatura libertate contradictionis, scilicèt, indifferentia ad actum, & negationem actus, stat in Deo talis libertas contradictionis. Atqui stat in creatura prædicta libertas contradictionis: ergo etiam stat in Deo: ergo datur in Deo libertas contradictionis, ita, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa. *Probat.* 1. *ad hom. cõtra Scotistas.*

14 *Efficatia rationis declaratur.* Hæc est ratio, à nullo Scotista tradita, videturque convincens in opinione Scoti, vt patebit, omnes propositiones illius declarando. Antecedens est doctrina Scoti *citat. num.* 12. quam omnes Scotistæ amplectuntur, ipsaquè probant contra omnes Thomistas, quod si Deus operaretur ad extra ex necessitate naturæ, non esset liberum arbitrium creatum, vt nos probavimus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disp.* 54. §. 4. Vtraque consequentia est evidens propter eadem rationem; alioquim maneret liberum arbitrium creatum, etiam si Deus ad extra operaretur ex necessitate naturæ, quod est contra Scotum, & Scotistas. Sussumpta est ab omnibus Scotistis concessa, vt suppositum manet *num.* 3. ex ipsaquè legitimè est vtraq; consequentia illata.

15 Nescio, quid possint respondere

ad

Respondeb.

ad hanc rationem Scotistæ; nam si antecedens distingunt, dicendo: non stante in Deo libertate formalitèr, nec eminentèr, non stat libertas in creatura, concedo; non stante formalitèr, benè verò eminentèr, nego. Hæc est solutio à Thomistis tradita, vt propugnent, quod si Deus ad extrà operaretur ex necessitate naturæ, adhuc esset liberum arbitrium creatũ. Vndè si Scotistæ sic respondent, incidunt in Scyllam, cupientes vitare Caripdim; nam vt defendant, in Deo non esse puram libertatem contradictionis, concedere tenentur, liberũ arbitrium creatum manere, etiam si Deus ad extrà ex necessitate naturæ operaretur, quod absquè dubio est contra Scotum, & semper contra ipsos vrgebit. Vltrà quod, & ad maiorem claritatem prædictæ rationis.

Solutio est incõsequens

16 *Impugnat. responsio.*

Impugnationem solutionis, à nobis traditam *tom. & disp. citat. num.* 68. hic transcribo: non stante in Deo libertate formalitèr, non stat libertas in creatura: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non stante in Deo Sapientia formalitèr, non stat Sapientia in creatura: ergo paritèr non stante in Deo libertate formalitèr, non stat libertas in creatura. Consequentia patet: nam ideò primum colligitur, quia Sapientia est perfectio simplicitèr simplex, quæ eo ipso, quod non sit formalitèr in Deo, nequit eminentèr in ipso inveniri; at hæc ratio pari efficatia in libertate militat; cum etiam sit perfectio simplicitèr simplex: ergo etiam in libertate similis consequentia tenet.

17 *Probat. 2. concl. etiã ad hom.*

Et ex hoc ad hominem contra omnes adversarios probatur secundò conclusio: pura libertas contradictionis est perfectio simplicitèr simplex: ergo datur in Deo: ergo potuit eius voluntas ab omni actu libero manere suspensa. Hæc consequentia patet ex diffinitione libertatis contradictionis posita *num* 2. Consequentia prima ex antecedenti infertur. Antecedens verò probatur: libertas est perfectio simplicitèr simplex: ergo pura libertas contradictionis est perfectio simplicitèr simplex. Antecedens est omnium Scotistarum, & etiam Thomistarum. Consequentia probatur: libertas est divisum, & superius; pura autem libertas contradictionis est dividens, & inferius; sed per tè libertas est perfectio simplicitèr simplex: ergo etiam pura libertas contradictionis. Maior est nota, & patet ex *num.* 2. Minor est concessa. Consequentia probatur: quidquid formaliter reperitur in divisso, & superiori, reperitur formalitèr in dividente, & inferiori: ergo quidquid formalitèr reperitur in libertate, quæ est divisum, & superius, reperitur formalitèr in pura libertate contradictionis, quæ est dividens, & inferius. Atqui libertas, quæ est divisum, & superius, est formalitèr perfectio simplicitèr simplex: ergo pura libertas contradictionis, quæ est dividens, & inferius, est perfectio simplicitèr simplex.

18 *Confirmat. exemplo.*

Totum patet in quocumque divisso, & superiori respectu dividentium, & inferiorum, claritatis tamen gratia, ostenditur hoc exemplo: quia enim animal dividitur in rationale, & irrationale, & consequentèr est ad vtrumque superius; quidquid formalitèr reperitur in animali, reperitur formalitèr in rationali, & irrationali, quæ sunt dividentia, & consequentèr inferiora; valet enim: est rationale: ergo est animal; non vero è contra. (similitèrque de irrationali) Atqui libertas ex communi omnium consensu dividitur in libertatem contrarietatis, & contradictionis, vt ex tali cõsensu suppossuimus *numer.* 2. consequentèrque est ad vtramque superius: ergo quidquid formalitèr reperitur in libertate, quæ est divisum, & superius, reperitur formalitèr in vtraque libertate, quæ est dividens, & inferius: ergo cum libertas, quæ est divisum, & superius, sit formalitèr perfectio simplicitèr simplex; vtraque libertas, scilicèt, contrarietatis, & cõtradictionis, quæ sunt dividentia, & inferiora, erit perfectio simplicitèr simplex. Verum igitur suprapositum antecedens est.

19 *Probat. 3. conclus. ad hom. contra Antonium Perez.*

Probatur tertiò conclusio ad hominem specialitèr contra Antonium Perez: nihil certius, quam Deum esse liberum ad extra, & libertate contrarietatis, quia potest velle, & nolle, & libertate contradictionis, quia potest velle, & non velle. Hæc sunt verba, quibus hic Author incipit in hac difficultate. Infero nunc contra ipsum: ergo Deus est liber ad extra ad velle, & non velle. Sunt verba ipsius. Infero amplius: ergo Deus est liber

ad extrà libertate negativa, seu libertate puræ contradictionis, vel vt ipse loquitur, libertate immediata contradictionis. Hæc probatur consequentia: esse liberum libertate negativa, seu puræ contradictionis, vel libertate immediata contradictionis, nihil aliud est, quam posse velle, & non velle, seu esse liberum ad velle, & non velle; atqui iuxtà prædictum Authorem Deus potest ad extrà velle, & nō velle, seu est liber ad velle, & non velle: ergo Deus est liber ad extra libertate negativa, seu libertate puræ contradictionis, vel libertate immediata contradictionis.

20 *Prob. mai.* Maior, in qua poterat esse difficultas, omni caret difficultate, quod sic ostendo: libertas negativa, seu puræ contradictionis, vel libertas immediata contradictionis, est ad actum, & negationem actus; sed velle, & non velle, sunt actus, & negatio actus: ergo esse liberum libertate negativa, seu puræ contradictionis, vel libertatē immediata contradictionis, nihil aliud est, quam posse velle, & non velle, seu esse liberum ad velle, & non velle. Syllogismus est per se notus, ex ipsoque apparet. Authorem prędictum supponere, vt certissimum *numer.* 1. quod *numer.* 4 per suam conclusionem totalitèr, & absolutè falsum reputat. Vndè Authores suæ opinionis Sectatores negant, quod ipse, vt certissimum supponit, non solum, vt consequentèr procedant, sed quia ex necessitate terminorum ad id negandum coguntur.

21 Istæ sunt rationes, quę me movent, vt in doctrina Scoti hanc propugnem opinionem, ex quibus prima est ad hominem contra omnes Scotistas. Secunda contra omnes cuiuscumque Scholæ. Tertia ad hominem specialitèr contra Antonium Perez, eo, quod contra ipsum specialitèr procedam, quia ex Scotistis ipse est, qui hanc quæstionem latiùs pertractat. Sed omittenda non est inæqualitas Scotistarum, nobis in præsenti adversariorum, in loquendo de pura libertate contradictionis, seu de libertate immediata contradictionis, vel de libertate negativa. Loquendo namque de hac libertate contradictionis in creatura, ita illam extollunt, vt nec beata visio, nec amor ad ipsam secutus, potentes sint ad tollendam libertatem prædictam à voluntate beati, ex quo dicunt, & optimè, beatos non esse ab intrinseco impeccabiles. Loquendo tamen de Deo, illam ita minuunt, vt talem libertatem in ipso non relinquant, quod mihi non placet.

§. III.

Aliæ rationes pro conclusione assignantur.

LIcèt rationes suprà positæ sint mihi pro conclusione validiores, quin sit opus recurrendi ad alias; aliæ tamen disputationis gratia proponuntur. Probatur itaquè quartò conclusio: nulla est imperfectio in voluntate Dei, quod ab omni actu libero maneat suspensa: ergo potuit suspensa manere. Consequentia tenet. Antecedens verò probatur: exercitium liberum solum superaddit actui essentiali Divinæ volitionis terminationem, seu denominationem extrinsecam; sed hæc non est perfectio in Deo: ergo etsi adæquatè cessaret ab omni exercitio positivo, nulla sequeretur imperfectio. 22 *Probat. 4. concluſ.*

Respondet Antonius Perez *citat. num.* 16. duplicitèr. Primò retorquendo: exercitium liberum solum superaddit terminationem defectibilem, aut denominationem extrinsecam, quæ non est perfectio in Deo: ergo si Deus in tempore inciperet velle, vel cessaret à volitione illius, quod ab æterno voluit, nulla sequeretur imperfectio; siquidem variatio eius, quod perfectio non est, imperfectio dici non potest. 23 *Respondet Antonius Peret. 1.*

Secundò respondet in forma, negando antecedens, & ad probationem concessa maiori, distinguit minorem: non est perfectio in Deo formalitèr, concedit; illativè, negat minorem, & consequentiam; quia licèt in se perfectio non sit formalitèr, tamen non est exercitium, secundum se, formalitèr imperfectum, & infert perfectissimam libertatem Divinam: si autem daretur in Deo pura omissio libera, etsi non deficeret ipsi aliqua perfectio intrinseca per locum intrinsecum, seu formalem consequentiam, haberet exercitium liberum formalitèr imperfectum, & à posteriori inferretur, non esse infinitè perfectam Divinam libertatem. 24 *Respond. 2.*

Ex his autem responsionibus nulla 25

no-

Reſponſ. 1. retorquet.

nobis officit. Et in primis retorſio nullius eſt valoris, quod vt evidenter appareat, adverſus ipſum contraretorqueo: exercitium liberum libertatis contrarietatis ſolum ſuperaddit denominationem extrinſecam, quę non eſt perfectio in Deo: ergo ſi Deus in tempore nollet, quod ab æterno voluit, nulla ſequeretur imperfectio. Antecedens eſt præfati Authoris *cit. ſect. 2. num. 77.* Conſequentia eſt contra ipſum *diſp. 6. ſect. 1. num. 2.* Reſpondeat Antonius Perez ad hanc cõtraretorſionem de libertate contrarietatis, & ſibi reſpondebit ad retorſionem, quam de libertate contradictionis contra nos facit. Sed ne deficiat ratio. Ratio itaquè eſt: nam ſi Deus non poteſt in tempore nolle, quod ab æterno voluit, quia ſequeretur in Deo mutatio moralis, vel phiſica, vel vtraq; ſimul, vt tenet Author *cit. diſp. 6. n. 17.* & nos inſinuavimus *tom. 2. in 1. Sent. diſp. 53.* nec poteſt in tempore incipere velle, quod ab æterno ommiſit, vel ommiſiſſet, ob eandem rationem.

26 *Reſponſ. 2. impugnat. Primò.*

Solutio autem in forma impugnatur primò: libera terminatio, ſeu denominatio extrinſeca, eſt perfectio in Deo illativè: ergo etiam ſuſpenſio ab illa eſt perfectio in Deo illativè. Probatur conſequentia: ideò libera terminatio, ſeu denominatio extrinſeca, eſt perfectio in Deo illativè, quia infert perfectiſsimam libertatem Divinam; ſed etiam ſuſpenſio ab illa infert perfectiſsimam libertatem Divinam: ergo etiam ſuſpenſio ab illa eſt perfectio in Deo illativè. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt ipſa ſolutio. Probatur minor: ſuſpenſio à libera terminatione, ſeu extrinſeca denominatione, infert in Deo libertatẽ contradictionis; ſed hæc eſt in Deo perfectiſsima libertas: ergo etiam ſuſpenſio ab illa infert perfectiſsimam libertatẽ Divinam. Maior eſt notoria.

27 *Prob. min. 1.*

Probatur minor primò: libertas contradictionis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex ex dictis *num. 17. & 18;* atqui omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſt in Deo perfectiſsima: ergo libertas contradictionis eſt in Deo perfectiſsima libertas. Probatur ſecundò: libertas contradictionis reperitur in Deo: ergo eſt in Deo perfectiſsima. Conſequentia eſt apud omnes Theologos manifeſta; alioquim aliquid reperiretur in Deo, quod non eſſet in illo perfectiſsimum, quod eſt falſum. Antecedens autem eſt Authoris contra quem arguo ex dictis *num. 19.*

Secundò.

28 *Impugn. 2.*

Impugnatur ſecundò allata ſolutio: ſuſpenſio à libera terminatione, ſeu denominatione extrinſeca, infert, Dei libertatem eſſe, qua maior excogitari non poteſt: ergo infert in Deo perfectiſsimam libertatem. Probatur antecedens: ſuſpenſio à libera terminatione, vel denominatione extrinſeca, infert in Deo libertatem contradictionis; ſed ſine hac libertate libertas Dei non eſſet, qua maior excogitari non poteſt: ergo ſuſpenſio à libera terminatione, ſeu denominatione extrinſeca, infert, Dei libertatem eſſe, qua maior excogitari non poteſt. Cõſequentia eſt legitima. Maior notoria. Minor probatur: libertas contrarietatis, & contradictionis eſt, qua maior excogitari non poteſt: ergo ſine libertate contradictionis, libertas Dei non eſſet, qua maior excogitari non poteſt.

29 *Reſpondet Antonius Perez.*

Reſpondet Antonius Perez *num. 24.* quod nimis probat argumentum: nam etiam excogitaretur maior Divina libertas, ſi poſſet peccare, aut ſi poſſet velle malum, & nolle bonum. In forma autem reſpondet negando antecedens, & diſtinguendo minorem probationis: ſine libertate contradictionis, libertas Dei non eſſet, qua maior excogitari non poteſt intra ſummam perfectionem, negat minorem; extrà, concedit minorem. Et ſicut intra ſummam perfectionem Divinæ libertatis non poteſt habere locum, poſſe velle malum, & nolle bonũ, aut poſſe peccare; ſic nec purè omitere.

Format reſponſionem.

30 *Contra 1.*

Hæc tamen ſolutio in multis deficit, & adverſus inſtantiã contra primò: ex eo, quod Deus poſſet peccare, aut velle malum, & nolle bonum, nullatenus arguitur maior libertas Divina: ergo noſtra ratio nimis non probat, & ſolutio illius eſt nulla. Probatur antecedens primò: maior, vel minor libertas ſolum attenditur pœnes ſpecies libertatis; ſed quin Deus poſſet peccare, aut velle malum, & nolle bonum, eſſent in Deo ſpecies libertatis, nempè, contrarietatis, & contradictionis; imò, vt diximus *num. 19.* dantur de facto iuxtà Authorem, cõtra quem arguo: ergo ex eo, quod Deus poſſet peccare, aut velle malũ,

Antecedens prob. 1.

&

& nolle bonum, nullatenus arguitur maior libertas Divina.

31 *Secundò.* Probatur secundo idem antecedens: id, quo præcisso, vel ablato, stat libertas, qua maior excogitari non potest, non arguit maiorem libertatem; sed præcisso, vel ablato, quod Deus posset peccare, aut velle malum, & nolle bonum, stat in Deo libertas, qua maior excogitari non potest, vt est apud omnes Theologos certissimum: ergo idem, quod anteà.

Tertiò. Tertiò probatur, & clariùs: sine potentia in Deo ad peccandum, aut ad volendum malum, & nolendum bonum, stat in Deo libertas, qua maior excogitari non potest: ergo potentia in Deo ad peccandum, aut ad volendum malum, & nollendum bonum, impertinens est omninò ad arguendā in Deo maiorem libertatem: ergo ex eo, quod Deus posset peccare, aut velle malum, & nolle bonum nullatenus arguitur maior libertas Divina.

32 *Nullitas instantiæ declaratur 1.* Ex hoc quæ apparet: instantiam nihil valere. Primò: nam quod Deus posset peccare, aut velle malum, & nolle bonum, nec constituit nobam speciem libertatis, nec est necessariū ad arguendam in Deo maiorem libertatem; quia cum repugnantia ad peccandum, aut volendum malum, & nolendum bonum (quæ provenit ab infinita Dei Sanctitate, infinitaque rectitudine voluntatis illius) stat in Deo libertas, qua maior excogitari non potest. Ast suspensio Dei ab omni libera terminatione, vel denominatione extrinseca, constituit vnam speciem libertatis, nempè, contradictionis, vt ex eius clarèt diffinitione; quarè si in Deo non est talis libertas, non est liber libertate, qua maior excogitari nequeat.

33 *Secundò.* Secundò nihil valet instantia: quia eadem formari potest contra libertatem contrarietatis. Exemplum est. Supponamus: Deum ab æterno suspensum manere ab omni actu libero, quo in casu, Deus non haberet exercitium libertatis contrarietatis, sed puræ contradictionis. Supponamus etiam: in hoc casu quæri à Theologis: An detur in Deo libertas contrarietatis, seu positiva? Sicut nunc quæritur de negativa. Supponamus deniquè: me negativæ sententiæ adhærere, & Antonium Perez contra me arguere argumento, quo ego contra ipsum vtor, scilicèt, quod si Deus non esset liber libertate contrarietatis, non esset liber libertate, qua maior excogitari nequeat. In hoc itaquè casu ipsi possem respondere, quod ipse mihi respondet, scilicèt, nimis probat argumentum: nam etiam excogitaretur maior Divina libertas, si posset velle malum, & nolle bonum, & certè esset minus impropria instantia, cum esset de exercitio libertatis contrarietatis. Si enim adhuc in hoc casu nihil valeret instantia ob rationes datas, quid valebit in præsenti?

34 *Respondeo ad respons. in forma.* Neque solutio in forma est alicuius momenti. Primò: quia impugnata manet ad hominem contra Scotistas, contra omnes, & specialitèr contra ipsum per dicta §. 2. Secundò: quia etiam impugnata est ex proximè dictis de nullitate instantiæ. Vltrà hæc tamen impugnatur tertio: nam posse velle malum, & nolle bonum, aut posse peccare, non est contra summā perfectionem Divinæ libertatis: ergo ruit solutio. Antecedens sic ostendo: exercitium libertatis contrarietatis non est contra summam perfectionē libertatis Divinæ; sed velle malum, & nolle bonum, aut posse peccare (intellige actu positivo, vel peccato cōmissionis, de hoc enim loquitur solutio) est exercitium libertatis contrarietatis: ergo posse velle malum, & nolle bonum, aut posse peccare, non est contra summam perfectionē Divinæ libertatis. Consequentia est legitima. Minor nota. Maior autem est certa apud omnes Theologos, cognoscentes, & asserentes: Deum esse liberum ad extrà libertate contrarietatis.

35 *Declaratur solutio.* Vndè, licèt verum sit: Deum non posse peccare, aut velle malum, & nolle bonum; hoc non provenit ex defectu libertatis requisitæ ad velle malum, & nolle bonum. Primò: quia cum hæc sit libertas contrarietatis, quę summè perfecta reperitur in Deo iuxtà communem, & generalem omnium Theologorum consensum, attenta ratione libertatis, Deo non repugnat posse peccare, aut velle malū, & nolle bonum. Secundò: quia velle malum, & nolle bonum, non est incomposibile cum libertate, quin potiùs toties experitur in voluntate nostra compositum. Repugnat itaquè Deo ratione infinitæ Dei Sanctita-

tis,

tis, & infinitæ rectitudinis voluntatis Divinæ.

36 *Retorqueo solutionẽ.* Retorqueo denique solutionem: posse peccare Deum, aut velle malũ, & nolle bonum, non est extrà summam perfectionem Divinæ libertatis: ergo nec Deum posse purè ommittere. Antecedens probatum manet per proximè dicta, & patet etiam ex eo, quod Theologi quærentes rationem, quarè Deus peccare non posit, aut velle malum, & nolle bonum, nullus vcusquè recursum fecit ad læsionem, vel destructionem libertatis Divinæ, sed omnes ortum trahere dicunt ex infinita Sanctitate Dei, & infinita Divinæ voluntatis rectitudine. Consequentia probatur: ita iuxtà solutionem comparatur respectu summæ perfectionis libertatis Divinæ Deum posse peccare, aut velle malum, & nolle bonum, ac purè ommittere; atqui Deum posse peccare, aut velle malum, & nolle bonum, non est extrà summam perfectionem Divinæ libertatis: ergo nec Deum posse purè ommittere.

37 *Probat. 5. concluſ.* Probatur quintò conclusio: non est magis, nec minus liber Deus ad producendos effectus ad extrà, quam ad ponendos affectus suæ voluntatis; sed valet impedire omnem effectum, nihil producendo: ergo & poterit impedire omnem affectum, nullum ponendo. Hanc rationem ita propono, quia his terminis eam sibi obiecit Antonius Perez. Solutionem videamus, & alitèr probationem formabimus.

38 *Respondet Antonius Perez. 1. Retorq.* Respondet Antonius Perez *citat. num.* 22. duplicitèr. Primo retorquendo argumentum, quod sic facit: non est magis, nec minus liber ad effectus, quam ad effectus, includendo etiam puram ommissionem liberam, quæ est affectus interpretativè; sed valet impedire omnem effectum: ergo & omnem affectum cum inclusione puræ ommissionis, ita, quod Deus nec velit, nec nolit, nec ommittat, quia est liber ad omnia. Secundò in forma respondet, distinguendo maiorem: non est magis, nec minus liber ad effectus, quam ad affectus; ad omnes, & singulos, seu simul, & divisim, negat maiorem; & singulos in particulari, concedit maiorem; & concessa minori, negat consequentiam. Rationẽ dat; quia posse impedire omnes effectus in communi, & in particulari, nullum producendo, spectat ad rationem perfecti dominij; & non posse impedire omnem affectum liberum, licèt possit quemlibet in particulari, spectat ad rationẽ perfectæ libertatis.

Secundò in forma.

Hæc tamen solutio, & retorsio optima est, intelligendo per ly *Omnem affectum voluntatis*, volitionem, nolitionem, & ommissionem, ob disparitatem in solutione assignatam, & ampliùs declaratur: Voluntas enim quæcumque sit, est necessitata vagè ad aliquem affectum, v.g. ad volitionem, vel nolitionem, vel ommissionem; quia positis omnibus requisitis, necessitatur voluntas ad volendum, vel nolendum, vel ommittendum. Nequè hæc necessitas lædit libertatem, quin potiùs est illius constitutiva, quia libertas non est ad ponendos omnes affectus simul, scilicèt, ad velle, & nolle, & ommittere simul; sed ad ponendum aliquem ex his, scilicèt, volitionem, vel nolitionem, vel ommissionem; consequentèrque non est libertas ad impediendos omnes affectus simul, sed quemlibet ex illis vagè, nempè, vel volitionem, vel nolitionem, vel ommissionem. Et hoc, positis omnibus requisitis ad volendum. Hoc itaquè cum Antonio Perez suppositò, licèt cum aliqua differentia. 39

40 *Alitèr formatur probatio, & præcluditur vtraque solutio.* Alitèr formatur nostra probatio, & præcluditur vtraque illius solutio: non est magis, nec minùs liber Deus ad producendos simul omnes effectus ad extrà, quam ad ponendos divisim omnes affectus suæ voluntatis; sed potest Deus producere omnem effectum simul: ergo & poterit ponere omnem affectum divisim. Totum est ab Authore præfato concessum, vt patet ex eius solutione. Sumo nunc contra ipsum: atqui volitio, nolitio, & ommissio sunt affectus voluntatis Divinæ: ergo poterit ponere quemlibet ex illis: ergo poterit ponere ommissionem: ergo vera est nostra conclusio. Probatur sussumpta: extrema libertatis in Deo repertę, sunt affectus voluntatis Divinæ; sed volitio, nolitio, & ommissio, sunt extrema libertatis in Deo repertæ: ergo volitio, nolitio, & ommissio sunt affectus voluntatis Divinæ. Probatur minor: volitio, nolitio, & ommissio sunt extrema libertatis contrarietatis,

& contradictionis; sed vtraque reperitur in Deo: ergo volitio, nolitio, & ommissio sunt extrema libertatis in Deo repertæ. Consequentia est legitima. Maior nota Minor autem, vltrà hoc, quod probata manet *num.* 2. traditur expræssè ab Authore *citat.* vt dixi *num.* 19.

41 *Probat. 6. conclusio.* Probatur sextò conclusio: sicut se habet concursus Dei ad extrà in ordine ad existentias rerum, sic se habet eius decretum in ordine ad futuritionem earum; sed ad negationem existentiæ alicuius rei, non requiritur influxus positivus Divinæ Omnipotentiæ; nam posita tantum negatione concursus, dabitur non existentia: ergo similitèr, ad non futuritionem non requiritur positivum decretum, sed sufficit negatio omnis decreti.

42 *Respondet Anton. Perez.* Respondet Author præfatus *numer.* 17. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: non requiritur influxus positivus Divinæ Omnipotentiæ, volentis concurrere ad existentiam, concedit minorem; nolentis concurrere, negat minorem; & etiam distinguit consequens.

43 *Reijcitur.* Hæc solutio reijcitur: eo ipso, quod hic, & nunc daretur pura ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, tàm volentis, quàm nolentis positivè concurrere, daretur determinatè non existentia rei: ergo eo ipso, quod ab æterno daretur ommissio omnis decreti positivi voluntatis Divinæ volentis, aut nolentis decernere, daretur determinatè non futuritio rei.

44 *Respondet ipse.* Respondet Antonius Perez *num.* 18. distinguendo antecedens: daretur determinatè non existentia rei, per exclusionem, & repugnantiam cum existentia, negat antecedens; per puram præcisionem, seu simplicem negationem existentiæ, concedit antecedens; similitèr distinguit consequens. Vt enim paries non sit determinatè albus, vel animal non sit determinatè rationale, per puram præcisionem, vel simplicem negationē, sufficit, quod positivè non habeant illas formas, per quas denominantur in esse talium; at verò, vt paries non sit albus, vel animal non sit rationale per exclusionem, & repugnantiam cum his formis, requiritur vltrà, quod habeant formas oppositas.

Exempla. Similitèr, vt futurum non sit determinatè futurum, aut non sit existens per simplicem negationem, aut præcisionem, vt erat ab æterno ante omne decretum, nihil aliud requiritur, nisi pura carentia influxus, seu decreti positivi: Cæterum non futura, aut non existentia, non tantum sic sunt non talia; alias posset Deus de novo ea velle facere futura, vel existentia; sed vlteriùs sunt non talia per exclusionem futuritionis, & repugnantiam cum existentia, ratione cuius requiritur, quod Deus positivè nollit concurrere, & positivè nollit decernere; adhuc ommissa imperfectione, quæ argueretur in Deo ex decreto, aut concursu libero purè negativo.

45 *Impugnat. respons. 1.* Sed, vt verum fatear, hæc responsio valdè logè à veritate distat. Impugnatur primo: eo ipso, quod hic, & nunc daretur pura ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, daretur determinatè non existentia rei per exclusionem, & repugnantiam cum existentia: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non existentia rei per puram præcisionē, seu simplicem negationem existentiæ datur ante puram ommissionem: ergo eo ipso, quod hic, & nunc detur pura ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, daretur determinatè non existentia rei per exclusionem, & repugnantiam cum existentia. Antecedens est certum, illudque debet fateri Author *citat.* ipse namque fatetur in solutione, quod ante omne decretum futurum est nō futurum, vel non existens per simplicem negationem, aut præcisionem; atqui instans decreti de non existentia esset instans ommissionis talis decreti, vt est notum; quia est instans ad velle, & non velle: ergo si non existentia rei per puram præcisionem, seu simplicem negationem datur ante omne decretum; datur etiam ante ommissionem talis decreti. Verum igitur est antecedens.

46 *Prob. consequent.* Consequentia autem probatur: non existentia rei aliter se habet post ommissionem decreti de non existētia, ac se habebat ante talem ommissionem; sed ante talem ommissionem erat non existentia rei per puram præcisionem, aut simplicem negationē: ergo post ommissionem decreti de non existentia, aliter se habet: ergo

est

eſt non exiſtentia determinatè per excluſionē, & repugnantiam cum exiſtentia: ergo vera eſt conſequentia allata. Probatur maior: non exiſtentia rei aliter ſe habet poſt decretum de non exiſtentia, ac ſe habebat ante tale decretum: ergo paritèr: non exiſtentia rei aliter ſe habet poſt ommiſsionem decreti de non exiſtentia, ac ſe habebat ante talem ommiſsionem Antecedens eſt certum, & in ſolutione conceſſum. Conſequentia probatur: ommiſsio decreti de non exiſtentia rei eſt interprætativè ipſum decretum; ſed per te non exiſtentia rei aliter ſe habet poſt decretum de non exiſtentia, ac ſe habebat ante tale decretum: ergo non exiſtentia rei aliter ſe habet poſt ommiſsionem decreti de non exiſtentia, ac ſe habebat ante talem ommiſsionem.

47 *Conſequentia probatur.*

Maior eſt apud adverſarios certa, conceditur que ab Antonio Perez *cit. num.* 22. Conſequentia legitima videtur; ſed ne in hac impugnatione veſtigium difficultatis relinquamus. Cōſequentiam probo: ante ommiſsionem decreti de non exiſtentia rei nihil eſt, quod ſit interprætativè decretum de non exiſtentia rei; atqui poſt ommiſsionem decreti de non exiſtentia rei, eſt aliquid, quod ſit interprætativè decretum de non exiſtentia rei, nempè, ommiſsio decreti: ergo non exiſtentia rei aliter ſe habet poſt ommiſsionē decreti de non exiſtentia, ac ſe habebat ante talem ommiſsionem. Conſequentia eſt legitima. Minor conceſſa. Maior autem ex terminis patet: alioquim ante ommiſsionem daretur ommiſsio, cum ſola ommiſsio ſit interprætativè decretum, apud omnes.

48 *Impugn. 2.*

Impugnatur ſecundò prædicta ſolutio: hoc ipſo, quod hic, & nunc daretur pura ommiſsio peccaminoſa (quam eſſe dabilem ſuppoſuimus in præſenti *num.* 3.) daretur determinatè peccatum, non ſolum per puram preciſsionem, ſeu ſimplicem negationē cum contradictorio peccati, ſed etiā per excluſionē, & repugnantiam cum contradictorio peccati: ergo hoc ipſo, quod hic, & nunc daretur pura ommiſsio omnis concurſus poſsitivi Divinæ voluntatis, daretur determinatè non exiſtentia rei per excluſionem, & repugnantiam cum exiſtentia Antecedens eſt certum; alioquim non eſſet peccaminoſa ommiſsio prædicta, cuius oppoſitum ſupponimus. Conſequentia paritate videtur notoria. Idem argumentum de ommiſsione meritoria formetur, proportione terminorum ſervata.

Impugnatur tertiò: ommiſsio omnis concurſus poſsitivi Divinæ voluntatis, non poſsitis omnibus requiſitis ad volendum, eſt non exiſtentia rei per puram præciſsionem, ſeu ſimplicem negationem: ergo ommiſsio omnis concurſus poſsitivi Divinę voluntatis, poſsitis omnibus requiſitis ad volendum, eſt non exiſtentia rei per excluſionem, & repugnantiam cum exiſtentia: ergo ruit ſolutio. Secunda conſequentia ex prima infertur. Prima autem, & antecedens, ex quo infertur, aliqua indignet probatione, ſeu vt meliùs loquar, explicatione.

49 *Impugn. 3.*

Explicatur antecedens: illa namque ommiſsio nec eſt voluntaria, nec eſt vera ommiſsio. Primum patet primò: quia vt ommiſsio ſit voluntaria debet à voluntate procedere; à voluntate autem procedere nequit, quin adſint omnia requiſita ad volendum, vel non volendum. Secundò: quia vt ommiſsio ſit voluntaria, debent eſſe omnia requiſita ad volendum; alioquim hęc omnia ſequerentur. Primò: quod dormientibus eſſent infinitæ ommiſsiones voluntariæ. Secundò: quod etiam mihi eſſent infinitæ ommiſsiones voluntariæ, & ratio vtriuſque eſt: quia dormientes, & ſimul ego infinita ommittimus. Tertiò: quod deficiente cognitione, ommiſsio eſſet voluntaria, & ex his ſequerentur infinita abſurda iuxtà communem Theologorum ſententiam.

50 *Explicatur antecedens*

Secundum, ſcilicèt, quod ommiſsio, in antecedenti relata, non ſit vera ommiſsio, ex dictis infertur, & declaratur in Deo: Deus enim in illo ſigno, quo voluit omnes homines ſalvos fieri, non verè dicitur, Deum ommiſsiſſe decretum efficax de ſalute, vel reprobatione hominum; ſed merè negativè ſe habuiſſe dumtaxat, vt habet Scotus *in* 1. *diſt.* 41. *§. Contra iſtud*, eſtque doctrina generalis, & de quo diximus *num.* 11. non loqui in præſenti. Verum igitur eſt, quod illa ommiſsio, in antecedenti relata, nec eſt voluntaria, nec eſt vera ommiſsio. Ex quo.

51

52 *Prob. antec.*

Probatur facilimè antecedens: ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, non positis omnibus requisitis ad volendum, est pura, & mera negatio existentiæ rei; atqui pura, & mera negatio existentiæ rei est non existentia rei per puram præcisionem, seu simplicem negationem: ergo ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, non positis omnibus requisitis ad volendum, est non existentia rei per puram præcisionem, seu simplicem negationem. Probato antecedenti restat probare consequentiam.

53 *Explicatur consequentia.*

Explicatur prius: illa enim ommissio, in consequentia relata, & est voluntaria, & est vera ommissio. Est voluntaria, quia procedit à voluntate non volente, cum possit velle, eo, quod sint omnia requisita ad vtrumque. Est vera ommissio, quia est cessatio, vel suspensio ab actu, qui loco illius potuit poni à voluntate. Hæc est generalis doctrina, ex qua probatur consequentia, & meo videri efficacitèr: volitio concursus positivi Divinæ voluntatis, positis omnibus requisitis ad non volendum, est existentia rei per exclusionem, & repugnantiam cum non existentia: ergo ommissio omnis concursus positivi Divinæ voluntatis, positis omnibus requisitis ad volendum, est non existentia rei per exclusionem, & repugnantiam cum existentia. Antecedens à nemine dubitatur. Consequentia est legitima.

Probatur.

54 *Ad exempla respondeo.*

Exempla autem, quæ Antonius Perez adducit in solutione, nullatenus ad rem conducunt; quod enim vt paries non sit determinatè albus, nec animal rationale per exclusionē, & repugnantiam cum albedine, & rationalitate, requirantur, quod habeant formas oppositas, nēpè, nigredinem, & irrationalitatem; hoc provenit, quia nec paries, nec animal sunt agentia libera, de quorum ratione est, posse ommittere actum, ratione cuius convenit illis oppositum, quod in entibus, & agentibus naturalibus contingit, vt manet dictum, & amplius clarebit, argumenta solvendo. Quare nulla paritas desumpta ex illis vim habet contra præsentem decisionem.

55

Probatur deniquè conclusio: si Deus, vt potuit, nihil produxisset ad extra, Omnipotentia Dei absque vlla imperfectione maneret suspensa ab omni exercitio producendi; similiterque misericordia ab omni exercitio miserendi, & Iustitia ab omni exercitio puniendi: ergo si Divina voluntas, vtpotè, libera, ab omni positiva terminatione cessaret, seu omnē talem ommitteret, ab omni tali terminatione absquè vlla imperfectione suspensa maneret: ergo absquè vlla imperfectione admittenda est in Deo libertas contradictionis, ita, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa.

Probat. deniq; concl.

56 *Respondet Durand. 1.*

Hanc rationem non adducit Antonius Perez: illam tamen sibi obiecit Durand. *citat.* ad eamque dupliciter respondet. Primò negando antecedens: quia licèt Misericordia esset sine exercitio miserendi; hoc tamen non esset sine aliquo actu Divinæ voluntatis, quia impossibile est, quod Misericordia, Iustitia, & Omnipotentia sint sine omni exercitio, seu quin Deus velit huiusmodi suspensionem. Respondet secundò concesso antecedenti, negando consequentiam: quia Misericordia, Iustitia, & Omnipotentia sub tali nomine, sunt quasi actus executivi ad nutum Divinę voluntatis, & ideò, licèt sint sine exercitio, nulla sequitur, nec arguitur imperfectio in Deo, imò maior perfectio; at voluntas est potentia necessario activa, ac supræma, & consequentèr non potest reddi otiosa, nec sine respectu, seu tendentia ad creaturas, sine imperfectione, & iniuria.

Secundò.

57 *Neutra solutio satisfacit.*

Neutra tamen solutio satisfacit. Non prima: quia Deus est liber in producendo ad extrà, tàm libertate contrarietatis, quàm contradictionis, vt communitèr à Theologis recipitur, & Author solutionis negare nequit in opinione Scoti, ob à nobis dicta §. 1. Non secunda, quod sic ostenditur primò: Misericordia, Iustitia, & Omnipotentia possunt absquè vlla imperfectione manere ab omni exercitio suspensa: ergo etiam voluntas. Secundò: quia voluntas non est potentia necessariò activa præcisè, vt falsò supponit solutio; alioquim non esset potentia libera ad extrà contra dicta in Scoti opinione: ergo nulla solutio satisfacit, & consequentèr vtraque ruit.

o)§(o

§. IV.

Solvuntur argumenta Antonij Perez.

58 *Arguit. 1.*

ARguit primò Antonius Perez *num.* 4: libertas Divina est infinitæ perfectionis absquè vlla imperfectione; ergo nequit Deus immediatè purè ommittere. Probatur consequentia: talis pura ommissio esset voluntaria negativè, seu interpretativè; sed huiusmodi voluntarium est imperfectum, & consequenter inferens imperfectionem in libertate: ergo nequit Deus purè ommittere. Probatur minor: voluntarium perfectum est vitale, & provenit à principio intrinseco, prævia cognitione; sed quod tantum est vitale, & à principio intrinseco interprætativè, est voluntarium imperfectum: ergo. Vndè implicabit, quod libertas infinita, quæ est absquè vlla imperfectione, exerceatur immediatè per extremum imperfectum; aliàs infinitæ perfectionis non esset. Confirmatur: pura ommissio in nobis, quia tantum interprætativè habet rationem voluntarij, dicitur voluntarium imperfectum, iuxtà communem modum loquendi Theologorum: ergo & in Deo.

Confirmat.

59 *Respondet Ill. Godoy, & Gonet.*

Ad argumentum respondet Ill. Godoy *num.* 26. & cum ipso Gonet *de Voluntate, disp. 3. artic. 4. §. 2. in solut. ad 3. à num.* 138: Voluntarium purè ommisivum, seu interprætativum esse imperfectum in nobis; non autem in Deo; quia in nobis datur per defectum entitatis, & actualitatis actus; in Deo autem solum datur per defectum terminationis, sub conceptu terminationis. Rationem desumunt ex eo, quod libertas creata non est ad terminationes diversas eiusdem actus, sed ad diversos actus: vndè quia in casu puræ ommissionis, nullum habet actum voluntas creata, non salvatur in ea ratio perfectæ libertatis in actu secundò, siquidem actus secundus denominat actum. Cæterum in Deo non est libertas ad diversos actus, sed ad eundem cum diversa terminatione: vndè non intellecta in eius voluntate aliqua positiva terminatione ad creaturas, potest intelligi actus secundus, scilicèt, necessarius.

60 *Impugnat solutionem*

Hanc solutionem impugnat Antonius Perez *num.* 6: entitas Divini actus necessarij, secundum se præcisè, non pertinet ad formalem rationem libertatis, aut voluntarij contingentis, de quo nunc est quæstio: ergo libertas Divina sub ratione formali libertatis solum respicit formalem terminationem defectibilem sub conceptu terminationis: ergo actus secundus formalis libertatis Divinæ consistit in formali terminatione, vt tali. Nunc sic: sicut libertas creata respicit diversos actus, sic libertas Divina respicit diversas terminationes eiusdem actus, servata proportione inter vtramque libertatem; sed quia libertas creata nullum habet actum, in casu puræ omissionis, non salvatur in ea perfecta libertas in actu secundo: ergo quia libertas Divina nullam haberet terminationem, non salvaretur in ea ratio perfectæ libertatis. Confirmatur: in ratione libertatis, actus Divinus necessarius debet comparari cum nostra voluntate in actu primo; nam sicut ista est indifferens ad hunc, & illum actum, sic in sua linea, actus Divinus est indifferens ad hanc, & illam terminationem; sed actus primus, seu indifferentia nostræ libertatis, imperfectè exercetur per puram omissionem: ergo libertas, seu indifferentia divinæ volitionis necessariæ, imperfectè exercetur per suspensionem ab omni positiva terminatione.

Antonius Perez.

Confirmat.

Sed hæc impugnatio veritatem solutionis non destruit. Respondeturque omisso antecedenti cum vtraque consequentia, concedendo præmissas syllogismi, & negando consequentiam ob disparitatem in solutione assignatam. Ad confirmationem similiter respondetur concessis præmissis, negando consequentiam ob disparitatem prædictam, quam nullatenus tangit allata impugnatio, vt ex ipsa constat, & ex eo, quod eadem responsio, quæ est ad argumentum, ad replicam deservit, claret etiam. Hac solutione data, & ab Antonio Perez non impugnata, eam vt veram amplector, & vltrà.

61 *Respondeo: ad impug. & conf.*

62 *Respond. 2. ad argum. & confirm.*

Respondeo secundò ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem concessa maiori, distinguo minorem: voluntarium negativè, seu interprætativè est imperfectum negativè, concedo minorem; positivè, nego minorem, & consequentiam. Et hac distinctione distinguo antece-

dens confirmationis. Itaquè voluntarium negativè dicitur imperfectum negativè, quatenus negat actum, qui est positiva perfectio, vel quatenus ipsi repugnat esse actum, qui est perfectio positivè. Esse autem sic imperfectum, nulla est imperfectio, & consequentèr nullam imperfectionem infert in libertate Divina. Quod vt clariùs patefiat.

63 *Retorqueo argum.* Retorqueo argumentum: æquè repugnat Deo exercitium imperfectum, ac exercitium inhonestum; sed hoc non obstante, datur in Deo exercitium inhonestum negativè: ergo datur etiam exercitium imperfectum negativè. Probatur minor: exercitium actus necessarij Dei est exercitium inhonestum negativè; sed iuxtà omnes actui Dei necessario repugnat honestas, seu bonitas moralis ob defectum libertatis. Item: ipsum voluntarium negativè iuxtà Thomistas, illud in Deo concedentes, esset inhonestum negativè, quia iuxtà illos repugnat puræ ommissioni honestas, seu bonitas moralis: ergo datur in Deo exercitium inhonestū negativè.

64 *Respond. 3.* Respondeo tertiò, aliter distinguendo minorem: voluntarium negativè, seu interpretativè, est imperfectum respectivè, ommitto minorē; absolutè, nego minorem, & consequentiam, & hac distinctione distinguo antecedens confirmationis. Itaq; voluntarium negativè dicitur imperfectum respectivè ad actum, quem negat, qui est perfectio positivè; non verò absolutè; sic enim inspectum, tàm longè abest ab imperfectione, quod sit perfectio simpliciter simplex ex dictis *num.* 17. & 18. Esse autem imperfectum respectivè, nulla est imperfectio, consequentèrquè eam nequit inferre in libertate Divina.

65 *Exempla.* Plura sunt, & ferè infinita exempla pro solutione. Ista, vtpotè, Scoti, sufficiant pro satisfactione ad Scotistam: potentia intellectiva, & actus illius, nempè, visio beata, sunt adhuc in Deo imperfecta respectivè, quia iuxtà Scotum comparatione facta inter potentiam intellectivam, & volitivam, earumque actus, potentia intellectiva non est ita perfecta, ac volitiva, & consequentèr nec visio beata respectu fruitionis; atqui cum hoc stat, quod potentia intellectiva, & eius actus sint in Deo infinitæ perfectionis: ergo cum hoc, quod voluntarium negativè sit imperfectum respectivè, componitur, quod sit in Deo perfectionis infinitæ. Sed ne dicas: intellectum, & voluntatem esse diversi ordinis; intra eundem ordinem exēplum appono: actus liber inefficax Dei, quo vult omnes homines salvos fieri, non est tantæ perfectionis, vtpotè, defectibilis, quatæ est actus efficax liber Dei, vtpotè, infallibilis; atqui vterque datur in Deo: ergo licèt pura ommissio non sit tantæ perfectionis, quantæ est actus positivus, vtrumque in Deo reperiri potest.

66 *Arguit. 2.* Arguit secundo *num.* 7: non datur in Deo libertas immediata contradictionis ad ommittendum positivam reprobationem eorum, qui reprobandi erant, & excludendi à gloria; eo, quod illa reprobatio negativa est imperfecta, vel minus perfecta in ratione providentiæ, quam reprobatio positiva, quę consistit in decreto positivo, & exclusivo eorum à gloria, tanquam à beneficio indebito: ergo neque debet admitti libertas immediata ad ommittendum, quia hæc est imperfecta, vel minus perfecta in ratione libertatis, quam libertas positiva, quæ consistit in positivo exercitio, seu terminatione Divini actus ad creaturas. *Confirmat.* Confirmatur: sicut ommissio positivæ terminationis non esset per defectum entitatis, & actualitatis actus, sed per defectum ipsius terminationis sub conceptu talis; paritèr ommissio positivæ reprobationis non esset per defectum entitatis, & actualitatis actus, sed per defectum terminationis, vt talis.

67 *Respondeo ad argum.* Hoc argumentum, quod latè prosequitur Antonius Perez contra Gonet, omninò ruit, negando suppositum antecedentis, si per ly *imperfecta* intelligit imperfectionem positivè, & absolutè; quia falsum est, quod reprobatio negativa, vel ommissio reprobationis positivæ, si esset, esset imperfecta positivè, vel absolutè, vt statutum est duplici solutione ad primum argumentum *à num.* 62. Si autem loquitur de *imperfecta* negativè, vel respectivè, vt videtur insinuare per sequentia, nempè, *vel minus perfecta*; etiam ruit argumentum, negando antecedens; quia ratio, cur non detur in Deo libertas immediata contradictionis ad ommittendum positivam reproba-

tio-

tionem eorum, qui reprobandi erant, non est, quia negativa reprobatio sit imperfecta, vel minus perfecta, quam reprobatio positiva; sed quia reprobatio, semel, quod aliqui reprobandi sint, fieri debet per decretū positivū.

68 *Ratio solutionis.*

Ratio est: nam talis reprobatio, vt potè, pœnaa, debet supponere culpam, & ad huius mensuram debet esse pœna; atqui hoc debet fieri per decretum positivum; nam per ommissionem, quamvis perfectissima esset, nequit determinari tanta pœna, vt constans est: ergo ratio, cur non detur in Deo libertas immediata contradictionis ad ommittendum positivam reprobationem eorum, qui reprobandi erant, non est, quia imperfecta, vel minus perfecta, sit ommissio, sed quia per illam, à perfectione, vel imperfectione præscindendo, nequit fieri reprobatio supradicta. Et hæc est nostra legitima responsio, per quam ad confirmationem ommitto totum, & nego suppositum; supponit enim, quod reprobatio fieri possit per ommissionem, cuius falsitas est ostensa.

Ad cōfirm.

69 *Alitèr respondet Gonet.*

Alitèr verò respondet Gonet *citat. num.* 143. concedit namquè antecedens, & negat paritatem. Rationem discriminis assignat; quia supposita elevatione creaturarum rationalium ad finem supernum positivum, si nihil decerneret de aliquibus, vel purè negativè se haberet, argueret in provisore imperfectionem; siquidem diminuta esset eius providentia, si consequentèr, & vltimatè non versaretur per positivum decretum, sicut inceperat. Hoc enim non contingit in præsenti casu: quia ante suspensionem Divinæ voluntatis non præsupponitur in Deo aliquod positivum decretum circa creaturas, per quod positivè illas ordinaverit ad aliquem finem; & consequentèr non tenetur postea de illis positivè decernere, & ordinare: vndè ex tali suspensione, nulla esset, aut conciperetur imperfectio, sed potiùs perfectissima libertas, & independentia à creaturis.

70 *Reijcit Antonius Perez.*

Hanc responsionem reijcit Antonius Perez *num.* 9. sic: talis pura ommissio decreti prædestinativi, & etiam exclusivi positivè à gloria, tanquam beneficio non debito, posset cadere sub ratione providentiæ; quia esset interpretativa dispositio, & ordinatio, vt sic ommissus non salvaretur, sicuti positivè fit per positivam exclusionem. Nunc sic; sed ista providentia negativa, & interpretativa argueret Deum imperfectè providum: ergo & illud voluntarium interpretativum argueret imperfectè agentem. Patet consequentia: quia Deus non est minus perfectus, nec minus perfectè liber, qua agens, aut qua se exercens, ac sit, qua providus. Deindè: huic providentiæ interpretativæ nihil deficeret entitatis actus necessarij, sed sola terminatio; atqui hoc non obstante, esset imperfecta hæc providentia, & Deo indecens: ergo eodem non obstante, esset imperfectum illud exercitium. Præterea: decretum positivum, quo Deus elevavit naturam rationalem ad gloriam, non sustulit libertatem contrarietatis, vt aliquos positivè excluderet à gloria, tanquam à beneficio indebito: ergo neque tolleret libertatem immediatam contradictionis ad purè ommittendum vltimatè circa alios, si exercitium ommissivum, secundum se, non esset imperfectum, & Deo indebitum.

71 *Respondeb.*

Respondebis: Deum debere prosequi, sicut inceperat; & quia per decretum positivum elevavit naturam rationalem ad finem supernum, debere positivè decernere de omnibus individuis.

72 *Contra arguit Ant. Perez.*

Contra hoc sic arguit Antonius Perez *num.* 10: positiva ordinatio ad finem supernum, vel si mavis, voluntas antecedens, qua vult Deus omnes homines salvos fieri, compatitur cum voluntate consequenti de plurimorum reprobatione positiva: ergo si exercitium negativum, secundum se, non esset imperfectum formalitèr, posset Deus habere reprobationem negativam, seu interpretativam. Probatur consequentia: magis distat ab illo fine supremo, ad quem ordinavit Deus naturam rationalem, reprobatio positiva, & vlterior destinatio ad pœnam, quam præcisa pura ommissio, tàm prædestinationis, quàm reprobationis positivæ; quia est veluti medium inter vtramque: sicuti magis distat ab adimpletione præcepti, qui positivè vult illud transgredi, quam qui purè ommittit adimpletionem; atqui Deus incipiens à positiva ordinatione ad gloriam, vltimatè finire potest in positiva exclusione ab ea: ergo si exercitium negativum non

est-

esset formaliter imperfectum, posset Deus vltimatè versari per puram omissionem, non obstante illo decreto positivo.

73 *Confirm.1.* Hoc confirmat primò *numer.11*: quia posito decreto positivo de existentia Petri in rerum natura, non est Deus necessitatus ex vi providentiæ ad positivè decernendum per decretum exclusivum omnia accidentalia, quæ nunquam habebit; v. g. nolo, quod sit in pluribus locis, vel difinitivè, vel circunscriptivè; nolo, quod habeat omnes infirmitates simul, aut divisim; nolo, quod fiat invisibilis. Si enim libertas immediata contradictionis non repugnaret Deo, quid intererat, incepisse Deum per decretum positivum, si pura omissio respectu istorum erat composibilis cum illo decreto. Nunc sic; sed pura omissio prædestinationis, & positivę exclusionis à gloria respectu Petri, non destruit decretum positivum, quo ordinavit Deus naturam humanam ad finem supernum: ergo. Minor patet; quia si decretum positivum excludendi à gloria non destruit illud decretum ordinativum, neque pura omissio: ergo si ista repugnat Deo, vt provido, eo erit, quia repugnat Deo exercitium omnissivum, secundum se.

74 *Secundò.* Confirmat secundò: nam sicut positivè decrevit, elevare naturam rationalem ad gloriam, ita positivè decrevit, manifestare suam gloriam ad extra; sed deficeret Deus, qua providus in ordine ad finem supernum, si positivè non excluderet eos, quos non prædestinavit: ergo deficeret Deus, qua providus in ordine ad manifestationem suæ gloriæ, & attributorum, si positivè non excluderet à futuritione eos, quos non fecit futuros.

75 *Tertiò.* Confirmat deniquè: sicut per decretum positivum prævium ordinativum naturæ rationalis ad finem supernum, nullum individuum determinatè prædestinavit, aut positivè exclusit; ita per decretum prævium manifestandi ad extra sua divina attributa, nullum posibile fecit determinatè futurum, aut positivè determinatè non futurum: ergo si quia incepit à decreto positivo, debet Deus, vel positivè includere prædestinando, vel positivè excludere; alioquin deficeret perfectio huius providentiæ: ergo quia incepit à decreto positivo manifestādi attributa ad extra, debet Deus, vel positivè facere futura decernendo, vel positivè non facere, nolendo, vel excludendo à futuritione.

Hæc tamen non infringunt solutionem Gonet; nam ad impugnationem positam *num.70.* respondere valet Gonet: totum esse verum, suppositā elevatione creaturarum rationalium ad finem supernaturalem; falsum verò, non suppositā tali elevatione, vt dixit in solutione. Ad replicam positam *num.72.* concessio antecedenti, negabit consequentiam, ad cuius probationem negabit etiam consequentiā; quia licèt exercitium negativum non sit formaliter imperfectum, vtpotè, elevatione non suppositā, posset Deus per illud exercere suam perfectissimam libertatem; attamen elevatione suppositā, argueret in Provisore imperfectionem ob dicta in eius solutione.

76 *Respondeb. pro Gonet ad impug.*

Ad primam confirmationem omissa maiori, negabit minorem, & antecedens probationis quoad secundam partem; quia suppositā elevatione, pura omissio destrueret in Deo decretum positivum, quo ordinavit Deus naturam humanam ad finem supernum, eo, quod argueret imperfectionem in illo, vt Provisore. Ad secundam superfluit responsio, quia est confirmatio solutionis Gonet, suppositō decreto manifestandi suam gloriam ad extra. Vel si mavis, respondebit, concessis præmissis, negādo consequentiam; nam ad reprobandum efficaciter (de hoc enim loquitur) requiritur decretum positivum; aut ad non faciendos futuros eos, quos non fecit, sufficit omissio decreti futuritionis illorum, per quod soluta manet vltima confirmatio, negando, scilicèt, consequentiam pro secunda parte, quia tàm prædestinatio, quàm efficax reprobatio, & facere futura, est factio, quæ omissioni repugnat; at futura non facere, omissioni potest convenire, vt de se patet.

77 *Ad confirmationes.*

Arguit tertiò *num.12*: libertas Divina nequit exerceri, nisi propter finem; & quidem non vtcumque, sed perfectissimè; sed pura omissio libera, quæ est exercitium libertatis immediatæ contradictionis, non posset esse propter finem, saltim perfectè, vt congruit Divinæ libertati: ergo. Probatur minor: nihil potest esse propter finem aliquem, quin talis finis sit à

78 *Arguit. 3.*

voluntate intentus,& volitus; ſed voluntas,quę purè ommittendo ſe exercer,nihil intendit, ſaltem perfectè: ergo. Minor videtur manifeſta; nam finis eſt, cuius gratia aliquid fit ; & per puram ommiſsionem non fit aliquid, ſed nihil omninò.

Confirmat. Confirmatur:quam plures negant puram ommiſsionem liberam in voluntate creata poſsibilem , eo , quod cum ſit exercitium potentiæ rationalis , debebat eſſe propter finem , quia in hoc ſpecialitèr differt ab exercitijs brutorum;& ſi purè ommitteret,nullum finem intenderet : ergo potiùs id dicendum de Deo. Vlterius , qui admittunt puram ommiſsionem liberā in voluntate creata, aſſerunt , adhuc eſſe propter finem,licet imperfectè,& interprætativè intentum; & de ſe patet, quod ſi propter finem eſt, imperfectè eſt propter finem,cum non poſſit finis perfectè intendi per id , quod nihil eſt. Nunc ſic:ſi reſpectu noſtræ libertatis,quę defectibilis,& imperfecta eſt , adhuc eſt imperfectum exercitium liberum purè ommiſsivum, eo, quod non poſsit eſſe perfectè propter finem; quantò potiùs reſpectu divinæ libertatis?

79 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum , negando minorem , ad cuius probationem diſtinguo maiorem: quin talis finis ſit à voluntate intentus,& volitus poſitivè,vel ommiſsivè,concedo maiorem;poſitivè præciſsè, nego maiorem;diſtinguoque minorem:nihil intendit poſitivè , concedo minorem; ommiſsivè,nego minorem ; & diſtinguo etiam probationem : finis eſt,cuius gratia aliquid fit,poſitivè,vel ommiſsivè, concedo ; poſsitivè præciſsè, nego ; diſtinguoque alteram partem: per puram ommiſsionem non fit aliquid poſitivè , concedo ; ommiſsivè, nego.

80 *Ad cõfirm.* Ad confirmationem ſententiam fateor;ſed illam,nego. Imo illam negat Author argumenti *num.2.* eſtque contra omnes Scotiſtas,& plures Thomiſtas,vt diximus *num 3.*nec eſt quęſtio , illa non admiſſa , vt noravimus eodem *num.3.* Ad vltimum diſtinguo ly *imperfectè*:imperfectè negativè,vel reſpectivè,concedo ; poſitivè,vel abſolutè,nego,& nego ſuppoſitum probationis imbibitæ ; ſupponit enim, quod ommiſsio ſit nihil, quod etiam negare debet Antonius Perez ; nam licèt ommiſsio ſit nihil poſitivum;eſt tamen aliquid negativum, quod verè procedit à voluntate , vt à principio non agente , cum poſsit agere, vt tenent omnes Scotiſtæ , & nos diximus *num. 53.*

81 *Explicatur ſolutio.* Itaquè:ſi Deus,vtpotè,agens liberum,purè ommiſsivè ſe haberet,ageret propter finem perfectiſsimè, non poſitivè,ſed ommiſsivè,quia per hoc exercitium lucraretur perfectiſsimè libertatem contradictionis , quæ eſt perfectio ſimplicitèr ſimplex ex dictis *num.17.* Vndè caſu,quo purè ommiſsivè ſe haberet , finis intentus eſſet ſumma eius libertas,quæ ſumma non eſſet abſquè libertate contradictionis,ex dictis *num.28.* Nec obeſt,quod ommiſsio in voluntate creata ſit propter finem imperfectè , quia vel hoc provenit ex eo , quod datur in nobis per defectum actus , vt dictum eſt *num.59.*vel eſt abſolutè falſum , vt diximus *num. 62.* Et deniquè minus obeſt dicere:ommiſsionem eſſe nihil; cum hoc ſit falſum apud omnes , puram ommiſsionem admittentes.

82 *Arguit. 4* Arguit quartò *num. 13:* voluntas Dei non poteſt non eſſe vltimo determinata ab æterno ; atqui ſi purè ommiſsivè ſe habuiſſet , non eſſet ab æterno vltimò determinata : ergo. Probatur minor: voluntas , quæ purè ommittit, adhuc poteſt velle,aut nolle: ergo poſſet Divina voluntas velle, aut nolle in tempore , ſi purè ommiſsiſſet ab æterno. Si reſpondeas : illam ommiſsionem eſſe vltimam determinationem. *Dices.* Contra : quia ommiſsio omnis determinationis non poteſt eſſe determinatio ; nihil enim decerneret Deus purè ommittens : ergo non eſſet determinatio vltima ; & conſequentèr poſſet velle in tempore. *Contra.* Si dicas : eſſe determinationem efficacē interprætativam non habendi volitionem, aut nolitionem: redeo ad ſuperiora , quia vltima determinatio negativa , ſeu tantum interprætativa in Deo , non poteſt non eſſe imperfecta, & Deo incongrua. *Dices.* *Contra.*

83 *Reſpondeo ad argum.* Reſpondeo ad argumentum reſponſionibus in ipſo datis, & negando vltimum , quod adducit, vel ob dicta *num.59.* vel ob tradita *num. 62.* ad quæ redeo , ſicut ipſe redit. Deinde claritatis gratia reſpondeo negando minorem , & ad probationem diſtinguo antecedens: voluntas , quæ purè

ommit-

ommittit inefficacitèr, adhuc potest velle, aut nolle, concedo antecedens; quæ purè ommittit efficacitèr, nego antecedens, & consequentiam. Ratio est: quia si voluntas Divina ab æterno purè ommisisset, quando erant omnia requisita ad volendum, vel nolendum, vel ommittendum, ita efficacitèr ommitteret; ac efficacitèr vellet, vel nollet, si voluisset, vel noluisset; atqui si vellet, vel nollet, ita efficacitèr vellet, vel nollet, quod si vellet, non posset in tempore nolle, nec ommittere; etsi nollet, non posset in tempore velle, nec ommitere: ergo ita efficacitèr ommitteret, si ommisisset, quod non posit in tempore velle, vel nolle.

Ratio solutionis.

84 *Retorqueo argum. ad hom.*

Vndè argumentum nullius est valoris, & contra ipsum ad hominem retorqueo cum dictis *num.* 25. quia quod ipse cum Theologis asserit de volitione, vel nolitione habita ab æterno, vt Deus in tempore ommittere nequeat, id ipsum nos cũ Theologis asserimus de ommisione ab æterno habita, vt nequeat Deus in tempore velle, aut nolle, in quo non adest levissima adhuc difficultas. Videantur dicta *num.* 25. vt simul cum his contra Antonium Perez, & alios, hoc argumento vtentes, fiat clara retorsio.

85 *Arguit. 5.*

Arguit quintò *num.* 14. Si Deus purè ommitteret decreta positiva circa futuritionem, & non futuritionem rerum, nesciret Deus determinatè, alterum mundum non esse futurum: ergo vt sciat Deus determinatam non futuritionem, neganda est pura ommisio in ipso, & adstruendum positivum decretum.

Respondeo.

Respondeo negando antecedens: quia cum non futuritio sit negatio, sufficit, quod non detur decretum de futuritione alterius mundi, vt cognoscatur, non esse futurum; et si non detur positivum decretum de non futuritione illius.

86 *Impugnat solutionẽ.*

Hanc solutionem impugnat Antonius Perez *num. citat.* nam aliud est loqui de non futuris purè præcisivè, quatenus non dicunt rationem positivæ futuritionis; & aliud loqui de non futuris determinatè excludentibus futuritionem. Iuxtà primum sensum, omnes res erant non futuræ in signo priori ad omne decretum; non tamen excludebant futuritionem: vndè, vt ita cognoscantur non futura, non requiritur positivum decretum. Nunc autem alter mundus, & quodlibet aliud ens purè possibile, non solum non sunt futura per præcisionẽ a positiva futuritione, quatenus non habent decretum de futuritione eorum, sed etiam sunt non futura per exclusionem futuritionis; aliàs quodlibet merè possibile esset nunc indifferens ad futuritionem, & non futuritionem; atqui si non datur decretum de exclusione futuritionis, non datur ex parte non futuri, per quod excludat futuritionem: ergo si daretur in Deo pura ommisio circa non futuritionem alterius mundi, nesciret Deus, quod alter mundus non erat futurus, excludendo futuritionem.

87 *Confirmat.*

Quod confirmat *num.* 15: Si nullum daretur decretum circa non futuritionem alterius mundi, alter mũdus esset nunc, sicut erat in signo ante omne decretum: ergo si tunc non excludebat, nec repugnabat cum futuritione, neque nunc. Patet antecedens: quia neque ex parte Dei, nec alterius mundi datur aliquid de novo, per quod adveniat talis exclusio.

Si dicas.

Si dicas: quod ipsum non esse decreti in signo, in quo poterat esse, si Deus voluisset denominat alterum mundum non futurum cum exclusione futuritionis.

88 *Contra.*

Contra: si Deus voluisset positivè decernere non futuritionem, alter mundus excluderet futuritionem: ergo per non esse huius decreti non potest non futurum esse tale cum exclusione futuritionis. Deindè: si per non esse decreti de futuritione excludit futuritionem. Contra primò: quia pura ommisio non solum est non esse decreti de futuritione, sed etiam est non esse decreti de nõ futuritione: ergo per ommisionem, tàm excluditur futuritio, quã non futuritio. Contra secundò: per non esse decreti de futuritione, præcisè posset inferri non inclusio intra futuritionem, non autẽ exclusio. Si dicas: non esse decreti de futuritione esse interprætativè exclusivum futuritionis. Contra: quia præter imperfectionem, quam suprà arguebat, sequeretur, quod alter mundus verè, & realitèr à parte rei non esset non futurus, sed tantum moralitèr, & interprætativè; quod non vi-

de-

detur congruum, nec consonum rationi prudenti.

89 *Respondeo ad replicã.* Respondeo ad replicam negando minorem; quia casu, quo Deus omitteret futuritionem Petri, v. g. ex parte Dei, & ex parte Petri esset aliquid, per quod excluditur futuritio Petri; nam ex parte Dei esset omnissio futuritionis, procedens à voluntate Dei, non volentis futuritionem, cum possit illam velle; ex parte autem Petri esset vera mutatio, quia transiret de esse possibili absolutè ad non esse determinatè futurum; seu de non esse futuro merè præcisivè, vel negativè, ad non esse determinatè futurum; seu transiret de esse indifferens ad futuritionem, & non futuritionem, ad non futuritionem determinatè. Hoc autem, quod esset ex parte Dei, & Petri, omnissione supposita, nullatenus reperitur ante decretum de futuritione, vel omnissionem decreti. Et hæc est ad confirmationem solutio. *Ad cõfirm.*

90 *Ad impugnat.* Ad impugnationem, nego consequentiam; quia quod facit decretum de non futuritione alterius mundi, vt alter mundus excludat futuritionem, faceret omnissio decreti de futuritione ob rationem datam. Ad primam replicam nego antecedens, ob proximè dicta, quia pura omnissio est solum non esse decreti de futuritione, ad differentiam puræ negationis, vel præcisionis. Ad secundam nego assumptum, quia per non esse decreti de futuritione præcisè, proveniens ab omnissione, infertur exclusio futuritionis; imò est ipsa futuritionis exclusio, non tantum moralis, sed verè, & realitèr à parte rei, vtpotè, verè, & realitèr à parte rei Deus denominaretur decernens omnissivè, & in creatis esset verè, & realitèr à parte rei prædicta mutatio. Hanc doctrinam, quam sufficientèr approbant dicta *num.* 89. & optimè confirmant relata *num.* 83. & 84. efficacissimè magnificant allata a *num.* 49. *vsquè ad* 55.

§. V.

Argumenta aliorum Scotistarum solvuntur.

91 *Arguit. 6. Felix.* ARguit sextò Felix *tom.* 1. *tract. de Volunt. Dei, cap.* 4. *diffic.* 2. *numer.* 4. ratione, quam sibi efficacem appellat: Deo tribuendum est, quod est perfectius; sed actus positivus in Deo circa negationes existentiæ rerum possibilium, quæ nunquã erunt, est possibilis, & perfectior in ratione voluntarij, quam pura omnissio: ergo actus positivus est Deo tribuendus.

92 *Inefficatia argum. ostenditur.* Hoc argumentum, quod efficax appellat Felix, mihi videtur ex omni capite inefficax. Primò: quia falsum supponit, scilicèt, quod in Deo pura omnissio sit negatio actus, quod est falsum; nam libertas Divina non cõsistit in indifferentia potentiæ ad actum, & negationem actus, vti libertas creata; sed in indifferentia actus ad terminationem, vel negationem terminationis circa obiectum creatũ. Vndè licèt in creatis pura omnissio non sit æquè perfecta, ac actus positivus, quia est negatio actus; in Deo tamen hoc locum non habet, quia omnissio solum esset negatio terminationis, quæ non est Dei perfectio, vtpotè, defectibilis iuxtà communem Theologorum consensum. Et iuxtà hoc in forma ad argumentum, respondeo primò negando suppositum ob dicta. *Respond.* 1.

93 *Respond.* 2. Respondeo secundò concedendo totum; quia solum probat: quod sit in Deo concedenda libertas contrarietatis, quod non negamus; non verò probat, quod Deo repugnet libertas contradictionis. Nequè hoc sequitur ex eo, quod actus sit perfectior in ratione voluntarij, quam pura omnissio. Primò: quia dummodo pura omnissio non sit imperfectio, non arguitur repugnantia. Secundò: quia licèt voluntas signi, aut beneplaciti, seu actus liber inefficax Dei, non sit ita perfectus, vtpotè, inefficax, quam efficax volitio, ex hoc non arguitur repugnantia actus inefficacis in Deo. Tertiò: quia ex eo, quod actus positivus Misericordiæ, Iustitiæ, & Omnipotentiæ in Deo sit perfectior, quam pura omnissio, non arguitur repugnantia talis omnissionis in Deo. Ommito alia, & ex his.

94 *Retorqueo argum.* Retorqueo argumentum: Deo tribuendum est, quod est perfectius; sed actus efficax in Deo est perfectior, quam inefficax. Item: actus Misericordiæ, Iustitiæ, & Omnipotentiæ est perfectior, quam pura omnissio: ergo actus efficax, & similitèr actus Misericordiæ, Iustitiæ, &

Om-

Omnipotentiæ, est Deo tribuendus. Et iuxtà hanc doctrinam.

95 *Respond. 3.* Respondeo tertiò distinguendo maiorem: Deo tribuendum est, quod est perfectius in actibus necessarijs, concedo maiorem; in actibus liberis, nego maiorem; ommitto minorem, & nego consequentiam. Vndè: licèt pura ommissio non sit in Deo ita perfecta, ac actus positivus; non ob hoc est à Deo releganda, quia ratione summæ libertatis, qua potitur, potest pro suo libito vti quacumque; alioquim libertas Dei non esset summa, vt probatum manet *num.* 18. *& seqq.*

96 *Arguit. 7. Felix, & Durand.* Arguit septimò Felix *citat.* & cum ipso Durand. *tom.* 1. *tract. de Voluntate, disp.* 3. *quæst.* 2: ex eo, quod Deus aliquid in tempore velle inciperet, sequeretur mutatio physica in illo: ergo voluntas Dei non potuit remanere suspensa ab omni terminatione. Probatur consequentia: si voluntas Dei potuisset ab æterno remanere suspensa circa futuritionem Petri, posset se determinare, & velle futuritionem Petri, vel nolle eam; alioquim Divina voluntas suspensa circa aliquid, nunquam posset velle illud, nec nolle, & consequentèr non esset libera; & sic volendo rem, aut nolendo, circa quam erat suspensa, inciperet velle illam: ergo si Divina voluntas sit libera libertate contradictionis, & possit remanere suspensa. Deus potest incipere velle aliquid in tempore, & consequentèr mutari.

97 *Confirmat. Durand.* Hoc confirmat Durand. *citat*: dato, quod Divina voluntas esset suspensa circa alium mundum, qui possibilis est, ita, vt à Deo non esset volitus, nec nolitus, Deus posset velle illum mundum in tali tempore creare; aliàs sequeretur, quod non posset facere, quidquid est possibile: ergo ex suspensione voluntatis sequitur, quod Deus potest in tempore velle aliquid; sed ex eo, quod Deus possit incipere in tempore velle aliquid, sequitur in illo physica mutatio: ergo reijcienda est suspensio voluntatis Divinæ, ex qua sequitur incipere velle in tempore, ex quo sequitur mutatio in sententia Goneti. Hoc tamen argumentum simul cum confirmatione solutum manet ex dictis *n.* 25. 83. *&* 84.

Argum. solutum manet.

98 *Arguit. 8.* Arguit octavò Felix, & cum eo Durand. *citat*: nihil potest concipi, quod non sit à Deo ordinatum, eiusque Imperio subditum iuxtà illud ad Rom. *cap.* 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*; sed si Divina voluntas posset remanere suspensa ab omni actu libero, hoc esset falsum: ergo, &c. Probatur minor: nihil potest ordinari, nec subijci Imperio, & potestati Divinæ, nisi sit à Deo volitum, vel nolitum; cum ordinatio, potestas, & Imperium sint actus Divinæ voluntatis; sed si esset aliquid circa quod Divina voluntas fuisset suspensa, non esset volitum, nec nolitum: ergo non esset à Deo ordinatum, nec subditum Imperio Dei, tamen esset à Deo, cum possibilia habeant esse à Divino intellectu, & omnia quæ sunt, à Deo sunt. Hoc etiam argumentum manet solutum per dicta *num.* 79. 80. *&* 81. Nec obest, quod addit Felix, scilicèt, quod ommissio non esset honesta; quia vltrà hoc, quod apud nos est falsum, vt etiam fatetur Felix, manet solutum *num.* 63.

Argum. solutum manet.

99 *Arguit Mastrius.* Mastrius denique *in* 1. *disp.* 2. *quæst.* 4. *num* 206. arguit, etsi obitèr contra nostram conclusionem: si enim Deus ab æterno per infinitam sapientiam suam novit quidquid ab æterno velle potest, & omnes rationes, connexiones, ac volendi modos, & nihilominus decernere differat per totam æternitatem; planè à defectu prudentiæ, & providentiæ, excusari non posset, etenim etiam in nobis suspensio voluntatis circa obiectum sufficientèr propositum, & optimè consideratum cum omnibus circunstantijs, ita, vt nec habeat velle, vel nolle, videtur esse aliqua imperfectio, & debitæ diligentiæ defectus; cur enim carebit vtroque actu, si salva omninò libertate potest esse determinata ad habendum pro libito alterum ipsorum?

100 Neque sufficiens causa talis suspensionis (prosequitur Mastrius) potest esse sola libertas; quia libertas facit quidem vt liberè velit, vel nolit, non tamen esse potest, præsertim in Deo, causa negligentiæ, incuriæ, vel moræ, vt differat in tempore volendum, quod æquè benè, & liberè poterat ab æterno velle; etenim non velle tunc, cum sunt omnia ad volendum requisita, est defectus diligentiæ, & providentiæ; sic etiam paritèr, ad constantiæ, & perseverantiæ virtutem spectat, vt quod semel sapientissimè voluit Deus ab æterno,

sem-

semper deindè velit, & quod semel noluit, semper nolit; etiam in nobis mutare propositum in melius, vel æquè bonum, non est perfectio simpliciter, sed perfectio supplens imperfectionem, seu imperfectioni commixta, quatenus supponit imperfectionem in intellectu, qui non ab initio voluntati plenè repræsentavit omnes rationes volendi, ac nolendi, quod in Deo locũ habere non potest.

101 *Respondeo ad argum.*

Ex his itaquè præoculis habetur, Mastrium supponere: quod si Deus purè ommitteret, posset in tempore velle, quod ab æterno ommisit, ex quo sequitur defectus prudentiæ, & providentiæ, constantiæ, & perseverantiæ, ommisionemque esse causam negligentiæ, incuriæ, vel moræ, quod etiam repetit Mastrius *in* 1. *disp.* 4. *quæst.* 1. *num.* 9. Admitto totam Mastrij doctrinam, vt salvetur omnimoda Dei immutabilitas, quod statutum habemus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disp.* 53. Cœterum nego suppositum, scilicèt, quod si Deus purè ommiteret, posset incipere in tempore velle, quod ab æterno non voluit, quod probatum habemus *num.* 25. 83. & 84. per quod apparet disparitas nottoria inter ommisionem Dei, & creaturæ; hæc enim ratione suæ mutabilitatis, & limitationis ita ommittit, vt postea possit velle, quod ommisit; Ast Deus ratione suæ immutabilitatis, & infinitatis, si semel ommisisset, semper ommitteret, sicut si semel voluit, semper velit, etsi semel noluit, semper nolit. Ad quod conducunt etiam dicta *à num.* 49. *vsquè ad* 55.

EX TRACTATU DE PRÆDESTINATIONE.

QUÆSTIO DECIMAOCTAVA.

An permisio peccati sit in electis effectus prædestinationis illorum?

TOmo secundò *in* 1. *Sentent. disput.* 63. *num.* 1. promisimus hanc difficultatem contra Bazquez in hoc tomo disputare, pro quo sit.

§. I.

Relatis sententijs, statuitur conclusio, & authoritate firmatur.

Num. 1 *Apperitur difficultas.*

CErtum omninò est: peccatum pro formali non posse esse effectum prædestinationis; cum non possit esse à Deo, vt diffinitum est in Concilio Tridentino *Sess.* 6. *Canon.* 6. de quo latè *in tract. de Peccatis.* Vndè difficultas solum est de permisione peccati; cœterum non de activa permisione, quæ in actione Dei permittentis consistit; sed de permisione passiva, quę consistit in carentia gratiæ efficacis, qua posita, vitaretur peccatum, vt omnes in præsenti advertunt, & supponunt, quin Bazquez huic veritati opponatur.

In hac ergo difficultate sic intellecta, duplex ex diametro versatur sententia. Prima absolutè negat. Ita Bazquez *tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 93. *cap.* 2. Quam sententiam amplexi sunt Arrubal *disp.* 92. *cap* 2. Meratius *disp.* 39. *assert.* 6. Lesius *lib.* 11. *de Perfect. Divina, cap.* 6. Beccanus *cap.* 14. *quæst.* 3. Villegas *controv.* 15. *disp.* 2.

2 1. *Sentent.* *Bazquez.* *Arrubal.* *Meratius.* *Lesius.* *Beccanus.* *Villegas.*

Secunda sententia absolutè affirmat. Sic Doctor Subtilis *in* 1. *dist.* 41. §. *Sed adhuc.* Et *dist.* 47 §. *Respondeo.* Et *in* 3. *dist.* 19. §. *In ista quæst.* Quem omnes sui discipuli secuntur. Hanc sententiam docent omnes Thomistę. Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part. disp.* 63. *num.* 2. Nazarius *circa istum artic. controvers. vnica, conclus.* 9. Albelda *dis-*

2. *Sentent.* *Scotus.* *Scotistæ.* *Ill Godoy.* *Nazarius.* *Albelda.*

S.Thom. Serra. Salmant. Caietan. Ripa. Curiel. Molin. Suarez. Granadus. Ruizius. Albiz.

put. 71. sect. 5. S. Thoma disp. 9. art. 6. Serra dub. vnico, concluſ. 4. Salmanticenſes tract. 5. diſp. 6. pro illâ referentes Caietanum, Bañez, Ripam, Curielem, & alios. Tenent etiam Molina circa hunc artic. diſp. 3. Suarez lib. 3. de Prædeſtinat. cap. 8. Granadus tract. 6. diſp. 5. Ruizius diſp. 23. ſect. 5. Albiz tract. 3. diſp. 4. ſect. 13. & frequentiùs cœteri Theologi.

3 Concluſio.

Concluſio: *Permiſsio peccati in electis eſt effectus prædeſtinationis illorum.* Probatur primò ex D. Auguſtino *lib. de Natura, & Gratia, cap. 27.* vbi explicans illa verba *Pſalm. 29. Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſunt conturbatus*, ſic ad finem capitis ait: *Ideò, qui in voluntate ſua præſtiterat decori eius virtutem avertit paululum faciem ſuam, vt qui hoc dixerat fieret conturbatus, quoniam ipſis eſt ille tumor ſanandus doloribus.* Ex quibus verbis tale argumentum formatur: Deum faciem avertere, eſt ſuam gratiam denegare, in quo conſiſtit permiſsio peccati; at iuxtà D. Auguſtin. ideò faciem ſuam avertit Deus, vt homo conturbatus, humilis fiat: ergo ideò peccatum permittit, vt homo, humilis, & cautus reſurgat; at, quod ex fine ſalutis ſpiritualis præparatur à Deo, provenit in electis ex intentione Beatitudinis: ergo permiſsio fit à Deo ex tali intentione; & cõſequentèr eſt effectus prædeſtinationis.

Probat. 1. ex D. Aug.

4 Confirmat. ex eodem.

Confirmatur ex eodem, qui hoc ipſum docuit *in cap. præcedentibus, & cap. 28.* vbi explicans illa verba Pauli *1. ad Timoth. 1. Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare*, ſic ait: *Deſerit aliquantum Deus vndè ſuperbis, vt ſcias, non tuum, ſed eius eſſe, vt diſcas ſuperbus non eſſe.* Quam doctrinam pluriès repetit Auguſt. *lib. de Correct. & Gratia, cap. 9.* Et *lib. 14. de Civitate Dei, cap. 13.* Ex quibus verbis idem, ac præcedens argumentũ formari valet.

5 Probat. 2. concluſ. ex aliis P.P.

Probatur ſecundò concluſio ex aliis Eccleſiæ Patribus, hanc eandem doctrinam docentibus, nempè, Greg. *in Pſalm. 2. pœnitentialem.* Bernardus *Sermone 2. in Pſalm. Qui habitat.* Hieronymus *in Commet. ad Rom. 8.* Ambroſius *Serm. 97. de fide Petri.* Irenæus *lib. 9. Adverſus hæreſes, cap. 72.* Chryſoſtomus *lib. 1. de Providentia*; ac tandem Damaſcenus *lib 2. Fidei, cap. 29.* veritatem iſtam expreſsit his verbis: *Permittitur quis quandoque in turpem actionem incidere ad emendationem deterioris affectus, v. g. eſt quis elatus in virtutibus, & operibus ſuis, hunc ſinit Deus in adulterium prolabi, vt per caſum in propriæ infirmitatis cognitionem veniens, confiteatur Domino.*

6

Ex quorum Patrum doctrina tale argumentum formatur: id, quod fit à Deo ob fructum ſpiritualem rationalis creaturæ, provenit in prædeſtinatis ex intentione beatitudinis; & conſequentèr eſt effectus prædeſtinationis illorum; atqui iuxtà Eccleſiæ P.P. peccatum à Deo permittitur, vt homo recognoſcens per caſum infirmitatem pripriam, diſcat ſuperbus non eſſe, & vndè virtutem habeat, cognoſcat, vt inquit Auguſtinus, & Domino confiteatur, vt ait Damaſcenus, cautiorque, & humilior reſurgat, vt aſſerunt alij P.P. frequentèr: ergo permiſsio peccati in electis provenit à Deo ex intentione ſalutis æternæ, & conſequentèr eſt effectus prædeſtinationis illorum.

7 Reſpondet Bazquez.

Bazquez *citat. num. 14.* reſpondet ad omnes Patrum authoritates: Patres prædictos vulgari modo fuiſſe locutos, vt Scriptura quoque conſuevit, cum eventum bonum, qui occaſione peccati futurus eſt, tanquam finem exprimit, & de ipſo, vt de cauſa finali, loquitur; cum tamen re vera bonum, quod Deus ex peccato elicit, non ſit primariæ ſuæ voluntatis, & potiùs Deus prævi ſo iam peccato eliciat bonum; quam vt eliciat bonum, permittat peccatum: ſicut optimè expreſsit Auguſtinus *11. de Geneſi ad litteram, cap. 22.* vbi quærit, quare Dæmon à Deo creatus eſt, cum ſciret eum futurum eſſe malum? Et reſpondet his verbis: *Non quia ipſum malum condidit, ſed quia, cum ſciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret, creavit eum ad hoc, vt de illo bonis prodeſſet.*

8 Solutionem reijcit Ill. Godoy 1.

Hanc Vaſquij ſolutionem impugnat Ill. Godoy *num. 5.* quadruplicitèr. Primò: nam verba P.P. poſſunt abſq; incommodo accipi in rigore, quem ſonant: ergo abſquè neceſsitate in vulgari ſenſu accipiuntur. Conſequentia, vt certa ſupponitur ab Ill. Godoy, & eſt abſquè dubio ob regulam illam generalem D. Auguſtini, ſcilicèt, verba Sacræ Scripturæ eſſe intelligenda propriè, quando ex eo nul-

Secundò. lum sequitur absurdum. Secundò: nam mens Patrum erat, assignare finem permissionis, non eventum ex ipsa secutum: ergo explicare eventum, & non causam finalem, est diminutè procedere, & non solum vulgaris locutio.

9 *Tertiò.* Tertiò: nam difficultas erat de fine permissionis peccati, non de eventu, vt constat ex Augustino *lib. de Natura, & Gratia* vbi suprà, & hoc inquirebat Pelagius, cur, scilicèt, Deus peccata permitteret? Ergo assignare eventum, & non causam finalem permissionis, est potiùs difficultatem fugere, quam illi satisfacere. Deniquè: nam P. P. quandoque indifferentèr docent, Deum permittere peccata propter gloriam suam, & propter bonum nostrum, vt constat ex Damasceno *lib. 2. Fidei, cap. 29.* vbi docet, Deum aliquando velle, permittere peccatum propter gloriam suam, aliquando propter bonum ipsius peccatoris; at ly *propter gloriam suam*, denotat causam finalem: ergo ly *propter bonum peccatoris*, non solum eventum, sed finalem causam debet denotare; maxime cum ex hoc nullum inconveniens sequatur, vt ex dicendis apertè constabit.

Quartò.

10 Istæ tamen Ill. Godoy impugnationes solutionē Vasquij non infringunt; omnia namque procedunt ex eo, quod permissio peccati sit à Deo volita ex intentione gratiæ, & glorię, quod negat Bazquez, asserendo: permissionem peccati non posse esse ex tali intentione, nisi procedat ex intentione pœnitentiæ, tanquā finis priùs voliti, quod repugnat, ob rationes ab ipso traditas. Vndè solutio illius non infringitur, dum contra ipsum non probetur: permissionem peccati præparatam à Deo ex intentione pœnitentiæ esse effectum prædestinationis. Aliter ergo impugnanda est Vasquij responsio.

11 *Alitèr reijcitur.* Reijcitur itaquè: verba Sacræ Scripturæ sunt propriè intelligenda, quando ex eo nullum sequitur absurdum; sed licèt ex eo, quod permissio peccati sit à Deo volita ex pœnitentia prævolita aliquod sequatur absurdū; nullum tamen sequitur ex eo, quod sit à Deo volita ex præintenta humilitate, perseverantia, & alijs virtutibus, quæ peccatum essentialiter non supponunt, nec cum illo habent connexionem essentialem; ergo verba Sacræ Scripturæ asserentia: permissionem peccati esse à Deo volitam propter humilitatem, perseverantiam, & alias virtutes, quæ nec peccatum essentialitèr supponunt, nec cum illo essentialem habent connexionē, sunt propriè intelligenda: ergo ita intelligenda sunt, vt ly *propter* denotet causam finalem: ergo licèt permissio peccati non sit prædestinationis effectus ex præintenta pœnitentia; effectus tamen prædestinationis est, vt volita ex humilitate præintenta, & alijs virtutibus enumeratis.

Prob. min. Probatur minor: ideò ex eo, quod permissio peccati sit à Deo volita ex pœnitentia prævolita, sequitur absurdum iuxtà Bazquez, quia pœnitentia supponit essentialitèr peccatum, vel cū illo est essentialitèr connexa; sed hæc ratio locum non habet in virtutibus, quę peccatum nec essentialitèr supponunt, nec cum illo habent connexionem essentialem: ergo licèt ex eo, quod permissio peccati sit à Deo volita ex pœnitentia prævolita, aliquod sequatur absurdum; nullum tamen sequitur ex eo, quod sit à Deo volita ex præintenta humilitate, perseverantia, & alijs virtutibus, quę peccatum essentialitèr non supponunt, nec cum illo habent essentialem connexionem.

12 *Explicatur impugnat.* Vndè etsi responsio Vasquij aliquam habeat veritatem, à veritate tamen aliquomodo deficit. Verum itaquè est: Deum non posse velle permissionem peccati ob finem pœnitentiæ, vt nos etiam contra Ill. God. *tom. 2. in 1. Sent. disp. 63.* docuimus, subsistinendo: permissionem peccati non esse effectum prædestinationis ex pœnitentia præintenta; falsum tamen est: Deum non posse velle permissionem peccati ob finem aliarum virtutum, quæ peccatum nec essentialitèr supponunt, nec cum illo habent connexionem essentialem, vt ibidem explicavimus. Quarè licèt P. P. assignantes pœnitentiam, vt finem permissionis peccati, in sensu vulgari intelligantur, vt docet Bazquez; assignantes tamen alias virtutes, vt finem permissionis peccati, intelligi debent propriè, & rigorosè ob rationem datam *num. anteced.*

13 Atque hinc sē se aperit: quod si Bazquez vult: permissionem peccati

Amplius declaratur.

nullo modo esse prædestinationis effectum, vt videtur intendere *num.* 9. opponitur innumerabilibus Scripturæ, & P. P. authoritatibus; sanè namque difficilè est, asserere: Scripturam, & P.P. tot in locis nunquam loqui de fine permissionis peccati, seu primaria Dei intentione; semperque loqui de eventu, qui occasione peccati futurus est, seu de voluntate Dei secundaria. Si verò vult, permissionem peccati non posse à Deo intendi, nisi ob pœnitentiam, vt videtur asserere *numer.* 10. & 11. eisdem locis Scripturæ, & P. P. contrariatur. Si denique vult: permissionem peccati non esse effectum prædestinationis ex pœnitentia præintenta; benè verò ex alijs virtutibus præintentis, hoc nobis placet, & stabilitum habemus *tom. & disp. citat.*

§. II.

Ratione firmatur contra Bazquez nostra conclusio.

14 *Prob. ratione concluſ.*

PRobatur iam ratione conclusio: permissio peccati habet omnia requisita, vt sit effectus prædestinationis: ergo permissio peccati in electis est effectus prædestinationis illorum. Probatur antecedens: quatuor necessario requiruntur duntaxat ad esse effectum prædestinationis; sed omnia hæc habet permissio peccati: ergo permissio peccati habet omnia requisita, vt sit prædestinationis effectus. Maior est certa, ab omnibusque admittitur, & patet declarando illa, quæ ad esse effectum prædestinationis necessario requiruntur duntaxat. Primo enim requiritur, quod effectus prædestinationis sit effectus à Deo volitus. Secundò: quod sit vtilis, seu conducens ad salutem ipsius prædestinati. Tertiò: quod sit gratuitum beneficium, seu donum gratiæ distinctum à dono creationis. Quartò denique: quod procedat ex intentione gratiæ, & gloriæ. Difficultas ergo stat in minori, quæ sygillatim per omnia probanda est.

15 *Prob. min. quoad 1. p.*

Probatur minor quoad primam partem, scilicèt, quod permissio peccati sit effectus à Deo volitus: permissio peccati est à Deo directè volita: ergo est effectus. Probatur antecedens primò: permissio peccati est effectus Divinæ Providentiæ: ergo. Probatur secundò: permissio peccati est carentia gratiæ efficacis; sed carentia gratiæ efficacis est à Deo directè volita: ergo permissio peccati est à Deo directè volita. Probatur minor: gratia efficax est à Deo directè volita: ergo etiam carentia gratiæ efficacis. Probatur consequentia: sicut voluntas Dei est adæquata causa dandi gratiam efficacem, ita est causa adæquata non dandi illam; sed voluntas non dandi gratiam efficacem est carentia gratiæ efficacis: ergo si gratia efficax est à Deo directè volita, etiam carentia gratiæ efficacis erit à Deo directè volita. Maior est certa; nam sicut Deus liberè, & voluntariè dat gratiam efficacem, ita liberè, & voluntariè non dat illam. Minor est generaliter vera, & ita formaliùs probatur: ideò gratia efficax est à Deo directè volita, quia voluntas Dei est adæquata causa illius; sed ex concessis sicut voluntas Dei est adæquata causa dandi gratiam efficacem, ita est adæquata causa non dandi illam: ergo voluntas non dandi gratiam efficacem est carentia gratiæ efficacis.

16 *Probat. 2. pars minoris 1.*

Probatur prædicta minor quoad secundam partem, & primo illis verbis Pauli *ad Rom. cap.* 8: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vbi Glossa ait: *Etiam peccata, quatenus sunt materia exercendæ virtutis humilitatis, &c.* Quod etiam docuit D. Thomas *ibi lect.* 6. Et D. August. *lib. de Correptione, & Gratia, cap.* 9. Et *lib.* 2. *contra duas Epistolas Pelagij, cap.* 9. his verbis: *Vsquè adeò prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, hoc ipsis eis faciat proficere in bonum, quia humiliores, & cautiores redeunt.* Quæ verba ex Augustino sumpserunt Beda, Anselm. & D. Thom. *citat.* sic aloquens: *Vsquè adeò talibus omnia cooperatur in bonum, vt si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat proficere in bonum. Vndè in Psal.* 36. *dicitur, cum ceciderit Iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manũ suam:* ergo permissio peccati est vtilis, seu conducens ad salutem ipsius prædestinati.

17 *Secundò.*

Probatur secundò dicta minor pro secunda parte ex Damasceno *lib.* 2. *de Fide, cap.* 29. vbi ait: *Deum aliquando velle permittere peccatum propter gloriam suam, aliquando propter bonum aliorum, sæpè autem propter bonum ipsiusmet peccatoris.* Primum finem videtur tetigisse Paulus *ad Rom.* 8. dicens: *Vt ostenderet divitias gratiæ suæ*

in

in vasa misericordiæ, sustinuit in multa patientia vasa iræ. Sic etiam permisit peccatum Adæ, vt Sapientiam suam in procuranda hominum salute manifestaret. Secundum finem colligit Augustinus *lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap.* 20. ex illo 2. *Reg.* 16: *Dominus præcepit illi, vt maledicat, &c. Si fortè respiciat Deus humilitatem meam.* Notat enim Augustinus, permisisse Deum peccatum illud Semei propter exercitium patientiæ, & humilitatis David. Sic etiam Ambros. *Serm.* 47. *de Fide Petri*, dicit, permisisse Deum lapsum Petri propter Ecclesiæ bonũ.

18 Finem deniquè tertium, quod ad nos spectat, scilicèt, Deum sæpè permittere peccatum propter bonum ipsiusmet peccatoris, docuit Augustinus 14. *de Civit. Dei, cap.* 13 his verbis: *Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vndè sibi displiceant.* Et congerit loca Scripturæ. Et *lib. de Natura, & Gratia, cap.* 28. ita exponit verba illa 1. *ad Timoth.* 1. *Tradidi illum Satanæ, vt discat non blasphemare.* Non enim de corporali vexatione Dæmonis hunc locum intelligit, sed de spirituali, quam tentando infert, cum permittitur, seu cum homo destituitur speciali protectione Dei. Similia habet Gregorius *Homil.* 21. *in Evang.* Facit deniquè, quod Bernardus ait *Serm.* 54. *in Cantica*, Deum aliquando subtrahere, vel retrahere gratiam electis, ne in superbiam efferantur. Est ergo aliquando vtilis subtractio gratiæ (quod est mirabile) ad ipsummet finem gratiæ, vel vt perseverantia in illa certior sit, quæ magis est necessaria, quam augmentum. Vel vt quod vno modo impediri videtur, alia via magis augeatur. Habet ergo permissio tertiam conditionem ad effectum prædestinationis necessariam.

19 *Probat.* 3. *pars min.* Probatur minor supraposita quoad tertiam partem: ad hoc, vt aliquid sit beneficium gratuitum, seu donum gratiæ distinctum à dono creationis, non requiritur, quod in sua entitate, & subtantia sit supernaturale; alioquin nulla bona naturalia essent beneficia gratuita, seu dona gratiæ distincta à dono creationis, cuius oppositum, vt ferè omnibus commune, docuimus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disp.* 62. *num.* 125; nec requiritur, quod sit aliquid positivum; nam impedire malum est magnum beneficium, moraliter loquendo: ergo permissio peccati est gratuitum beneficium, seu donum gratiæ distinctũ à dono creationis. Confirmatur: vt permissio peccati sit beneficium gratuitum, seu donum gratiæ distinctum à dono creationis, sufficit, quod à Deo ordinetur ad finem supernaturalem consequendum; sed sic est à Deo ordinata permissio peccati, vt ex dictis liquet, & apparebit ex dicẽdis: ergo, &c. *Confirmat.*

20 *Probat.* 4. *pars min.* Minor deniquè præallata quoad quartam partem probatur primò: Deus non permitteret peccatum in prædestinato, nisi ob bonum spirituale ipsius, vt docent Patres *citat*: ergo permissio peccati procedit ex intentione gratiæ, & gloriæ. *Secundò.* Secundò: ex ipsis Patribus constat, permissionem peccati posse infallibilitèr cõducere in prædestinatis, imò, & de facto conducere ad salutem prædestinati, mediante humilitate, & alijs virtutibus: ergo idem, quod priùs.

21 *Tertiò.* Tertiò: multa bona prædestinatorum secuntur ex permissione à Deo volita: ergo in ipsa voluntate permittendi includitur intentio horum bonorum. Consequentia patet: quia aliàs bona illa sequerentur à casu respectu illius voluntatis, quod dici non debet. Antecedens probatur ex illo *ad Rom.* 9: *Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriã*: ergo manifestatio gratiæ Dei in prædestinatis est secuta ex primaria Dei intentione, & permissione peccati reproborum.

22 *Quartò.* Quartò: quia Deus in electis non permittit peccatum, nisi propter vtilitatem, aut bonum, quod ex illo potest elicere, vt est frequens apud D. August. *in Enchirid. cap.* 11. *de Correptione, & Gratia, cap.* 8. Et alijs locis: sed vnum ex his bonis est spirituale commodum ipsius prædestinati: ergo ex intentione eius potest Deus velle permissionem peccati: ergo ita vult; nam hic est modus maximè consentaneus Divinæ Sapientiæ, & bonitati. Estque ad hoc declarandum optimus locus August. *lib. de Natura, & Gratia, cap.* 24. vbi agens de peccato David, ait, permisisse illud Deum, *Vt esset contra superbiam conturbatio illa medicinalis quodammodo, dixerat enim,*

in abundantia sua. Non movebor in æternum: & sibi tribuebat, quod à Domino habebat, quare ostendendum ei fuerat, vndè haberet, &c. Et subdit *cap.25: Hoc superbus animus omninò non sapit, sed magnus est Dominus, qui persuadet, quomodo ipse movet.* Vbi valdè notandum est, quod ipsam permissionem, *persuasionem* posteà vocat, quo nomine solet Augustinus prævenientem gratiam, & vocationem ipsam appellare.

23 *Quintò.* Quintò: permissio peccati potest esse à Deo volita ea intentione, & fine, vt prædestinatus occasione illius humilior sit, maioremque gratiam, & gloriam habeat: ergo permissio peccati potest esse à Deo primò volita ex vi decreti prædestinationis, & voluntatis beatificandi prædestinatum: ergo sic est de facto volita permissio peccati: ergo permissio peccati procedit ex intentione gratiæ, & gloriæ. Tertia consequentia ex secunda infertur. Secunda ex dictis *num. anteced.* constat, & ex dicendis constabit. Prima ex antecedenti infertur.

24 *Antecedens probat. ex D. August.* Antecedens verò satis clarè docuit D. Augustin. *lib. de Natura, & Gratia, cap.28. in principio*, his verbis: *Non itaque dicitur homini, necesse esse peccare, ne pecces; sed dicitur homini, deserit aliquantulum Deus, vt scias non tuum, sed eius esse, & discas, superbus non esse.* Et *lib.14. de Civitat. cap.13. Audeo dicere superbis, esse vtile, cadere in aliquod apertum, & manifestum peccatum, vndè sibi displiceant, qui sibi iam placendo ceciderant, salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit.* Et in eius confirmationem adducit illud *Psalmi 82: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et *lib. de Natura, & Gratia, cap.24.* expræsse affirmat, Deum permisisse peccatum Davidis, vt illa conturbatio esset ei quodammodo medicinalis contra superbiam, cuius verba posuimus in secunda probatione pro quarta parte minoris *num.22.* Et denique *lib.21. de Civit. cap.24.* explicans illud *ad Rom.11: Omnia conclusit in fidelitate* (inquit) *Deum permisisse, prædestinatos ex Iudeis, & Gentibus incidere in peccatum infidelitatis, vt de amaritudine illius pœnitendo confusi, & de dulcedine diuinæ misericordiæ credendo, conversi dicant illud Psalm.30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et idem docet Damascenus *lib.20. Fidei*, D. Thom. Anselm. & Glossa ordinaria in illum locum Pauli *ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et D. Bernardus *Serm.20. Super Psalm. Qui habitat.* Et Gregorius, Nisenus *S. Philosoph. cap 7.*

25 *Sextò.* Sexto: quia permissio, qua reprobo permittitur peccare, est primò volita à Deo propter bonum prædestinatorum, & ex vi electionis illorum ad gratiam, & gloriam: ergo etiam permissio, qua ipsemet prædestinatus peccare permittitur. Consequentia patet ex paritate rationis, & antecedens probatur ex illo *ad Rom. 11.* vbi loquens Paulus de Iudæis reprobis, & eorum peccato, inquit: *Nunquid sic offenderunt, vt caderent? Absit, sed eorum delicto salus gentibus, vt illos æmulentur, quod si delictum eorum divitiæ sunt mundi, &c.* Ac si diceret, finem, quem Deus intendit in permissione peccati Iudæorum, non fuisse eorum ruinam, sed salutem populi electi, vt, scilicèt, exemplo casus populi Iudaici cautior evaderet, & in gratia adquisita proficeret.

26 *Septimò ex D. August.* Septimò probatur ex D. August. super illud *Psalm.57: Lætabitur Iustus, cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, vbi ait: *Iustus, qui videt vindictam peccatoris, proficit ipse, & mors vnius valet ad vitam alterius.* Hactenus August. Si ergo ita est in executione, vt permissio peccati reprobi conducat ad salutem prædestinati, ita erat ordinatum in mente Divina per modum intentionis ab æterno. Fabet etiam D. Aug. *lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap.20.* qui ex illis verbis Davidis ad suos, volentes occidere Semæi, eo, quod maledicebat Regi: *Dimittite eum, vt maledicat iuxtà præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam.* Et infert D. August. Deum permisisse illud peccatum Semæi propter exercitium patientiæ, & humilitatis Davidis.

27 Octavò ex Ambrosio, *Oratione de Fide Resurrectionis*, affirmante, Deum permisisse peccatum D. Petri propter bonum aliorum Prædestinatorũ, his verbis: *Ipsa enim tentatio documentum fuit ad salutem, vt discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnentes tentemur: si enim Petrus tentatus est, quis præsumat se non posse tentari?*

Et

Et infrà: *Haud dubium pro nobis tentatus est Petrus.* Et idem docet D. Leo Papa *Serm. quodam de Passione Domini.* Et Gregorius *Homil. 21. in Evangelia,* vbi dicit, lapsum D. Petri fuisse à Deo permissum, *vt in sua persona disceret aliorum misereri, quia aliorum Pastor futurus erat.* Pro quo etiam potest considerari illud 1. *ad Timoth. 1. Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.*

28 *Probat. 6. ex D. Thom.*

Probatur nono ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 79. artic. 4.* vbi ait: *Quod excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum, peccatum autem ad duo ordinatur, ad vnum quidem per se, scilicèt, ad damnationem, ad aliud autem ex Divina Misericordia, seu providentia, scilicèt, ad sanationem, in quantum Deus permittit cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes humilientur, & convertantur.* Et paucis interpositis ait: *Hanc misericordiam non omnibus impendi, sed solum prædestinatis*: ergo iuxtà Div. Thom. excœcato, quæ pertinet ad permissionem peccati, est effectus Providentiæ Divinæ, volitus propter bonũ prædestinati peccantis; at quod à Providentia Divina causatur ex intentione boni ipsius peccatoris, & intentione beatitudinis præparatur à Deo, quod contrarij non negant: ergo permissio peccati iuxtà D. Thom. in electis præparatur à Deo ex intentione beatitudinis.

29 *Probat. deniquè.*

Deniquè prędictã minorem quoad quartam partem probat Ill. Godoy *citat. num. 8.* & vocat probationem à priori: nam omne, quod conducit ad aliquem finem, si amabile sit, potest ex intentione talis finis præparari, & amari; sed permissio peccati conducit ad finem prædestinationis, & aliàs à Deo potest amari, & amatur de facto: ergo potest amari, & præparari à Deo ex intentione finis prædestinationis, qui est beatitudo, & de facto sic præparatur; si enim præparari potest ex dicto fine, non est, cur de facto non præparetur; imò maximè conducit ad ostensionem misericordiæ, & amoris Divini, & dilectionem Christi erga prædestinatos commendat.

Confirmat.

Quod ampliùs confirmo: ideò namq; permissio peccati est volita à Deo ob alios fines, quia ad illos conducit, vt medium: ergo si ad finem prædestinationis conducit, est à Deo volita propter illum, & ex illius amore præparata.

Ad probationes à ratione efformata, respondere potest Bazquez ex doctrina ab ipso tradita *num. 9. & seqq:* permissionem peccati ex intentione aliorum finium posse à Deo intendi, & de facto amari, quia ad illos conducit ratione sui; ad finem autem prędestinationis non conducit immediatè ratione sui, sed mediante peccato, consequentèrque ex tali fine non potest à Deo intendi, nisi ametur peccatum, quod Deo repugnat. Vndè hac doctrina negat Bazquez: permissionẽ peccati posse procedere ex intentione gratiæ, & gloriæ, ac proindè posse esse effectus prædestinationis; cum ad hoc requiratur, quod ex intentione gloriæ procedat, vt nos asserimus.

30 *Respondet Bazquez.*

Hanc solutionem impugnant passim, tàm Scotistæ, quàm Thomistæ tenentes: permissionem peccati ex præintenta pœnitentia esse effectum prædestinationis; ego verò, qui ab hac opinione discessi, eamque impugnavi *tom. & disp. citat.* à suis impugnationibus abstineo, & alitèr solutionem Bazquez impugno: etsi permissio peccati ex præintenta pœnitentia non possit conducere ad finem prædestinationis, nisi mediante peccato; permissio autem peccati ex prę-intenta humilitate, & alijs virtutibus, quæ nec peccatum essentialitèr supponunt, nec cum illo habent essentialem connexionem, potest conducere ad finem prædestinationis, quin mediet peccatum: ergo licèt permissio peccati ex præintenta pœnitentia non sit prædestinationis effectus; talis effectus erit ex præintenta humilitate, & alijs virtutibus, quæ peccatum nec essentialitèr supponunt, nec cum illo habent essentialem connexionem: ergo ruit Vasquij solutio quoad hanc partem, quæ est præsens intentum. Consequentiæ sunt legitimæ.

31 *Impugnat. solutio.*

Antecedens autem probatur primò: ideò permissio peccati ex præintenta pœnitentia non potest conducere ad finem prædestinationis, nisi mediante peccato, quia penitentia supponit essentialitèr peccatum, vel cum illo essentialitèr connectitur; sed hæc ratio locum non habet in permissione peccati ex præintenta humilitate, & alijs virtutibus, quæ peccatum nec essentialitèr supponunt, nec essentialem connexionem habent cũ illo: ergo, &c. Secundò probatur ad

32 *Antecedens probat. 1.*

Secundò ad

ho-

hom. contra Bazquez.

hominem contra Bazquez: Deus permittit peccatum eo fine, vt ostendat divitias gratiæ suæ prædestinati, quin mediet peccatum, vt constat ex illis verbis Pauli *ad Rom. 9.* relatis *num. 21*; sed permissio peccati sic intenta conducit ad finem prędestinationis: ergo, &c. Minor cum consequentia tenet.

33 Maior autem est ipsius Vasquij *disp. citat. num. 15.* & vt videatur, quam clarissimè hoc docet, verba ipsius ad litteram transcribo. *Præterea arguet quisquam contra idem hoc modo: Quemadmodum vult Deus permittere peccatum eo fine, vt ostendat divitias gratiæ suæ prædestinatis, sicut disp. 95. cap. 9. dicemus; nec ob id necessario debet velle peccatum, quod sequitur ex permissione, sic etiam posset Deus velle permittere peccatum ea intentione, vt quis postea cautior resurgeret, & vitam æternam consequeretur, absquè eo, quod vellet peccatũ.*

34 Verba Basquij. *Respondeo* (prosequitur Bazquez) *diversam esse rationem; Nam pœnitentia, seu correptio necessario supponit peccatum, tanquam materiam necessariam, circa quam versatur, & ideò volens correptionem, antequam videat futurum peccatum, debet necessariò velle peccatum fore, quo circà, ne asseramus, Deum velle peccatum, necesse est, dicamus, prius vidisse peccatum, vt deindè statuere vellet pœnitentiam, & correptionem illius; at verò cum Deus permittit peccatum, vt ostendat divitias gratiæ suæ prædestinatis, non ostendit illas ex peccatis reproborum, nec illa sunt materia, circa quam versatur ostensio divitiarum Dei; sed eo ostendit Deus divitias suas, & liberalitatem erga prædestinatos, quod cum posset ipsis negare congrua auxilia, quæ reprobis negavit, & ita posset eos permittere in peccatum labi, non negavit, nec permisit. Ex negatione ergo auxilij, proximè ipsis ostendit divitias, & liberalitatem erga ipsos, & ita potest ostensio hæc esse primariæ intentionis absquè eo, quod Deus velit peccatum, non autem pœnitentia, aut correptio peccati, quæ circà ipsum peccatum tanquam circa materiam necessariam versatur.* Nihil pro nostra opinione clarius, & nihil in ipsum efficatiùs, si nostrę opinioni adversatur.

§. 111.

Argumenta Vasquij solvuntur.

35 Arguit. 1. ARguit itaquè primò Bazquez ex Augustino *lib. de Prædestinat. Sanctorum, cap. 10.* vbi definiens prædestinationem ait: *Esse præparationem gratiæ, & beneficiorum Dei*; ex quo argumentum Vasquij ad hanc formam redducitur: omnis effectus prædestinationis est beneficium Dei, & donũ gratiæ; sed permissio peccati non est beneficium Dei, nec donum gratiæ: ergo permissio peccati non est prædestinationis effectus. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur: negatio gratiæ nec est gratia, nec beneficium Dei; sed permissio peccati est negatio gratiæ: ergo permissio peccati non est beneficium Dei, nec donum gratiæ. Confirmatur: omnis effectus prędestinationis est gratia per Christum; sed permissio peccati non est gratia per Christum; quia Christus non est mortuus, vt prædestinatis permittatur peccatum, & negetur gratia: ergo, &c. Confirmat.

36 Respondeo ad argum. Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: omnis effectus prædestinationis est beneficium Dei, & donum gratiæ, intrinsicè, & ratione sui, vel extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, concedo maiorem; intrinsicè, & ratione sui præcisè, nego maiorem. Distinguo minorem: sed permissio peccati non est beneficium Dei, nec donum gratiæ, intrinsicè, & ratione sui, concedo minorem; extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, nego minorem; ad cuius probationem, distinguo similitèr maiorem, & concessa minori, distinguo consequens, vt distinxi. Ad confirmationem concedo maiorem, & distinguo minorem: permissio peccati intrinsicè, & ratione sui, non est gratia per Christum, concedo minorem; extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem imbibitam minoris respondeo ipsam distinguendo: Christus non est mortuus, vt prædestinatis permittatur peccatum, & negetur gratia, sumpta permissione, & negatione gratiæ intrinsicè, & ratione sui, concedo; extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, subdistinguo: vt propter finem principalem, concedo; minus principalem, nego. Ad cõfirm.

37 Explicatur solutio Itaquè licèt permissio peccati ratione sui, & intrinsicè non sit beneficium Dei, nec donum gratiæ, sed potiùs carentia beneficij, & gratiæ negatio, consequentèrque nequeat sic

ac-

accepta esse prædestinationis effectus, nec effectus meritorum Christi, nec Christus dici possit propter illā mortuus; attamen extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, scilicèt, vt coniungenda est cum circunstantijs, quæ ad vitam æternam consequendam conducunt, seu vt coniungenda est cum humilitate, alijsque virtutibus; est gratia extrinsicè, & gratia per Christum, sub illius meritis cadens, vt dictum manet in nostris probationibus *num. 16. & seqq*; & propter illam sic acceptam, vt propter finem minus principalē, Christus potest dici mortuus, vt ostensum est *tom. 2. in 1. Sent: disp. 2. num. 65. & 66.*

38 *Retorqueo argum.* Deindè retorqueo argumentum contra Vasquium: Omnis effectus prædestinationis est beneficium Dei, & donum gratiæ; sed permissio peccati reproborum non est beneficium Dei, nec donum gratiæ, quin potiùs negatio beneficij, & carentia gratiæ, consequentèrque non est gratia per Christum, nec Christuus mortuus est, vt reprobis permittatur peccatum, & negetur gratia: ergo permissio peccati reproborum nequit esse effectus prædestinationis electorum, quod est contra Bazquez, vt claret ex verbis ipsius à nobis relatis *num. 34.* Si ergo iuxtà Vasquium permissio peccati reproborum est effectus prædestinationis electorum, quin sit beneficium Dei, & gratiæ donum, quin sit gratia per Christum, nec Christus propter illam dicatur mortuus; cur permissio peccati in prædestinato non erit effectus prædestinationis illius, etsi peccati permissio non sit beneficium Dei, nec donum gratiæ, nec gratia per Christū, nec Christus propter illam dicatur mortuus? Certè hęc Vasquij ratio in forma ab ipso confiteri debet, quidquid sit de alijs ab ipso traditis, & à nobis infrà declarandis.

39 *Dices pro Vasquio.* Dices pro Vasquio: ex nostra solutione sequitur: Christum posse postulare à Patre, quod prædestinatis gratiam negaret; sed hoc asserere, cōgruum non videtur: ergo ruit nostra solutio. Probatur maior: nostra solutio est: permissionem peccati, seu negationem gratiæ extrinsicè consideratam, seu ratione illius, ad quod ordinatur, esse gratiam per Christum, seu cadere sub meritis Christi; atqui Christus potest à Patre postulare, imò de facto postulavit omne, quod sub illius meritis cadit: ergo ex solutione nostra sequitur: Christum posse postulare à Patre, quod prædestinatis gratiam negaret.

Respondeo. Respondeo ad replicam concessa maiori, negando minorem; quia nulla est ratio, vt Christus non postulasset à Patre permissionem peccati modo suprà dicto consideratam, nec ex eo aliquod sequitur inconveniens, vt manifestè probat contra Bazquez instantia permissionis peccati reproborum, quam fatetur esse effectum prædestinationis electorum.

40 *Vrgebis pro ipso.* Vrgebis pro eodem: id, quod potest petere Christus, & pro quo potest orare, potest etiam postulari à nobis; cum orationes nostrę orationi Christi Domini possint, & debeant esse cōformes; at permissio peccati nequit à nobis postulari à Deo, nec pro illa possumus preces effundere; cum ex eo videretur, nobis complacere peccatum: ergo nec à Christo Domino postulari potest; & consequentèr illius meritis deputari non poterit, nec esse prædestinationis effectus.

Respondet Ill. Godoy. Ad hanc replicam respondet Ill. Godoy *num. 17.* distinguendo maiorem: potest postulari à nobis absolutè, vel sub conditione, concedit maiorem; absolutè semper, negat maiorem, & distingut minorem: permissio peccati non potest postulari à nobis, absolutè petendo, vt nobis permittat peccatum, concedit minorem; petendo sub conditione, vt ad humilitatem maiorem, & perseverantiam in gratia à Deo iudicetur idonea, negat minorem, & consequentiam.

41 *Solutio Ill. God. impugnatur 1.* Hæc tamen solutio non placet, ideòquè impugnatur primò: implicat, permissionem peccati à nobis peti adhuc sub conditione, vt ad humilitatem maiorem, & perseverantiam in gratia à Deo iudicetur idonea, quin nobis complaceat peccatū permissum; sed hoc semper est à nobis fugiendum: ergo permissio peccati nequit à nobis petit adhuc sub conditione: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur maior: implicat, permissionem peccati à nobis peti absolutè, quin nobis complaceat peccatū permissum: ergo implicat, permissionem peccati à nobis peti adhuc sub conditione, vt ad humilitatem maiorē, & perseverantiam in gratia à Deo iu-

dicetur idonea, quin nobis complaceat peccatum permissum. Probatur consequentia: ideò implicat, permissionem peccati à nobis peti absolutè, quin nobis complaceat peccatū permissum, quia ex tali petitione sequeretur, voluntatem nostram absolutè velle committere peccatum; sed etiam implicat, voluntatem nostram velle conditionatè committere peccatum, quin nobis complaceat peccatum permissum: ergo si implicat, permissionem peccati à nobis peti absolutè, quin nobis complaceat peccatum permissum; etiam implicat, permissionem peccati à nobis peti sub conditione, quin nobis complaceat peccatum permissum.

42 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: Orationes nostræ debent esse conformes orationi Christi Domini; sed Christus Dominus nequit petere adhuc conditionatè aliquid, ad cuius consecutionē peccatum committat: ergo nec nos conditionatè petere possumus aliquid, ad cuius consecutionem peccatum commitamus. Atqui nos petere permissionem peccati conditionatè ad maiorem humilitatē consequendam, est petere aliquid, ad cuius consecutionem peccatum commissuri sumus: ergo neque conditionatè possumus permissionem peccati à Deo petere: ruit ergo solutio Ill. God. Hæc impugnatio mihi videtur efficax, quia non video propositionem, quæ (meo videri) veritate non gaudeat.

43 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò: bonum sequendum ex permissione peccati à nobis sub conditione petita, nequit assequi sine commissione peccati; sed nunquam nobis licet, peccatum committere: ergo nobis non licet petere permissionem peccati adhuc conditionatè. *Confirmat & vrgetur.* Confirmatur, & vrgetur: nos velle permissionem peccati sub conditione, est nos velle peccare, vt ex peccato occasionem sumamus ad maiorem humilitatem consequendam; sed ad hoc nobis non licet peccatum velle: ergo nobis non licet petere permissionem peccati adhuc conditionatè. Maior est solutio Ill. God. Minor est expressa doctrina D. Pauli *ad Rom. 3.* qui contra errorem quorumdam putantium: bonum esse assiduè peccare, vt Deus assiduè remitat, & glorioſior fiat ex nostra iustificatione, si ait: *Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? Quorum damnatio iusta est.*

Vrgetur amplius: esse causam moralem peccati semper, & pro semper est malum: ergo adhuc conditionatè ad maius bonum, est malum: ergo nobis non licet petere permissionē peccati adhuc conditionatè. Rursus: non sunt facienda mala, vndè veniant bona; sed ex petitione conditionata permissionis peccati, sequitur, mala facere, vt bona veniant: ergo idem, quod anteà. Deniquè: qui à Deo peteret conditionatè permissionem peccati à Deo petteret tentationem, quod est contra illam petitionem Orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*; sed hoc nobis non licet: ergo nobis non licet petere permissionem peccati adhuc conditionatè. 44 *Vrgetur amplius.*

Qua propter, relicta solutione Ill. Godoy, vt mihi non vera, respondeo ad obiectionem suprà positam negando maiorem, cuius disparitas est primò: nam voluntas Christi non est ipsa, quæ peccatum est commissura, & idcircò permissionem postulare potest, quin ex hoc deducatur in peccato permisso complacere; voluntas autem nostra commissura est peccatum: vndè si illius permissionem postularet, in peccato sibi complaceret. Secundò: quia Christus non tenetur, evitare peccata à nobis committenda; nos verò tenemur, ad non permittendum nobis peccare, & consequentèr multo magis tenebimur ad non petendam permissionem peccati, quia propter prædictam obligationem essemus causa moralis nostri peccati, quatenus permissionem Diuinā nostra nobis adquireremus petitione. Nec probatio maioris aliquid in nos convincit, quin potiùs obiectionem destruit. Quod vt clareat, ex ipsa. 45 *Respondeo ad obiectionem.*

Sumo primam contra obiectionē retorsionem: Orationes nostræ Orationi Christi Domini possunt, & debent esse conformes; sed Christus nihil potest à Patre petere, ad cuius cōsecutionem teneatur Christus, velle peccatum: ergo nec nos possumus à Deo petere aliquid, ad cuius consecutionem teneamur, peccatum velle. Atqui Christus potest à patre petere permissionem peccati, quin teneatur velle peccatum; nos verò id non possumus: ergo ex eo, quod nostræ Ora- 46 *Retorqueo obiectionē 1.*

tio-

nes Orationi Christi debeant esse cōformes, sequitur, quod Christus petere possit permissionem peccati; nos verò id petere non possimus: ergo falsum est, quod id, quod potest petere Christus, & pro quo potest orare, possit etiam à nobis postulari. Falsa igitur est maior prędictæ obiectionis

47 *Retorq. 2.* Retorqueo secundo: permissio peccati in reprobis est effectus prædestinationis electorum, vt Bazquez fatetur: ergo potest ab electis postulari. Hæc consequentia mihi dura videtur, quanto magis petere posse permissionem proprij peccati?

48 *Arguit. 2.* Arguit secundò Bazquez *citat*: negatio gratiæ efficacis, in qua consistit permissio peccati, nequit ad finem prædestinationis conducere: ergo nec esse potest prædestinationis effectus. Probatur antecedens: negatio gratiæ efficacis, in qua permissio peccati cōsistit, est medium per se ducens ad finem reprobationis: ergo negatio gratiæ efficacis nequit ad finem prædestinationis conducere. *Respondeo.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem concesso antecedenti, distinguo consequens: negatio gratiæ efficacis nequit ad finem prædestinationis conducere, intrinsicè, & ratione sui, concedo consequentiam; extrinsicè, & ratione illius, ad quod ordinatur, nego consequentiam. Et hæc est doctrina D. Thom. relati *n.* 28.

49 *Opponis solutioni.* Sed contra istam solutionem oppones: negatio gratiæ nequit conducere ad finem prædestinationis, nec ratione sui, nec ratione alterius, ad quod ordinetur: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quia anihilatio est negatio actionis conservantis, nec ratione sui, nec ratione alterius, ad quod ordinetur, potest ad manifestationem Divinæ bonitatis pertinere: ergo negatio gratiæ nequit conducere ad finem prædestinationis, nec ratione sui, nec ratione alterius, ad quod ordinetur. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens cum probatione; posset enim Deus anihilationem ordinare, ad hoc, quod homines terreret à malo, & illis manifestare Divinæ gratiæ conservationem, & ad mille alios fines homini proficuos, Divinoque intellectui notos, & tunc anihilatio, etsi non ratione sui, ratione illius, ad quod ordinaretur, Dei potentiam, gratiam, & bonitatem manifestaret.

Nec est eadem ratio de anihilatione, & permissione peccati, quia permissio peccati miraculosa non est; sed conformis naturæ defectibili; Ast anihilatio, si esset, esset miraculosa, eo, quod de facto ordinavit Deus non anihilare, quia voluit attendere ad rerum naturas, quarum illę, quę purè immateriales sunt, postullant, quod semel productę, nunquā destruantur, eo quod carent cōtrario, à quo res naturalitèr destruuntur. Illę autem, quæ materiales sunt, licèt ratione formæ contrarium habeant, & sic corrumpantur, materia tamen, ex qua componuntur, nullum sibi contrarium agnoscit, & petit successivè rerum generationi subesse; vndè in nihilum aliquid redigere miraculosum foret. Vndè obiectio allata, si aliquid probaret, convinceret, non solum permissionem peccati effectum prædestinationis non esse, sed nec providentiæ generalis, quod nullus asseruit; probaret etiam Deum non solum non anihilare de facto, sed etiam non posse anihilare de potentia absoluta, quod plusquam absurdū est.

50 *Disparitas quædam.*

Argues tertio pro Vasquio: peccatum ratione malitiæ conducit, vt humilitatis occasio, ad finem prædestinationis; sed non est prædestinationis effectus: ergo nec permissio peccati est talis effectus. Maior, & minor sunt veræ. Consequentia probatur: ideò permissio peccati esset effectus prædestinationis, quia ad prædestinationis finem conduceret; sed ex hoc non probatur, esse prædestinationis effectum, vt claret in peccato, quod ex concessis non est effectus prædestinationis, licèt ad illius finem conducat: ergo permissio peccati non est effectus prædestinationis.

51 *Argues 3. pro Vasquio*

Respondeo. Respondeo concessis præmissis, negando consequentiam, ad cuius probationē distinguo maiorem: ideò præcisè permissio peccati esset effectus prædestinationis, quia ad prędestinationis finem conduceret, nego maiorem; ideò, & quia est à Deo volita, estque donum gratiæ, & à Deo ex intentione gloriæ procedens, concedo maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Itaquè licèt ad esse effectum prædestinationis necessario requiratur, quod ad finem illius conducat, hoc tamen non sufficit ad esse

præ-

prædestinationis effectum, sed vltrà hoc requiruntur aliæ tres conditiones declaratæ *num.* 14. quæ nullo modo peccato ratione malitiæ conveniunt, & in peccati permissione reperiuntur, vt probatum manet *n.* 15 *& seqq.*

52 *Retorq.* 1. *argum.* Retorqueo etiam argumentum primò: iuxtà communem sententiam permissio peccati est effectus providentiæ Divinæ, cum sit à Deo volita; non tamen peccatum ratione malitiæ, cũ ipsi repugnet, esse à Deo volitum: ergo permissio peccati vltrà hoc, quod est conducere ad finem prædestinationis, habet esse volitam à Deo, quod peccato ratione malitiæ repugnat: ergo ratione huius conditionis, in permissione peccati repertæ, & peccato ratione malitiæ repugnantis, permissio peccati erit prædestinationis affectus; non verò peccatum ratione malitiæ. Notoria ergo est disparitas, & ad eius solutionem tenetur argumenti factor.

53 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò: non solum permissio peccati reproborum conducit ad finem prædestinationis electorum, verum etiam peccatum reproborum ratione malitiæ; sed iuxtà Bazquez permissio peccati reproborum est effectus prædestinationis electorum: ergo & peccatum ipsum ratione malitiæ erit talis effectus, quod absit. Denique: si argumentum aliquid probaret, probaret vtique, permissionem peccati nec esse effectum prædestinationis, nec providentiæ generalis, quod nullus asseruit.

54 *Dices.* Dices tamen contra hanc solutionem: licèt peccatum ratione malitiæ non sit à Deo volitum; tamen materiale peccati est volitum à Deo; sed materiale peccati nõ est effectus prædestinationis: ergo quamvis permissio peccati sit à Deo volita, non ob hoc erit prædestinationis effectus. Probatur minor: ad effectus prædestinationis concurrit Deus speciali concursu; ex illius namque speciali amore procedunt; sed ad materiale peccati solum concurrit concursu generali: ergo materiale peccati non est effectus prædestinationis.

55 *Respondeo.* Respondeo negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: ad effectus prædestinationis concurrit Deus speciali concursu eliciente, vel ordinante, concedo maiorem; eliciente duntaxat, nego maiorem; distinguo minorem: sed ad materiale peccati concurrit Deus cõcursu generali eliciente, concedo minorem; ordinante, nego minorem, & consequentiam; quia ad esse effectum prædestinationis sufficit, quod specialis providentia prædestinativa imperet providentiam generalem quoad omnes effectus, prout ad illius finem conducunt. Denique replicam retorqueo, vt suprà *num.* 38. *& alibi.*

56 *Arguit. denique Bazquez.* Arguit denique Bazquez *num.* 10. cuius argumentum ad hanc formam reducitur: permissio peccati nullo modo potest esse prædestinationis effectus, nisi vt volita propter pœnitentiam, tanquam propter finem priùs volitum; sed nequit Deus efficacitèr velle pœnitentiam absque prævisione peccati: ergo nec pœnitentiam velle absque volitione præmissionis: ergo permissio peccati nequit esse prædestinationis effectus. Hęc consequentia est evidens: nam repugnat, quod permissio peccati sit effectus prædestinationis, vt volita propter pœnitentiam, tamquam propter finem priùs volitum, & quod permissio peccati sit priùs volita, quam pœnitentia; effectus namque est sua causa posterior.

57 *Respondeo.* Hoc est argumentum, quod in nostra opinione nullam habet difficultatem; negamus itaque maiorem; quia licèt permissio peccati non sit effectus prædestinationis, præparatus à Deo ex intentione pœnitentiæ, vt contra Ill. Godoy statuimus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disp.* 63. *§.* 1. est tamen prædestinationis effectus, præparatus à Deo ex præintenta humilitate, perseverantia, & alijs virtutibus, quæ nec peccatum essentialitèr supponunt, nec cum illo habent essentialem connexionem, vt diximus *tom. & disp. citat. num.* 96.

)(§)(

QUÆSTIO DECIMANONA.

An electio efficax ad gloriam sit ante, vel post meritorum prævisionem?

HÆc est illa difficultas, quam in hoc tomo pertractare promisimus *tom. 2. in 1. Sent. disput. 65.* quatenus *num. 27.* promisimus impugnare solutiones, quas Authores secundæ sententiæ referendæ tribuunt authoritatibus Scripturæ, nostræ primæ conclusioni fabentibus; & quatenus *num. 76.* hanc difficultatem contra Mastrium disputare promisimus. Pro cuius adimpletione. Sit.

§. I.

Declaratur status controversiæ.

Num. 1 *Certum est* 1.

CErtum est primò: ante voluntatem absolutam efficacem prædestinandi, esse in Deo voluntatem inefficacem dandi gloriam, tam reprobis, quam prædestinandis, modo, quo statutum habemus *tom. 2. in 1. Sent. disp. 70.* Vndè nunc quæstio proponitur de voluntate efficaci, & absoluta, quæ est prædestinatorum propria, & dicitur simpliciter electio ad gloriam, quæriturque: An hæc antecedat, vel sequatur meritorum præscientiam?

2 *Certum est* 2.

Secundò certum est: quæstionem non esse de præscientia conditionata, quam nonnulli mediam appellant; sed de absoluta; quia si prædestinatio est ex meritis, non est ex meritis prævisis, vt futuris solum ex hypotesi; nam ob merita solum ex hypotesi futura nullus præmio afficitur, vel pœna, vt pluriès contra Pelagianos, & Semipelagianos Augustinus concluſit, estque de fide, nullum prædestinari ex meritis solum ex hypotesi futuris, sed absolutè duntaxat. Vndè sensus quæstionis est: An ideò Deus prædestinatos ad gloriam elegerit, quia prævidit eorum merita absolutè futura; an potiùs è contra: ideò Deus illis voluerit dare gratiam, & merita, quia merè liberè illos elegit ad gloriã?

3 Et quidem in hoc sensu rem explicant Recentiores Societatis Authores, tàm qui hanc, quàm qui aliam secuntur sententiam; nam Herice ab Arriaga *citat. disp. 35. sect. 1. num. 1.* ait: merita conditionata nullam habere vim movendi Deum ad efficacem electionem ad gloriam, quod tamen certum (ait) esse, vt sine periculo collabendi cum Massilienſibus id negari non possit, qui parvulos dicebant prædestinatos esse, vel reprobatos ex bonis, vel malis operibus, quæ feciſſent ex hypotesi, quod vixiſſent; tum, quia etiam in reprobis, iuxta eorum sententiam de scientia media prævidet Deus merita conditionata, quæ habuiſſent in hoc, vel illo rerum ordine constituti, & tamen adhuc sunt reprobi.

4 Vndè Arriaga *disp. 36.* tenet, de facto dari talem electionem efficacem ad gloriam ante absolutam scientiam meritorum futurorum, post tamen prævisionẽ conditionatam, imò hanc adeò necessàriam putat, vt sine ipsa censeat, repugnare, talem electionem efficacem ad gloriam in Deo dari salva libertate nostra, vt constat ex his, quæ habet *disp. 34. sect. 4.* vbi ait, hanc esse communem opinionem inter Authores Societatis; possibilem tamen esse ante scientiam absolutam defendit fusè *disp. 35.* Imò ita de facto dari in Deo, concludit *disp. 36.*

5 Ex quo, vt diximus, constat: Patres Societatis, quamvis omnes scientiam conditionatam futurorum meritorum præsupponi dicant ad efficacem electionem ad gloriam, vt hæc cum nostra libertate cohæreat, non tamen eam præsupponi dicunt, vt causam talis electionis, quia sicut electorum, ita non electorum, merita conditionata, aiunt, Deum hac scientia præscire; & ideò minus accuratè dixit Vulpes *disp. 38. artic. 3. num. 10.* Recentiores Thomistas Societatis ex hoc, quod asserant, Deum ab æterno neminem prædestinasse absolutè ad gloriam, nisi post merita saltim præscita, vt conditionatè futura, conse-

quētèr tueri, causam prædestinationis in merita, modo prædicto, præviſſa refundi. Ex hoc enim ſequeretur, omnes Societatis Authores, eo, quod talem ſcientiam conditionatam prę ſupponunt electioni efficaci ad gloriam, tenere ſententiam, nempè, Deum prędeſtinare ex præviſis meritis, quod eſt manifeſtè falſum, vt *infrà* conſtabit in ſententiarum declaratione.

6 *Certum eſt 3.*

Certum eſt tertiò: quod quando hic quæritur: An merita præviſſa per ſcientiam abſolutam ſint cauſa Divinæ prædeſtinationis, non quæritur cauſa ex parte actus volendi, quoad ſuam exiſtentiam, vel quatenus pullulat à Divina voluntate, quia ſic nulla datur cauſa Divinæ volitionis, præſertim ex parte noſtra, ſed quoad liberam duntaxat eius terminationem ad rationales creaturas in ordine ad gloriam eis communicandā per merita; nequè etiam hoc modo quæritur cauſa realis, & phiſica, cum nulla talis detur Divinæ volitionis, etiam quoad terminationem; ſed ſermo eſt de cauſalitate morali, an, ſcilicèt, moveatur Deus ad volendum prædeſtinare aliquem ex meritis prædeſtinati, quo pacto, non repugnat dari cauſam ipſius actus Divini, ſaltim quoad terminationem.

7 *Explicatur*

Sed nequè hoc intelligendum eſt ita, vt obiectum aliquod creatū poſſit eſſe primarium, & prę cipuum motivum, vt Divina volitio ad aliud terminetur obiectum, adeò, quod primario hoc velit propter illud; quia ſicut obiectum immediatum, & adę quatum Divinæ voluntatis motivum eſt ſola increata bonitas, ita Deus omnia vult ad extrà propter ſe ipſum immediatè, & adę quatè, tamquam propter obiectum motivum; ſed dicitur velle, vnum bonum creatū eſſe propter alterum, tamquam propter terminum, ſeu finem illius voliti propter alterum; movetur enim à ſua Divina bonitate ad volendū omnia, eo modo, quo in ſe ſunt volibilia, & eo ordine, quem inter ſe ſervant obiecta.

8 *Firmatur ex Scoto.*

Quam doctrinam docet Scotus, tàm de actu Divini intellectus, quàm de actu voluntatis Divinæ. De actu Divini intellectus docet *in* 1. *diſt.* 39. *§. Viſo de contingentia*, vbi ait, quod prout tranſit ſuper obiecta ſecundaria aſsignatur ordo prioris, & poſterioris, & quod vnū intelligat propter aliud ſpectato præciſsè tali ordine, & dependentia ex parte ipſorum obiectorum inter ſe; quia ſicut inter obiecta vnum dicitur ex alio, aut propter aliud eſſe, conſequentèrque vnum prius alio; ſic etiam Deus dicitur, vnū ex alio, aut propter aliud intelligere, perindèque vnum intelligere prius, quam aliud.

De actu Divinæ voluntatis docet Magiſter *in* 3. *diſt.* 32. vbi ait: Omnia Deum æqualitèr velle, ſpectata ratione volendi motiva per modum finis primarij, & motivi, qualis eſt eſſentia Divina, quæ ſola eſt prima ratio agēdi, tàm intellectui, quàm voluntati; non verò vult æqualitèr omnia, ſpectata ratione terminativa actus volendi ex parte obiectorum ſecundariorum, nam ex hac parte prius, magiſq; vult Deus ex creatis entibus id, quod habet rationem finis, quam id, quod ad aliud, tamquam ad ſuum finem, propter quem eſt, vel fit, ordinatur; vndè concludit tandem *litt. H. & I. Patet itaquè inæqualitas volibilium, quantum ad ipſa volita præciſsè, non vt volitio eſt actus ipſius voluntatis, ſed vt tranſit ſuper obiecta ipſa ſecundaria.* Et *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 8. *ad* 4. ait: *Deum velle aliquid propter finem creatum, non tamquam finem ipſius Dei, ſed tamquam finem ipſius effectus Dei.*

Ex hacque doctrina patet, quomodo voluntas Dei moveatur à ſola ipſius increata bonitate, & tamen ad bona creata terminetur ordinatè, prius ratione ad vnum, quā ad aliud, & ad vnum propter aliud; quod valdè notandum eſt ad dignoſcendum ordinem prioris, & poſterioris inter decreta Dei, in quem paſsim impingimus in pluribus materijs, & difficultatibus Theologicis; de quo plura vide in Vulpes *diſp.* 33. *artic.* 6. *tom.* 2. *part.* 1. Cum ergo quæritur in propoſito, an electio efficax ad gloriam ſit ante, vel poſt prævisionem meritorum, & an merita prævisa ſint cauſa finalis prædeſtinationis ad gloriam, aut è contra, ſermo eſt de cauſalitate, ac de prioritate, & poſterioritate, ſenſu prædeclarato, & eſt perindè, ac ſi quæratur, an electio facta dicatur ex meritis, vel nulla habita conſideratione meritorum, ſed ita gratis, vt ex illa potiùs ſecuta ſint merita.

9 *Status difficultatis aperitur.*

Certum eſt quartò: hic loqui de meritis in ipſa gratia fundatis, & ex vi

10 *Certū eſt 4.*

ip-

ipsius elicitis, non autem de meritis à libero arbitrio futuris, solis naturæ viribus; hic enim fuit error Pelagij asserentis: posse hominem solis naturæ viribus, sine auxilio supernaturali vitam æternam promereri de condigno; atque ideò dicebat: Deum homines prædestinasse ad gloriã ex meritis à libero arbitrio futuris, solis naturæ viribus; de parvulis verò ante vsum rationis morientibus dicebat: quosdam prædestinatos fuisse, alios verò reprobatos, propter bona, vel mala opera, quæ gessissent, si vixissent, à Deo præcognita per scientiam conditionatam. Contra quem errorem disputat Augustinus pluribus in locis *infrà citandis*.

11 *Certum est 5.* Quintò certum est: controversiam hanc esse potissimum de prædestinatione adultorum, vtpotè, qui soli sunt meriti proprij capaces; vndè argumenta præcipua, quæ pro vna, vel altera sententia adferuntur, præcipuè sunt de adultis, ac de illis difficultatem faciunt; de infantibus verò vnusquisque loquitur consequenter ad opinionem de adultis; vndè, qui asserunt: adultos ex eorum meritis prævisis prędestinari ad gloriam, consequenter dicunt, de parvulis, quod licèt non eligantur ad gloriam, tamquam ad præmium ex ipsorum meritis prævisis, quorum nondum sunt capaces, adhuc tamen eliguntur ad eã, tamquam ad puram hæreditatem ex prævisa eorum finali iustificatione, ad quam ordinantur ex meritis Christi prævisis, tamquam capitis, medijs causis, tàm naturalibus, quam liberis, ex quorum applicatione pendet eorũ iustificatio per regenerationis lavacrũ.

Qui verò negant: adultos ex eorum meritis prævisis prædestinari, asserunt, primum prædestinationis decretum circa illos fuisse absolutum ab omni respectu ad humanam cooperationem propriam, & licèt ipsi concedant, quod consequuntur gloriam, non vt præmium, & coronam, sed vt hæreditatem, tamquam filij per gratiam, quam per regenerationis lavacrum suscipiunt ex meritis Christi, negant tamen, fuisse ab æterno electos ad gloriam, ex prævisa ipsorum iustificatione finali, modo prędicto, & affirmant, tàm ipsos, quàm adultos, & vniversalitèr prædestinatos omnes, sivè Angelos, sivè homines, electos esse efficacitèr à Deo antecedentèr ad visionem operum ipsorum, seu illorum mediorum, quibus de facto illam consequuntur.

Denique certum est: valdè diversa esse, prędestinare ex meritis ad gloriam, & prædestinare per merita; nam in prima propositione merita induunt rationem causæ respectu prædestinationis, atque ideò opus est, in Divina præscientia illa præcessisse per modum causæ efficientis in genere moris; in secunda verò respectu gloriæ induunt rationem effectus in genere causæ finalis; nã sensus est, quod quia Deus prædestinavit hominem ad gloriam, ideò præparavit ei, vndè haberet merita, ideòque præparatio gloriæ est causa prędestinationis mediorum, & sic in aliquo signo rationis prior est electio ad gloriam, quã præparatio, & præscientia meritorũ gloriæ; quarè secundum hanc opinionem, nulla datur causa prædestinationis ad ipsam gloriam ex parte prędestinatorum, cum ipsa merita in Divina gratia fundata potiùs habeant rationem effectus Divinæ prædestinationis.

12 *Certum est 6.*

Hæc omnia deduxi ex Sapientissimo Mastrio *in* 1. *disp.* 5. *quæst.* 2. *artic.* 1. vt status difficultatis apperiatur, certaque ab incertis secernantur. Cœterum vltra hæc omnia, aliud est notatu dignissimum, quod licèt apud omnes sit certum, apud nullum, quẽ viderim, suppositum vidi, & ni fallor, conducit ad facillimam resolutionem huius tam gravissimæ difficultatis, in qua omnes proclamant illud Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius*, quod licèt dictum habeamus *tom.* 2. *in* 1. *Sent. disp.* 65. vbi contra Ill. God. hanc difficultatem pertractavimus; hic repetere, est valdè necessarium, vt contra Mastriũ, & alios Scotistas procedamus, quod est, vt diximus, intentum promissum, & adimplendum. Pro quo sit.

13

§. II.

Doctrina specialis Scoti, & Scotistarum declaratur.

14 *Gloria dupliciter cõsiderari potest.* SVponendum itaquè est cum Scoto, & Scotistis, quod gloria potest considerari dupliciter. Primò: secundum substantiam, seu secundũ se.

Secundò: secundum modos, & circunstantias. Primo modo attenditur gloria, vt est possessio obiecti beatifici, præscindendo ab hoc, quod gloria sit per modum hæreditatis tantum; vel per modum coronæ, & præmij; quo sensu gloria est beneficium indebitū creaturæ. Secundò modo attenditur per modum hæreditatis, vel per modum coronæ, & præmij. Hæc suppositio constat ex dictis in Metaphisica circa naturas rerum, vel cum suis prædicatis essentialibus tantum; vel cum modis, & circunstantijs. Estque eadem cum illa, quam Scotistæ faciunt cum Doctore tract. *de Incarnat.* vbi aiunt: Incarnationem dupliciter posse considerari. Primò: secundum substantiam, quomodo attenditur vt vnio hypostatica est, præscindendo ab hoc, quod humanitas sit passibilis. Secundò: secundum modos, & circunstantias, quomodo attenditur vt in carne passibili, vel impassibili, de quo diximus *tom.* 1. *in* 3. *disp.* 8. Vndè hæc suppositio innegabilis videtur ab omnibus Scotistis.

15 *Quodam corollariū.*

Ex hacque suppositione colligitur, motivum, & finem gloriæ secundum substantiam, esse ostensionem Divinæ misericordiæ, vel liberalitatis, & gloriæ Dei, præscindendo à finali iustificatione parvulorum, quibus datur gloria per modum hæreditatis tantum, & à meritis adultorum, quibus gloria datur per modum coronæ, & præmijs. Motivum verò gloriæ secundum modos, & circunstantias, esse finalem iustificationem respectu gloriæ per modum hæreditatis, & merita respectu gloriæ per modum coronæ, & præmij. Hoc fateri tenentur Scotistæ, qui dicunt: motivum, & finem Incarnationis secundū substantiam esse excellentiam misterij, ostensionem gloriæ Dei, & gloriā nostram, præscindendo à peccato; motivum verò Incarnationis secundum modum, & circunstantias, scilicèt, in carne passibili, esse remedium peccati, de quo etiam diximus *tom. & disp. citat.*

16 *Aliud corollarium.*

Seu ex dicta suppositione colligitur: finalem iustificationem parvulorum, & merita adultorum esse causam, & motivum gloriæ ipsorum, non solum quoad modū, sed etiam quoad substantiam, iuxtà quod dicendum est: Deum duplici quasi motivo decreviſſe gloriam quoad substantiam, scilicèt, propter ostensionem suæ misericordiæ, seu liberalitatis, & propter finalem iustificationem in parvulis, & propter merita propria in adultis; advertendo tamen, quod inter hæc motiva ostensio Divinæ Misericordiæ, & liberalitatis est primum, & principale volitum ante prævisionem finalis iustificationis parvulorum, & ante meritorum prævisionem adultorum; finalis verò iustificatio parvulorum, & merita adultorum sunt motivum secundarium, & minus principale, volitum post prævisionem finalis iustificationis in parvulis, & meritorum in adultis.

17 *Fundatur in doctrina Scotistarū.*

Hoc negare nequeunt Scotistæ illi, qui asserunt: remedium peccati esse causam, & motivum Incarnationis, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, & ideò duplex motivum Incarnationis quoad substantiam cognoscunt, quorum primū, & principale est excellentia misterij ante prævisionem peccati volita; secundum, & minus principale post peccati prævisionem volitum, est remedium peccati. Et sicut hi Scotistæ ita hæc duo motiva statuunt, vt quodlibet ipsorum sit sufficiens ad executionem Incarnationis; ita nos statuimus illa duo motiva gloriæ. Et sicut ibi tenent: Deum voluisse Incarnationē quoad substantiam ex duplici motivo totali in esse signato, quia quodlibet erat sufficiens; non verò totali in esse exercito, quia repugnat effectus proveniens à duplici causa totali; ita nos discurrimus de volitione Dei erga gloriam quoad substantiam.

18 *Paritas ex doctrina Scotistarū.*

Vndè sicut Scotistæ prædicti substinent: quod vi decreti Incarnationis ob excellentiā misterij veniret Christus, licèt non vt passibilis, vel impassibilis formalitèr decretatus, quia ad hoc decretum non attinet affirmatio, vel negatio modorum, sed substantiæ tantum; hæc enim est natura decretorum, & rerum, quod in primo signo decernatur quidditas rei, abstrahendo à modis, & circunstantijs; ita nos in præsenti affirmamus: quod vi decreti gloriæ ob ostensionem Divinæ misericordiæ, & liberalitatis, gloria conferenda esset prædestinatis, licèt non vt hærediras, vel vt corona formalitèr decretata ob rationem datam.

Et

19 *Prosequitur paritas*

Et deniquè, sicut Scotistæ discurrunt: quod licèt vi decreti Incarnationis ob excellentiam misterij non esset Christus decretatus formalitèr, vt passibilis, nec vt impassibilis, veniret tamen vt impassibilis, Adamo non peccãte, & vt passibilis, vt de facto venit, Adamo peccante, quod fieret, vel per aliud decretum secutum ad primum, & terminatum ad aliquem ex his modis; vel per extensionem primi decreti ad quendam ex his modis terminatam. Ita omninò pariformitèr nos in præsenti discurrimus, scilicèt: quod licèt vi decreti gloriæ ob ostensionem Divinæ misericordiæ, & liberalitatis, prædestinati non essent formalitèr decretati ad gloriam per modum hæreditatis, vel coronæ, seu præmij; gloria tamen illis conferenda esset per modum hæreditatis, prævisa finali iustificatione sine meritis proprijs, & per modum coronæ, meritis proprijs prævisis.

20 *Ordo prædestinationis.*

Et vt hæc doctrina ita parificata magis clarescat, declaratur ordo, quẽ Deus habuit in hominum prædestinatione. Primò namquè aliquos prædestinavit ad gloriam quoad substantiam, præscindendo à gloria per modum hæreditatis, vel coronæ. Secundò: decrevit eis dare gratiam ad consequutionem gloriæ intentæ. Tertiò: vidit aliquos ex illis ante vsum rationis morituros sine meritis proprijs, & aliquos post rationis vsum cum proprijs meritis. Quartò: decrevit illis dare gloriam per modum hæreditatis; & istis per modum præmij, & coronæ. Vndè, hoc ordine servato, & Deo conformiori, ad modum, quo Deus priùs decrevit Incarnationem quoad substantiam, quam quoad circunstantiam passibilitatis, elegit Deus parvulos, & adultos ad gloriam quoad substantiam ante meritorum prævisionẽ; ad gloriam tamen per modum hæreditatis elegit parvulos ex prævisa eorum finali iustificatione, ad quam ordinantur ex meritis Christi prævisis, tamquam capitis, medijs causis, tam naturalibus, quàm liberis, ex quorum applicatione pendet eorum iustificatio per regenerationis lavacrũ; adultos verò ad gloriam, vt coronam, & præmium, ex eorum meritis prævisis.

21 *Paritatis æqualitas.*

Neque mirum sit, quod inter signum decernendi gloriam quoad substantiam, & signum decernendi gloriam per modum hæreditatis, vel coronæ, mediet signum prævisionis finalis iustificatationis parvulorum, & meritorum adultorum; cum inter signum decernendi Incarnationem quoad substantiam, & signum decernendi Incarnationem quoad modum passibilitatis, mediet signum prævisionis peccati Adæ, vt omnes fatentur Scotistæ. Sunt igitur in omnibus pariformia, nec discrimen aliquod invenio, ideòque, vt consequentèr procedam, eodem modo, quo de decreto Incarnationis omnes Scotistæ discurrunt cum Magistro, discurrendum venit in difficultate præsenti de decreto prædestinatorum ad gloriam.

§. III.

Sententiæ referuntur.

22 *1. Sentent.*

HIs ergo suppositis, & doctrina Scoti, & Scotistarum declarata, tres sunt sententiæ præcipuę in hac ardua controversia. Prima sententia docet: electionem absolutam, & efficacem ad gloriam ante merita prævisa factam fuisse. Pro hac opinione citatur Scotus *in 1. dist. 41.* Quam secuti sunt Lichetus, Bargius, Tataretus, Mairon, Basolus, Vulpes, & Smising, quos refert Mastrius *in 1. disp. 5. quæst. 2. num. 63.* illorum opinionem amplectens *num. 65.*

Scotus.
Lichetus.
Bargius.
Tataretus.
Mairon.
Basolus.
Vulpes.
Smising.
Mastrius.

23 *D. Thom.*

Pro hac etiam opinione citatur D. Thomas *1. part. quæst. 23. artic. 4. & 5.* vbi in corpore artic. planissimè docet, quod totus effectus prædestinationis nullam aliam causam habet, nisi Divinam voluntatem. Et *in solutione ad 3.* inquit: *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi voluntatem Divinam.* Et *quæst. 6. de Veritate, artic. 2. ad 9. Electio Dei, qua vnum elegit, & alium reprobat, rationabilis est, nec tamen oportet, quod ratio electionis sit meritum, sed in ipsa electione ratio est Divina bonitas, ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale.*

24 *Capreolus.*
Caietanus.
Bañez.
Soto.
Alvarez.
Gonçalez.
Nazarius.
Cornejo.
Salmantic.
S. Thom.

D. Thomam secuntur Thomistæ omnes veteres, & moderni. Capreolus *in 1. dist. 41. quæst. 1.* Caietanus, & Bañez circa *artic. 4. huius quæst.* Soto *super Epist. ad Roman. cap. 9.* Alvarez *disp. 37. de auxilijs.* Gonçalez *disp. 73. sect. 2.* Nazarius *in præsenti artic. 5. controvers. 2.* Cornejo *artic. 4. disput. vnica, dub. 2.* Salmanticenses *disput. 9. dub. 1. 2. & 3.* S. Thoma *disp. 8. art. 4.*

Serra. Ill. Godoy.

Marcus de la Serra *dubio vnico*. Et Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 65. num. 5.*

25 Fasolus. Arriaga. Arrubal. Lezana. Corduba. Aversa. Belarmin. Toletus. Henriquez. Suarez. Granadus. Ruizius.

Ex Patribus autem Societatis plures opinionem relatam amplectuntur Fasolus *part. 1. quæst. 23. art. 1.* Arriaga *disp. 36.* Arrubal *disp. 73. cap. 3. & disput. 74. cap. 2.* Lezana *tract. 4. disp. 9. quæst. 5.* Corduba *lib. 1. quæst. 56.* Aversa *quæst. 23. sect. 20.* Belarminus *lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 10. & 15.* Toletus *ad Rom. 6. cap.* Henriquez *de vltimo fine hominis, cap. 11.* Suarez *lib. 1. de Prædestinat. cap. 8.* Granadus *tract. 7. disp. 4 sect. 2.* Ruizius *tom. de Prædestinat. disp. 10.* Et alij plures, quos referunt Salmanticenſe *citat.*

26 Egidius. Durandus. Ricardus. Gregorius. D. Bonav.

Deniquè pro opinione prædicta citantur Egidius *in 1. dist. 41. artic. 1. quæst. 1.* Durandus *quæst. 1.* Ricardus *quæst. 4. artic. 1.* Gregorius *artic. 2.* Et tandem D. Bonaventura, licèt de hoc dubium ſit, vt fatetur Maſtrius *num. 63.* ſentiens, potiùs in hanc ſententiã inclinari Doctorem Seraphicum, ſed immerito, vt ex infra dicendis conſtabit, & pro nobis adducemus.

27 2. Sentent. Guillelm. de Rubion. Molina. Herice. Alarcon. Meracius. Bazquez. Beccanus. Amicus. Luiſius. Turrian. Franc. Tur. Leſius. Pennotus. Alenſis. D. Bonav. D. Thom.

Secunda ſententia, ſuprà relatæ extrema, aſſerit: electionem abſolutam, & efficacem ad gloriam omniũ adultorum poſt merita prævisa factam fuiſſe. Han tenent Guillelmus de Rubione *in 1. dist. 41. quæst. 1.* Molina *in præſenti disp. 1. memb. 6.* Herice *disp. 23. per 14. capita.* Alarcon *tractat. 4. disp. 1. à cap. 6. vſquè ad finem.* Et *disp. 2. à cap. 14.* Meracius *disp. 41 sect. 2. & ſeqq.* Bazquez *1. part. disp. 89.* Beccanus *1. part. tract. 1. cap. 14. quæſt. 4.* Amicus *tom. 1. disp. 15. ſect. 4.* Luiſius Turrianus *Opuſc. citat.* Et Franciſcus item Turrianus *Opuſc. de electione*, & omnium fuſiſsimè, ac ardentiſsimè Leſius *disp. de Prædeſtinat. ſect. 2. 3. 4. & 5.* atque Pennotus *lib. 6. propug. cap. 21.* qui pro ſe citant Alenſem. D. Bonaventuram. D. Thomam, & alios antiquiores.

28 Pontius. Veglenſ. Boivim. Durand. Faber. Saxius.

Ex noſtris autem hanc ſententiam defendunt Pontius *disp. 7. quæſt. 3. Curſus Theologici.* Matthæus Veglenſis Fraſem. Boivim. Durand. *tom. 1. de Deo vno, tract. 5. de Prædeſtinat. disp. 1. quæſt. 1.* Faber *in 1. disp. 58. cap. 4.* Saxius *in ſua Cataſtrop. tom. 2. disp. 10. quæſt. 3 artic. 1.* Qui omnes Scotum citant pro hac ſententia, & illius Expoſitores, vt Lichetus, Vigerius, Paulus Scriptor, & Tataretus, Magiſtrum eſſe in hac materia problematicum, teſtantur expræſsè.

29 3. Sentent.

Tertia ſententia, vſque à me in nullo inventa, docet: electionem abſolutam, & efficacem prædeſtinatorũ ad gloriam quod ſubſtantiam, factam fuiſſe ante merita prævisa; electionem verò abſolutam, & efficacem prædeſtinatorum ad gloriam quoad modũ, & circunſtantias, ſcilicèt, per modum hęreditatis, & per modum pręmij, aut coronæ, poſt merita prævisa factam fuiſſe. Huic opinioni pro prima parte ſabent Authores pro prima ſententia relati; & pro ſecunda Authores pro ſecunda citati.

30 D. Bonav. D. Thom. Scotus.

Quam opinionem videtur docuiſſe (licèt non expræſsè) D. Bonav. *in 1. dist. 41. art. 1. quæſt. 2. num. 15. & 16.* D. Thomas *1. part. quæſt. 23. art. 5. ad 3. cum ad Rom. 8. lect. 6.* Scotus *in 1. dist. 41.* Et *in 3. dist. 7. quæſt. 3.* ex quibus veritatem noſtræ ſententiæ probabimus §. 16. eorum authoritates declarando.

31 Script. Patres.

Hanc deniquè ſententiam (re benè inſpecta) docent Scriptura, & Patres; nam omnes Authoritates, quibus Authores primæ ſententiæ probant: electionem abſolutam, & efficacem prædeſtinatorum ad gloriam ante merita prævisa factam fuiſſe, clariſsimè convincunt primam partẽ opinionis ptędictę; & Authoritates omnes, quibus ſecundę ſententiæ ſectatores convincere optant: electionẽ abſolutam, & efficacem prædeſtinatorum ad gloriam poſt merita prævisa factam fuiſſe, notoriè probant ſecundam partem prędictę opinionis, vt ex dicendis clarebit.

32

Deniquè opinio prædicta eſt ita conformis principijs Scoti, & D. Thomæ, eorumque doctrinis, quas cum ipſis vnanimiter omnes eorum diſcipuli docent, vt dicere valeam, dictam opinionem legitimè ex Scoto, & D. Thoma deduci, Authoreſque, qui expręſsè oppoſitum tenent, ad prędictam opinionem, vt veriſsimam fatendam, doctrina ſua eſſe abſquè dubio coactos. Sit ergo.

§. IV.

Statuitur prima concluſio, & Scripturæ authoritate probatur.

33 1. Concluſ.

PRima concluſio: *Electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam quoad ſubſtantiam per modum intentionis*

præ-

præcedit prævisionem meritorum. Seu quod idem est: *Electio efficax prædestinatorum ad gloriam, prout est beneficium indebitum, est ante merita prævisa.* Hæc conclusio sic statuta tueri debet ab omnibus Authoribus primæ sententiæ; nam si iuxtà ipsos electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, est ante merita prævisa; multo meliùs electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, seu vt est beneficium indebitum, erit ante meritorum prævisionem; nam magis præscindit à meritis gloria quoad substantiam, seu vt est beneficium indebitum, quā gloria per modum coronæ, & præmij, vt de se est manifestum.

34 *Conclusio deducitur ex D. Thoma.*

Atque hinc se se aperit primò: hanc conclusionem ex D. Thoma deduci, vtpotè, principijs illius valdè conformem; nam si (vt ait Ill. Godoy *num.* 5.) luce meridiana est clarius, D. Thomā sensisse, electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam per modum Coronæ, & præmij esse ante merita prævisa; clariùs adhuc est, Doctorem Angelicum sentire debuisse, electionem prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, seu provt est beneficium indebitum, meritorum prævisionem præcessisse ob rationem datam *num. anteced.*

35 *Deducitur ex Thomistarum doctrinis.*

Se se aperit secundò: conclusionem prædictam esse conformiorem doctrinis Thomistarum, quas ex D. Thoma se accepisse fatentur, quod ostenditur primò ex ab Ill. Godoy traditis: nam iuxta ipsum *disp.* 63 *num.* 67. stat, quod pœnitentia, vt Omnipotentiam Dei manifestat, & ad vberiorem gratiam, & perseverantiam conducit, à Deo intendatur ante prævisionem peccati: ergo potiori iure stabit, quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, seu provt est beneficium indebitum, sit ante prævisionem meritorum. Secundò: quia iuxta ipsum *disput.* 69. *num.* 66. stat optimè, quod voluntas efficax negandi reprobis gloriam, prout est beneficiū indebitum, sit ante omne personale peccatum: ergo stabit optimè: quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam, prout est beneficium indebitum sit ante merita prævisa. Tertiò: quia secundum Ill. Godoy *disput.* 65. electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum Coronæ, & præmij est ante merita prævisa: ergo multo meliùs electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiā, seu prout est beneficium indebitum erit ante merita prævisa, vt ostensum est *numer.* 33. Liquet ergo: prædictam nostram conclusionem esse valdè conformem principijs D. Thomæ, & doctrinis, quas ex ipso acceperunt, & secuti sunt Thomistæ, ac perindè ad ipsam tuendam necessario coguntur.

Secundò.

Tertiò.

Tertiò se se aperit: propositam conclusionem esse valdè conformem principijs Scoti: nam si omnes Scotistę à Mastrio citati in præsenti *numer.* 63. cum quibus, & ipse, asserunt: Scotum sensisse: electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam per modū Coronæ, & præmij esse ante merita prævisa; clarius adhuc est, Doctorem Subtilem sentire debuisse, electionem prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, seu prout est beneficium indebitum, meritorum prævisionem præcessisse ob rationē datam *num.* 33. Est etiam summè consequens doctrinæ Magistri *in* 3. quam omnes sui discipuli sunt amplexi, scilicèt, quod decretum Incarnationis quoad substantiam præcesserit prævisionem peccati, de quo vt paritas teneat, latè diximus *num.* 14. *& seqq.* Constat igitur prædictam conclusionem esse valdè conformem principijs Scoti, & summè consequentem doctrinæ, quam ex ipso acceperunt, & secuti sunt Scotistæ illi, qui in conclusione sequenti contradicent.

36 *Cōclusio est conformis principijs Scoti.*

Coguntur itaquè ad hanc conclusionem tuendam omnes illi, tàm Scotistæ, quàm Thomistæ, qui sentiunt: electionem efficacem prædestinatorū ad gloriam per modum Coronæ, & pręmij esse ante merita pręvisa. Vndè conclusio hæc est Authorum, qui pro prima sententia sunt relati, oppositā verò Authoribus pro secunda citatis; quatenus ante prævisionem meritorum nullam in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam prædestinatis cognoscunt. Contra hos ergo firmanda est authoritatibus conclusio, & certè eisdem illis authoritatibus, quas contra secundam conclusionē nobis obijcient Authores in illa contrarij.

37 1. *Testimonium. Luc.*

Primum testimonium sumitur ex Lucca *cap.* 12. his verbis: *Nolite timere pusillus Grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Secundum ex

2. *Testimonium. D. Paul.* D. Paulo *ad Ephesios* 1. dicente: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Iesum-Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Tertium *ex Actor.* 13. *Crediderunt quot quot erant præordinati ad vitam æternam.* Quartum ex Apostolo *ad Romanos* 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & iustificavit; quos autem iustificavit, hos & glorificavit.*

3. *Testimonium.*

4. *Testimonium.*

38 Quintum deniquè testimonium sumitur ex Apostolo *ad Roman.* 9. dicente: *Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent, aut mali; non ex operibus, sed ex Deo vocante dictum est; Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et paulo post: *Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabor, cuius miserebor*; id est, vt clarius dicitur *Exod.* 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit: Igitur non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei*, & posteà: *Cuius vult indurat, scilicèt, non impartiendo misericordiam*, inquit D Augūst. *Epist.* 105. ad ipsum, idem dicunt D. Thom. & Tertulianus, si non secūdum verba, saltem secundum sensum.

5. *Testimonium.*

39 Hæc sunt testimonia, quibus Authores primæ sententiæ, & cum ipsis Magistrius *citat. artic.* 2. probant: electionem efficacem, & absolutam prędestinatorum ad gloriam per modum Coronæ, & præmij esse ante merita prævisa, & certè fateri tenentur, potiori iure convincere nostram conclusionē de electione efficaci ad gloriam quoad substantiam, seu vt est beneficium indebitum, vt diximus *num.* 33. Quod autem hoc probent testimonia prædicta, declaravimus *tom.* 2. *in* 1. *Sentent. disput.* 65. §. 2. Quid verò ad ea respondeant contrarij, *ibi* ad *hic* videndum reliquimus. Solutiones igitur videamus, & impugnemus.

§. V.

Solutiones adversariorum impugnantur.

40 AD hæc Scripturæ testimonia multiplicitèr, & difformitèr respondent Authores contrarij. Primò namque respondent aliqui ex Societate cum Pennoto: per voluntatem electivam, seu prædestinativam in Scriptura non intelligi voluntatem omninò gratuitā, & liberalem, quod erat necessarium, vt prædicta voluntas esset electiva ante meritorum prævisionem. Quod explicant in verbis Lucæ traditis *num.* 37. ibi enim statim subiungit Sacer textus: *Vendite, quæ possidetis*, denotando, quod per hæc bona opera Regnum illud sibi promererent. Hæc tamen solutio minimè placet, quia plenè, & planè est contra expositionē plurium Patrum; ideòq;

Respond. 1. *aliqui ex Societate cū Pennoto.*

41 Reijcitur primò: nam Maldonatus in expositione super verba Lucæ *citat.* hæc ait: *Quod ab omnibus hoc loco observatum est, verum est significari Regnum Cælorum gratuita Dei voluntate, benignitateque esse nobis prædestinatum sine nostris meritis.* Idemque observarunt super prædictum textum Theophilatus. D. Bonaventura. Hugo Card. Lyra. Dionisius Cartux. Toletus. Jansenius *in Concordia, cap.* 86. Barradas. Beda, & Cyrilus, apud D. Thom. *in Catena*: ergo textus prædictus intelligēdus est de voluntate omninò gratuita, & liberali iuxtà hos Expositores: ergo contra horum expositionem est allata solutio.

Reijcitur solutio. 1.

Reijcitur 2 Secundò reijcitur; nam licèt voluntas electiva, seu prædestinativa ad gloriam per modum coronæ, & præmij, non sit omninò gratuita, & liberalis, de quo conclusione secunda; falsum tamen est, quod voluntas electiva, seu prædestinativa ad gloriam quoad substantiam, seu vt est beneficium indebitū, non sit omninò gratuita, & liberalis: ergo prædicta solutio nostræ conclusioni non officit. Et hoc, ni fallor, est intentum Authorū, hac vtentium solutione; loquuntur namque de gloria per modum coronæ, & præmij, vt claret ex ipsorum responsione.

42 Alij ex eadem familia, & Amicus *citat.* cum illis, respondent secundò: verum esse, quod per voluntatē electivam, seu prædestitativam intelligitur in Scriptura voluntas Dei omninò gratuita, & liberalis; cœterum falsum est, quod intelligatur voluntas efficax, quæ est prædestinatorum propria, & de qua loquimur. Vndè dicunt: Scripturam loqui de voluntate non efficaci; sed inefficaci, & conditionata, quæ communitèr voluntas complacentiæ nominatur, & Deo res-

Respond. 2. *alij cū Amico.*

pectu

pectu omnium tribuitur. Hanc solutionem ex verbo *Complacuit*, quo vsus fuit Lucas *citat.* & ex ipso contextu, deducere conantur hi Authores; ipsamque comprobant ex eo, quod si Lucas in textu prædicto loqueretur de voluntate efficaci, Iudas, qui erat pars illius pusili Gregis, non esset reprobatus; & Christus revelasset Apostolis eorum prædestinationem, quod inconvenit, vtpotè, affectum benè vivendi retardaret. Hac solutione vltrà Patres Societatis vtitur etiam noster Pontius suprà citatus.

43 *Reijcitur 1 solutio*

Hæc solutio reijcitur primò: Scriptura loquitur de voluntate prædestinativa discretiva prædestinatorum à reprobis, vt fatentur Authores, hac solutione vtentes, & dictum manet *tom. & disp. citat. num.* 23: ergo loquitur de voluntate efficaci. Probatur consequentia: voluntas electiva, seu prædestinativa inefficax non est voluntas discretiva prædestinatorum à reprobis, vtpotè, omnibus communis, & concedit solutio; sed per te Scriptura loquitur de voluntate prædestinativa discretiva prædestinatorum à reprobis: ergo Scriptura loquitur de efficaci voluntate.

Secundò. Secundò: nam per illa verba Lucæ *citat.* scilicèt, *Pusillus Grex*, intelligitur numerus prædestinatorum, qui dicitur *Pusillus*, respectu multitudinis reproborum, vt exponunt Beda, D. Bonaventura, & alij; sed voluntas prædestinatorum propria, est absoluta, & efficax: ergo de voluntate efficaci loquitur Scriptura. *Tertiò.* Tertiò: nam verbũ *Complacuit*, quo Lucas vtitur, significat voluntatem efficacem: ergo ruit solutio. Antecedens probatur ex illo consimili loco *Sapientiæ* 4: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, in quo loco dubitari nequit, Scripturam loqui de voluntate efficaci prædestinationis Iusti; sed hæc voluntas efficax declaratur per verbum *Placeo*, vt constat ex textu; subdit namque, rationem assignando: *Placita enim erat Deo anima illius*: ergo verbum *Complacuit* significat voluntatem efficacẽ.

44 Neque ex hoc sequitur, quod Iudas non esset reprobatus. Primò: quia vt ait Ill. God. *num.* 7. Christus suum sermonem direxit ad maiorem partẽ, quæ efficacitèr erat electa, ex quo necessarium non fuit, quod sub tali electione Iudas comprehenderetur. Secundò, & melius: quia Christus non fuit locutus omnibus Apostolis personalitèr, de quorum numero erat Iudas reprobus, sed locutus fuit illis in persona prædestinatorum omniũ; & cum de horum numero Iudas non esset, istius reprobatio non obest efficatiæ voluntatis prædictæ. Nec inconvenit, quod Deus aliquando revelet prædestinatis eorum prædestinationem, quia talis revelatio non retardat affectum benè vivendi, quin potiùs eum excitat; nam iuxtà D Bonaventurã prædestinationis revelatio auffert pusillanimitatem timoris ex incertitudine ortam, & ardorem cupiditatis gloriæ magis accendit.

Tertiò respondent alij eiusdem familiæ apud Arriaga *disp.* 35. *sect.* 5: electionem prædestinativam, de qua Scripturæ locuntur, nec esse volitionem efficacem, nec solum inefficacẽ; sed esse volitionem inefficacem cum adiuncta voluntate dandi auxilia, quę prævisa erant efficacia. Hanc volitionem vocant aliqui, qui hac solutione vtuntur, specialem quemdam affectum Dei circa prædestinatos, distinctum ab illa complacentia generali, quam habet de omnium salute, etiam reproborum; qui affectus, licèt sit inefficax; est tamen connexus cum absoluta futuritione effectus. Alij prædictam volitionem vocant teneriorẽ Dei affectum erga prædestinatos, qui Deum allexit, vt eis daret auxilia efficatia ad salutem, qui affectus, licèt de se sit inefficax, quia est ex natura sua indifferens, vt coniungatur cum carentia consensus, & cum consensu; est tamen connexus cum absoluta futuritione effectus. Vndè solutio horum Authorum ad loca Scripturæ significantia, dari in Deo electionem aliquam specialem in prædestinatis omninò gratuitam, & eorum merita antecedentem, reducitur ad hoc, nempè: Scripturam non loqui de electione speciali efficaci; sed de aliqua speciali inefficaci, quæ solis cõvenit prædestinatis, vt secernuntur à reprobis.

45 *Respond. 3: alij cũ Arriaga.*

Hæc tamen solutio, vltrà hoc, quod nec authoritates Scripturæ positas, nec Patrum, & Conciliorum 9. sequenti ponendas, salvat, quia de volitione efficaci dandi gloriam loquuntur; vltrà hoc autem, quod erat sufficiens impugnatio illius; solutio hæc nova est, ac obscura, & sibi repugnans.

46 *Impugnat. solutio.*

No-

Nova quidem, quia hactenus Theologi duplicem tantum agnoverunt in Deo voluntatem dandi gloriam, alteram generalem, & omnibus communem, tam reprobis, quàm prædestinatis, quam proindè dicunt inefficacem esse, atquè conditionatam; alteram verò efficacem, & absolutā, quæ est propria prædestinatorum, nec aliā specialem voluntatem Dei circà prædestinatos agnoverunt inefficacem. Obscura verò, quia novis, & obscuris terminis vtuntur teneritudinis, quę quidem quid in Deo præseferat, & in quo consistat, minimè explicant, quę enim amoris teneritudo esse potest ea Dei circa prædestinatos specialis, & singularis, si est inefficax? Est tandem in re repugnans; nam si talis complacentia Dei specialis circa prædestinatorum salutem semper connexa est cum futuritione effectus, non erit inefficax, sed efficax; nam ea est volitio efficax, quæ ex natura sua talem habet connexionem cum effectu, vt illum infallibilitèr inferat.

47 *Respondent alij 4.*

Alij eiusdem familię, quibus adhæsit recens quidam Scotista, respondent quarto: Scripturam loqui de electione ad gratiam. Primò: quia gratia in Scriptura sæpè appellatur Regnum, & vita æterna, quatenus est gloria incohata, & certum pignus vitę æternę, pro quo afferunt multa loca Scripturæ. Secundò: quia electio ad gratiam est simul virtualis, & incohata electio ad gloriam, ideoque prædestinati dicuntur ad eam electi ad regnandum cum Christo. Tertio: quia gratia est semen vitę æternę. Quartò: quia hoc indicant illa verba Pauli ad *Ephes.* 1: *Vt essemus Sancti*; cum per solam gratiam homo sit Sanctus. Et cōsequentèr ad hoc dicunt Authores huius solutionis, quod si Scriptura loquitur de electione ad gloriam, intelligenda est de gloria in semine, radicalitèr, & principiativè, quæ est gratia; non verò de gloria secundum se, & formalitèr, prout est possessio obiecti beatifici, seu intima vnio animę cum Deo per visionem, & fruitionem beatificam.

48 *Impugn. 1.*

Hęc tamen solutio impugnatur primò: Scriptura loquitur de electione, per quam Deus discernit Apostolos à Iuda, & vniversalitèr omnes prędestinatos à reprobis; sed prędestinatus non discernitur à reprobo per electionem ad gratiam, nec per electionem ad gloriam in semine, radicalitèr, & principiativè; cum Iudas, & plures reprobi electi fuerint ad gratiam, & gloriam in semine, radicalitèr, & principiativè, cum gloria sic accepta nihil aliud sit, quam ipsa gratia, vt Authores huius solutionis fatentur: ergo Scriptura non loquitur de electione ad gratiam, nec de electione ad gloriam in semine, radicalitèr, & principiativè: ergo ruit solutio.

49 *Impugn. 2.*

Impugnatur secundò: quia Authores huius solutionis contradicunt fundamento principali suę opinionis: ergo implicatoria est eorum solutio cum ipsorum fundamento. Probatur antecedens: fundamentum principale horum Authorum est hoc: *Gloria in tempore confertur ex meritis: ergo sic est ab æterno intenta*; atqui huic fundamento contradicit solutio prędicta: ergo. Probatur minor: iuxtà solutionem prędictam electio ad gratiam non est ab æterno intenta ex nostris actibus pręcedentibus, nec vt dispositionibus, nec vt meritis de congruo; sed gratia in tempore confertur ex nostris actibus pręcedentibus, vt dispositionibus, & in aliquorum sententia, vt meritis de congruo: ergo solutio prędicta contradicit fundamento prędicto. Minor, & consequentia tenent. Maior verò est illorum Authorum concedentium: electionem ad gratiam esse omninò gratuitam; quod non haberet iuxtà ipsos, si ab æterno esset intenta ex nostris actibus pręcedentibus, vt dispositionibus, vel vt meritis de congruo. Per hęc itaquè sine alterius necessitate impugnata manet solutio prędicta.

50

Nec illis fabent illa Apostoli verba: *Vt essemus Sancti.* Primo: quia Glossa Angelica explicans illa verba, addit: *in æterna beatitudine*: ergo sentit loqui de electione ad gloriam. Secundo: quia vt ait Ill. Godoy *num.* 10. Bazquez, qui dicta interpretatione vtitur, fatetur *disp.* 89. *cap.* 6. *num.* 44. Augustinum verba Pauli exposuisse de electione ad gloriam *lib.* 1. *ad simplicianum, quæst.* 2: ergo saltim Vasquio illa Apostoli verba non fabent. Tertiò: quia si Paulus intelligendus esset de electione ad gratiam, insurgunt replicę positę *num.* 48. & 49. & infrà dicenda resurgent: non ergo intelligendus est Paulus de electione ad gratiā.

Prop-

51 *Reſpondent alij 5.*

Propter hęc alij, ſolutione prędicta non contenti, reſpondent quinto: Scripturam loqui non de gratia efficaci quomodocumque, quia electio ad hanc gratiam communis eſt prędeſtinatis, & reprobis; ſed loqui de gratia efficaci finali, ſeu vt perſeverante finaliter. Illa namque gratia non eſt communis reprobis, & prędeſtinatis, ſed iſtorum propria, quia illos efficit Sanctos, non quomodocumque, ſed ſanctitate finali, per quam prędeſtinati diſcernuntur à reprobis. Hac ſolutione vtuntur etiam Patres Societatis, quibus ſe Pontius noſter citatus adiunxit.

52 *Reijcitur 1 ſolutio.*

Cœterum hęc ſolutio reijcitur primò: iuxtà han ſolutionem electio efficax ad gratiam finalē eſt ante merita prævisa: ergo etiam electio efficax ad gloriam eſt ante prævisa merita. *Conſequentia prob. 1.* Probatur conſequentia primò: electio efficax ad gratiam finalem, & efficax electio ad gloriam ita indiviſibiliter ſunt invicem connexa, vt pro eodem reputentur, cum impoſsibile ſit, aliquem eſſe electum ad gratiam finalem, & non ſalvari iuxtà illud *Matthæi cap. 24: Qui perſeveraverit vſquè in finem, hic ſalvus erit*: Ergo ſi electio efficax ad gratiam finalem eſt ante merita prævisa, etiam electio efficax ad gloriam eſt ante prævisa merita. *Secundò.* Probatur ſecundò prædicta conſequentia: non eſt minor difficultas in prædiffinienda gratia finali ſine detrimento libertatis, quam in prædiffinienda gloria, quia ſicut gloria non comparatur ſine cooperatione liberi arbitrij nec ſine meritis de condigno; ita gratia finalis non comparatur ſine aliqua cooperatione liberi arbitrij, nec ſine aliquo merito de condigno, vel ſaltim de congruo: ergo idem, quod anteà. *Tertiò.* Tertio probatur ſuprà poſsita conſequentia, & ſimul probatur antecedens ſecundæ probationis: habita perſeverantia finali, neceſſariò ſequitur gloria: ergo non eſt minor difficultas in prædiffinienda gratia finali ſine detrimento libertatis, quam in prædiffinienda gloria: ergo electio efficax ad gloriam eſt ante prævisa merita.

53 *Reijcitur 2.*

Reijcitur ſecundò allata ſolutio ad hominem contra Authores illius: hæc ſolutio cōtradicit principali fundamento opinionis illorum: ergo implicatoria eſt eorum ſolutio cum ipſorum fundamento: ergo ruit. Probatur antecedens: principale fundamentum horum A.A. eſt hoc: *Gloria in tempore confertur ex meritis: ergo ſic eſt ab æterno intenta*; ſed huic fundamento contradicit ſolutio prædicta: ergo. Probatur minor: iuxtà hanc ſolutionem electio efficax ad gratiam finalem, ſeu finalem perſeverantiam, eſt ante prævisa merita; ſed perſeverantia finalis confertur in tempore ex meritis: ergo ſolutio prædicta contradicit fundamento prædicto. Declaratur hoc: licèt gratia finalis, ſeu finalis perſeverantia, in tempore conferatur ex meritis, electio efficax ad talem gratiam eſt per vos ante prævisa merita: ergo licèt gloria in tempore cōferatur ex meritis, electio efficax ad gloriam erit ante merita prævisa. Atqui hoc deſtruit fundamentum principale Authorum, qui hac ſolutione vtuntur: ergo ſolutio illorum principali ipſorū fundamento contradicit.

54 *Si dicant.*

Si fortè dicant: perſeverantiam initiativè ſumptam pro primo auxilio continuando vſquè ad mortem, non dari in executione dependentèr à meritis; benè tamen acceptam cōpletivè; & ſolum priori modo electionem ad finalem perſeverantiam præcedere merita; non verò poſteriori modo. Si hoc itaquè dicant; optimè impugnat Ill. Godoy *num. 24*: *Impugnat.* nam electio diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis, quam Scriptura vocat electionem ſecundum propoſitū, præcedit fidem, & conſequentèr omnia alia merita; ſed electio iſta diſcretiva non eſt prout præciſsè terminatur ad perſeverantiā initiativè ſumptam, ſed quatenus terminatur ad illam completivè captam: ergo iuxtà Scripturam electio ad gratiam, vt perſeverantem finaliter completivè, & terminativè, meritorum prævisionem præcedit. Probatur minor: electio diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis, prout præciſsè terminata ad perſeverantiam initiativè ſumptam, eſt auxilium illud, à quo incipit perſeverantia; ſed in hoc auxilio multotiès reprobi cū prædeſtinatis conveniunt: ergo electio diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis non eſt diſcretiva, prout præciſsè terminatur ad perſeverantiam initiativè ſumptam, ſed quatenus terminatur ad illam completivè captam.

55 *Respond.6. Faber.*

Ob hoc Faber noster *disp.58.in 1. cap.10. num.152.* convictus efficatia impugnationis ad hominem, quam posuimus *num.53.* respondet sexto, dicendo: quod Scriptura loquitur, non de gratia finali, sed de prima gratia. Prima autem gratia, & plusquam sufficiens, non est gloria, licèt ad eam sequatur gloria, quia non sequitur ad eā infallibilitèr ex ipsa sola gratia, sed ex cōsensu quoque omninò liberò liberi arbitrij; vndè licèt ex consequenti electio ad gratiam, sit electio quoque ad gloriam, non tamen electio eadem ratione, & eodem modo cadit super gratiam, & gloriam, quia super gratiam cadit absolutè, & immediatè, super gloriam autē cadit propter gratiam, & merita per ipsam facta. Addit deindè *num.153:* quod prima gratia non cadit sub meritò, sed aliæ gratiæ ex illa manentes, vt perseverantia, & alia dona, quæ dicunt gratiæ ex gratia, ideò non sequitur, quod sit eadem ratio de prædestinatione ad gratiam, & gloriam; nec sequitur, quod si prædestinatio ad gloriam sit ex meritis, quod etiam prædestinatio ad gratiam primam sit ex meritis.

56 *Impugnat. solut.*

Hanc Fabri responsionem mirificè impugnat Mastrius *citat. num.69.* & est doctrina, quam nos tradidimus *num.48* nam si authoritates Scripturę exponantur de electione ad gratiam, & non ad gloriam, debent intelligi de electione ad talem gratiam, quæ distinguat prædestinatos à reprobis, & sit propria prædestinatorum, qui in Scriptura significari solent nomine *electorum*, sicut *Matth.24. Vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Et Ecclesia in quadam collecta: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus.* Ex quo colligitur in Scriptura *electum* simplicitèr non vocari, nisi qui ad Æternam fœlicitatem electus est, atque ideò eius electio ad gratiam semper annexam habet prædestinationem; sed prima gratia etiam efficax, & plusquam sufficiens, solum pro aliquo tempore data, & non pro fine vitę, non est propria prędestinatorum, quia non habet infallibilitèr annexam electionem ad gloriam, cum detur multis reprobis: ergo cum illę authoritates loquantur de electione ad gratiam, vt ipsi exponunt, quæ est propria prædestinatorū, non bene explicantur de prima gratia etiam efficaci, sed explicari debent de gratia finalis perseverantię, quę etiam cadit sub merito. Hanc impugnationē approbat Amicus *sect.4. citat. num.107* etsi eiusdem cum Fabro sit opinionis.

57 *Respond.7. Amicus.*

Deniquè respondet singularitèr Amicus *citat. num.113.* Scripturam loqui de electione ad gloriam, non per modum causę, & à priori, sed per modum signi, & à posteriori, quo pacto dicere solemus, omnes præsciti damnantur, non quia præscientia sit causa damnationis, sed signum tantum, & causa infallibilis cognoscendi. Vndè explicans locum ex *Actor.13.* traditum à nobis *num.37. Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam*, sic esse intelligendum: ita, vt præordinatio in vitam æternam fuerit signum, & causa tantum cognoscendi futura merita illorum præordinatorum.

Impugnat. solutio.

Hæc solutio brevitèr impugnatur: præordinatio infallibilis ad gloriam in textu prædicto est causa in essendo, & à priori electionis ad fidem, & non per modum signi, & à posteriori: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: electio ad fidem nequit esse causa in essendo, & à priori præordinationis infallibilis ad gloriam: ergo præordinatio infallibilis ad gloriam est causa in essendo, & à priori electionis ad fidem, & non per modum signi, & à posteriori. Probatur antecedens: electio ad fidem non semper habet connexionem infallibilem cum gloria: ergo electio ad fidem nequit esse causa in essendo, & à priori prędordinationis infallibilis ad gloriam.

58 *Instabis.*

Impugnatis iam solutionibus, quas ad loca Sacra tribuunt omnes adversarij, restat nunc satisfacere cuidam instantiæ, quam in nos faciunt, & illā deducunt ex verbis Pauli *ad Roman. cap.9.* quæ pro nobis adduximus *num.38.* formatur itaque instantia: Ex verbis Apostoli *citat.* non valet inferre: Deum prædestinasse Iacob ante merita prævisa: ergo ex loco prædicto inferre non valet nostram conclusionem. Probatur antecedens: si ex verbis Apostoli *citat.* valeret inferre: Deum prædestinasse Iacob ante merita prævisa; etiam valeret inferre: Deum reprobasse Esau positivè ante prævisa demerita; sed hoc sapit Calvinismum: ergo ex verbis *citat.* Apostoli non valet inferre: Deum prædestinasse Iacob ante merita pręvisa. Probatur maior:

nam Paulus çquè,& eodem modo loquitur de Esau, sicut de Iacob, vt claret ex textu:ergo,&c.

59 *Retorqueo instãtiam.*

Hæc tamen instantia manifestè etiam in adversarios retorquetur : hi namquè dicunt : Paulum ibi loqui non de electione ad gloriam , sed de electione ad gratiam , qua supposita expositione,sic contra ipsos formatur instantia:ex verbis Pauli *citat.*non valet inferre : Deum elegisse Iacob ad gratiam ante merita prævisa : ergo mala est eorum expositio. Probatur antecedens:si ex verbis Pauli *citat.*valeret inferre : Deum elegisse Iacob ad gratiam ante merita prævisa ; etiam valeret inferre: Deum denegasse Esau omnem gratiam, etiam sufficientem, consequentèrque eum positivè reprobasse ante prævisa demerita,quod ipsi negant , quia Calvinismum sapit: ergo ex verbis Pauli non valet inferre: Deum elegisse Iacob ad gratiam ante prævisa merita.

60 *Respondet. ad instantiam.*

Vndè ad prædictam instantiam communitèr respondetur : Paulum non loqui de reprobatione positiva, vt intelligunt Calvinistæ ; sed de reprobatione negativa, seu non electione, vt omnes communitèr intelligũt; quia ly *odium* in verbis Pauli sumitur negativè , quod etiam dicunt ipsi adversarij , illud sumendo pro non dilectione , seu pro minori dilectione, ita,vt sensus sit: quod Deus non dilexit Esau,quantum Iacob,quia huic dedit non solum gratiam sufficientem, sed etiam efficacem; illi verò gratiam sufficientem dumtaxat.

61 *Firmatur solutio.*

Et quidem consuetum esse in Scriptura,plerumque odium accipi negativè pro non dilectione , habemus pluribus locis,sic enim intelligunt Expositores illud *Lucæ* 14. *Si quis venit ad me,& non odit Patrem suum.* Et *Luc.*16. ac *Matth.*6.*Nemo potest duobus dominis servire, aut vnum enim odio habebit, & alterum diliget.* Et *Iob* 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo,*vbi odium sumunt negativè, vel pro non dilectione, vel pro minori dilectione, vt sensus sit : qui non minus amat Patrem suum , quam me , & qui minus amat animam suam,quam me;quare in proposito nostro sensus catholicus erit: *Iacob dilexi , Esau autem odio habui*, id est: Esau non dilexi,aut non ita dilexi, vt Iacob, seu minus dilexi , quam Iacob , nam Iacob efficacitèr ad gloriã præordinavi , Esau autem inefficacitèr tantum , illi auxilia efficatia dedi ad hunc finem , isti verò sufficientia tantum. Sed hic locus adhuc plenius explicatus à nobis manet *tom.* 2. *in* 1. *Sentent.disput.*69. *§.*7. vbi veram illius intelligentiam declaravimus ; pro nunc autem dicta sufficiant pro illius explicatione.

§. VI.

Ex Div. Augustino probatur conclusio.

62

PRæter Scripturæ testimonia,plures sunt Patres,& Conciliorum authoritates, quibus vtuntur Authores, qui nobis opponuntur in secunda conclusione; sed potiùs fabent nostræ primæ conclusioni, quam conclusioni ipsorum,vt patet ex dictis *tom.*2. *in* 1.*Sentent.disput.*65. vbi conclusionem nostram probavimus ex Prospero *numer.*30.ex Fulgentio *num.*31.*&* 32. & ex Concilio Valentino *numer.* 33.*&* quod ad hoc contrarij respondent, impugnatum manet *num.*35. Et licèt *num.*29.probationem ex D.Augustino adduxerimus , responsiones adversariorum non declaravimus ; ideòque hic sunt assignanda , vt firmior maneat allata conclusio.

63 *Probatur conclus.ex August.*

Probatur ergo conclusio authoritate Augustin. *lib. de Correptione , & Gratia , cap.* 7. vbi explicans illa verba Ioannis *cap.* 6. *Non ne ego vos duodecim elegi,& vnus ex vobis Diabolus est ?* Sic ait : *Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium; illos ergo elegit ad obtinendum Regnum suum, istum ad effundendum sanguinem suum;* vbi Augustin.loqui de electione efficaci, constat ex eo , quod loquitur de electione non communi Iudæ, & cæteris Apostolis;inefficax autem electio communis est omnibus. Quod autem non de electione ad gratiam , sed ad gloriam loquatur,constat ex illis verbis : *Ad obtinendum Regnum suum* ; at Augustinus docet , hanc electionem esse ex misericordia:ergo non ex prævisis meritis gratiæ , sed merita prævisa præcedit;aliàs non ex misericordia , sed ex Iudicio , & Iustitia foret electio.

64 *Respond.*1.

Ad hanc,& alias D.Augustin. authoritates respondent primò:Augustin.loqui de electione ad gratiam;non verò de electione ad gloriam , quam solutionem, & rationem pro illa des-

sumptam ex Vasquio *disput. citat. cap.* 4. & 8. adhibuit Amicus *disput. citat. sect.* 4. *num.* 117. quia vbicumque Augustin. egit de electione prædestinatorum, vel de electione secundum propositum, nunquam illam expræsè appellat electionem ad gloriam, & sæpè illam expræsè vocat electionem ad gratiam: ergo signum est, quod quando illam absolutè vocat electionem, non intelligit de electione ad gloriã, sed de electione ad gratiam. Hæc tamen solutio impugnata manet *numer.* 48. & ad hominem contra ipsos *num.* 49. Vltrà quod reijcienda est ex Prospero, qui mentem Augustini declarat, declarando controversiam inter ipsum, & Semipelagianos, vt ratio pro solutione tradita evanescat.

65 Prosper itaque *Epist. ad Augustin. in initio illius*, scribendi causam ostendens, sic loquitur: *Multi ergo servorum Christi, qui in Masiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos Hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Subdit deindè, quod tunc temporis valdè opportunè liber de Correptione, & Gratia in lucem prodijt, cuius lectura, licèt suæ Apostolicæ doctrinæ sectatores facti sint firmiores, alij tamen facti sunt aversiores, & in propria sententia obstinatiores, quam his refert verbis: *Hæc enim ipsorum diffinitio, ac professio est, vt quicumque ad fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint; qui autem credituri sunt, quivè in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excesuros esse præviderit.*

66 *Controversia inter August. & Semipelag. declaratur.* In quibus verbis manifestè opinio Masilienſium declaratur. Isti namquè duo asserebant. Primum erat: quod prima gratia nobis datur propter aliquod meritum nostri operis liberè facti, solis naturæ viribus eliciti, quod dicebant, esse initium meritorum primæ gratiæ, & consequentèr, quod electio ad Regnum, idest, ad gloriam, facta esset post præscientiam meritorum ex operibus naturæ eliciendorũ. In quo Masilienses cum Semipelagianis conveniebant, ideòque hic fuit error ipsorum. Secundum erat: quod Masilienses non negabant necessitatẽ gratiæ ad gloriam merendam, & consequendam, vt negavit Pelagius, atque ita asserebant: electionem ad Regnũ, idest, ad gloriã, factam esse post præscientiam etiam meritorum auxilio gratiæ eliciendorum, vsquè ad finem vitæ, in quo à Semipelagianis secernebantur, neque in hoc Masilienses in fide erraverunt, quia in libera adhuc disputantium opinione relictum est.

67 *Impugn. 1. solutio ex Prospero.* Ex his itaquè infero contra solutionem allatam: ergo ex verbis Prosperi Masilienses in hac sua opinione, non solum loquebantur de electione ad primam gratiam, quam dixerunt fieri ex præscientia meritorũ ex operibus naturæ; sed etiam de prædestinatione ad Regnum, idest, de electione ad gloriam: ergo Augustin. non solum loquitur de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam: ergo ruit allata solutio. Probatur prima consequentia: nam ex verbis Prosperi Masilienses ad gloriam prædestinari dicebant: *Quos gratia vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excesuros esse præviderit*: ergo non solum loquitur D. Augustin. de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam.

68 Deindè immediatè infrà explicans, quo sensu Masilienses intellexerint, quod Augustin. scripserat de vocatione electorum secundum Dei propositum; tùm in libro de *Correptione, & Gratia*; tùm in alijs libris contra Pelagium, & quid eis displicuerit in eius scriptis, ait, in eo offensos esse, quod asseruisset, prædestinationem importare: *Hoc propositum vocationis, quo ante mundi initium eligendorum, & reijciendorum sit facta discretio, vt secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere.* Vndè tandem inferebant: *Removeri omnem industriam, tollique virtutes; si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam inducit necessitatem.*

69 *Impugn. 2. solutio ex ipso.* Ex quibus verbis impugnatur secundò solutio: ergo iuxta Prosperum Masilienses ita August. intellexerunt, vt electi, & reiecti essent discreti secundum creatoris beneplacitum, hu-

manas præveniens voluntates. Atqui propositum vocationis intellexerunt beneplacitum Dei, quo Deus quibusdam voluerit (cæteris reiectis) dare gloriam,& non tantum gratiam:ergo iuxta Prosperum Auguit. non solum loquebatur de electione ad gratiam, sed etiam ad gloriam. Probatur primò sussumpta : propositum , quo alij eliguntur in vasa honoris , & alij in vasa contumeliæ , discernit prædestinatos à reprobis,& salvandos à damnandis;sed hos non differnit propositum vocationis etiam efficacis,vt claret,& immediatè dicemus: ergo propositum vocationis intellexerunt beneplacitum Dei , quo Deus quibusdam voluerit dare gloriam , & non tantum gratiam. Secundò : quia per propositum gratiæ nemo potest dici vas honoris , cum multotiès reprobi sint electi secundum propositum gratiæ efficacis,& vasa honoris non sint: ergo.Tertio:quia de eo beneplacito, & proposito Massilienses locuntur , à quo electus non potest excidere ; sed solus electus ad gloriam excidere nequit ; electi namquè ad gratiam sæpè excidunt: ergo idem,quod anteà.

Sussumpta probat. 1.

Secundò.

Tertiò.

70 *Quar ex Hilario.*

Probatur quartò sussumpta ex Epistol.etiam Hilarij:nam Hilarius *in sua Epist. post medium*, significans Augustino electionem salvandorum , ab ipso edoctam , quam Galli non recipiebant,ait: *Illud paritèr non accipiunt, vt eligendorum , reijciendorumque esse diffinitum numerum velint , atque illius sententiæ expositionem,non eam; quæ à te est deprompta, suscipiant, ideſt, non nisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantum , qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino,vt nullus habeatur excluſus* , hoc autem secundū Augustinum est absolutum,& efficax decretum gloriæ factum circa quosdam,non circa alios: ergo ex relatione Prosperi,& Hilarij,Augustini controversia cum Massilienſibus de electione prædestinatorum , non tantum fuit de electione efficaci ad gratiam, sed etiam ad gloriam.

71 *Impugn. 3. solutio ex Prospero.*

Impugnatur tertiò solutio ex eodē Prospero, qui in sua Epistola propè finem humilitèr postulat ab Augustino solutionem trium præsertim difficultatum , in quibus Massilienses Augustino minimè consentiebant. Prima est : An Deus salvandos priùs præsciat,quam proponat,ac decernat eos salvare , quam difficultatem illi proponit sub his verbis : *Vtrùm præscientia Dei,ita secundum propositum maneat,vt ea ipsa,quæ sunt proposita, sint accipienda præscita,an per genera causarum , & species personarum ista varientur,vt quia diversæ sunt vocationes, in his,qui nihil operaturi salvantur (nempè in parvulis) quasi solum Dei propositum videatur existere , in his autem, qui aliquid boni acturi sunt (nempè in adultis) per præscientiam posit stare propositum*, ideſt, an propositum salvandi parvulos non sit secundum præscientiam meritorum,sed ex solo salvantis arbitrio , adulti verò salventur per propositum post operum præscientiā factum;*an verò vniformitèr* (tàm scilicèt,isti,quàm illi) *licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non posit* , ideſt , ordine durationis, *præscientia tamen quodam ordine rationis sit subnixa proposito*,ideſt,an vniversalitèr Deus ideò præsciat,quia proposuit, & non è contra , ideò proponat , quia præscivit:ergo iuxta Prosperum Augustin. loquebatur non solum de electione ad gratiam,sed de electione ad gloriam.

Secunda difficultas erat:*Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei,quo fideles fiunt,qui præordinati sunt ad vitam æternam , nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent* : ergo ex Prospero constat : ante propositum dandi fidem,& merita per gratiam dari iuxta Augustin. præordinationem ad vitam æternam,quę est prędordinatio,& propositum dandi gloriam: ergo ruit solutio prædicta. 72

Tertia difficultas,quæ rem magis declarat , & cuius solutionem petit Prosper, est: *Illud etiam qualitèr diluatur , quod retractis priorum de hac re opinionibus penè omnium par invenitur, & vna sententia, qua propositum , & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt,vt ob hoc Deus alios vasa honoris , alios cotumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præviderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate,& actione præscierit*;itaquè ait Prosper , Massilienses contra Augustin. hanc causalem docuisse : *Ob hoc Deus alia vasa honoris , alia contumeliæ fecit , quia finem vniuscuiusque præscivit* : ergo opposita causalis erat 73

Augustini: *Ob hoc Deus finem vniuscuiusque præscivit, quia alios vasa honoris, alios contumeliæ fecit.* Atqui hæc verba explicari nequeunt de proposito dandi gratiam primam, sed de proposito dandi gloriam: ergo loquitur Augustin. de electione dandi gloriam.

74 *Suffumpta probat.* 1. Probatur primò suffumpta: dubium propositum à Prospero est de proposito facto ex eo, quod Deus finem vniuscuiusque prævideret; sed post hanc prævisionem sequitur apud eos propositum dandi gloriam, non verò gratiam: ergo prædicta verba explicari nequeunt de proposito dandi gratiam primam, sed de proposito dandi gloriam. *Secundò.* Secundò: quia in dubio prædicto sermo est de proposito, quo Deus alios fecit vasa honoris, & alios contumeliæ; sed per hæc vasa intelliguntur ordinati, & non ordinati ad gloriam: ergo idem, quod anteà. *Tertiò.* Tertiò: nam de proposito dandi primam gratiam frustra, & irrationabiliter quæreretur: an poni debeat in Deo, quia finem bonum alicuius prævideret, vel è contra: ergo idem, quod priùs. Probatur antecedens: omninò certum est: Deum proposuisse multis dare primam gratiam, quorum finem bonum non prævidit: ergo de proposito dandi primâ gratiam frustra, & irrationabiliter quæreretur: an poni debeat in Deo, quia finem bonum alicuius prævideret, vel è contra.

75 Ex his itaquè clarè constat: Prosperum distinxisse quæstionem de merito prædestinationis primę gratię à quæstione de meritò prædestinationis gloriæ, & vtriusquè quęstionis ampliorem, & clariorem postulare discussionem ab Augustino, vt obiectionibus Masilienſium occurrere posset, quia isti sentiebant, prædestinationem, tàm gratiæ, quàm gloriæ ante meritorum prævisionem ab Augustin. doceri, tum, *lib. de Corrept. & Grat.* tunc temporis edito; tum etiam, in reliquis editis contra Pelagianos ante libros *de Prædest. Sanctor. & de Bono perseverantiæ.* Et deniqûè vtriq; quæstioni distinctè respondit Augustin. in istis vltimis libris post cæteros scriptis de Prędest. Sanct. & Bono perseverantiæ ad instantiam Prosperi, & Hilarij. Vndè dubitandi locus non remanet, quod germana sententia Augustini fuit, electionem ad gloriam esse ex gratuita voluntate, & non ex meritis prævisis, cum hanc sententiam Masilienses tribuebant Augustino, qui suam esse fatetur *cap.* 1. *lib. de Prædest. Sanct.* & nos declarabimus, vt firmior maneat conclusio, & aduersariorum ægra solutio. Impugnata iam solutione prædicta ex prosperi relatione, nunc venit ex ipso Augustin. reijcienda. Quarè.

Impugnatur quartò allata solutio: nam Augustin. *lib. de Prædest. Sanctor.* totus est in probanda adultorum prędestinatione gratuita, & quod hæc non sit solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam, deducitur clarè ex eo, quod probans gratuitam adultorum prędestinationem exemplo gratuitæ prædestinationis Christi Domini, inquit *cap.* 15: *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus*: ergo loquitur de prędestinatione ad gloriam. Probatur consequentia: Augustin. loquitur de prędestinatione, quæ nos facit membra Christi; sed prædestinatio ad gratiam non facit nos membra Christi: ergo loquitur de prędestinatione ad gloriam. Probatur minor: Iudas fuit prędestinatus ad gratiam; sed hęc prędestinatio non fecit Iudam membrũ Christi; cum filium perditionis illum apellet Christus *Ioann. cap.* 17: ergo prædestinatio ad gratiam non facit nos membra Christi.

76 *Impugn.* 4. *solutio ex Augustin.*

Impugnatur quintò: nam Augustin. *lib. de Prædest. Sanctor. cap.* 17. explicans quid per prædestinationem secundum propositum intelligat, ait in fine capitis: *Ex hoc proposito eius est illa electorum prima vocatio*: ergo vocatio oritur ab illo proposito: ergo propositum antecedit decretum vocandi: ergo propositum, de quo loquitur Augustin. nequit esse electio ad gratiam, & consequentèr ruit solutio. Probatur hęc consequentia: electio ad gratiam incipit à vocatione, quæ est prima gratia; sed ex concessis propositum, de quo loquitur Augustin. antecedit vocationem: ergo antecedit gratiam: ergo propositum de quo loquitur Augustin. nequit esse electio ad gratiam.

77 *Impugn.* 5. *ex ipso.*

Impugnatur sexto: Augustinus enim *lib. de Bono perseverantiæ, cap.* 8. *propè finem*, hęc habet: *Ex duobus itaquè paruulis originali peccato paritèr obstrictis, cur iste assumatur, ille relin-*

78 *Impugn.* 6. *ex eodem.*

qua-

quatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei; ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseverantia vsquè in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei; illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse; nam si fuissent ex nobis ait vnus prædestinatorum, S. Ioann. *Epist. 1. cap. 2. manssissent vtique nobiscum*, & subid Augustinus: *Nonne vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti, vtriuvè ex impijs iustificati, & per lavacrum regenerationis vtrique renovati?* Sed si hoc audiret ille S. Ioann. *respondere posset, & dicere, vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, clamat Scriptura Divina, non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocasti, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniversa operatur, nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.*

79 In his ergo Augustin. reddit causam discretionis duorum piorum, cur vnus salvetur, non verò alter: ergo loquitur de electione ad gloriam. Patet consequentia: nam in electione ad gratiam duo pij non sunt discreti. Item: assignans prædictam causam, ait: quia vnus est ex prædestinatis; non verò alter: ergo loquitur de electione ad gloriam. Patet consequentia: nam vterque erat prædestinatus ad gratiam. Deindè: nam Augustin. duplicem distinguit discretionē. Vnam communem duobus pijs, tàm prædestinato, quam reprobo, de qua ait: *Secundum hæc omnia erant ex nobis*; alteram prædestinatorum propriam, & hanc appellat, *aliquam quandam discretionem*: ergo non solum loquitur de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam. Claret consequentia; alioquin non esset duplex discretio, vna in qua duo pij, vnus prædestinatus, & alter reprobus, convenirent; & altera, quia discreti essent, quod expræssè est contra Augustinum citatum.

Impugnatur septimò: nam Augustin. *lib. de Bono perseverantiæ, cap.* 14. postquam dixit, quod si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt apud Iudæos, credidissent, & in cilicio pœnitentiam egissent, quærens deindè, cur Tyris datum non est, vt viderent signa, & cur Iudæis non datum est, vt crederent visis signis, respondet: *Quia Dei altiore iudicio à perditionis massa, non erant gratiæ prædestinatione discreti, & quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ.* ergo Augustin. ante vocationem, & fidem proponit efficacem electionem ad gloriam. Probatur consequentia: quia si solum loqueretur August. de separatione à massa perditionis per fidem etiam iustificantem, sensus Augustin. esset: ideo Tyris, & Sydonijs non esse datum, vt crederent, & vndè crederunt, quia Deus non decrevit, hoc illis dare, seu non decrevit, illos facere fideles, & iustos; atqui intentū Augustini non erat hoc solum innuere, sed rationem talis decreti dare, scilicèt, quare decrevit eis non dare fidem, & vocationem, vt claret ex ratione ab ipso tradita; inquit enim: *Quia Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt discreti, & quia prædestinati non erant ab eo*; quod nihil aliud est, quam electio ad gloriam: ergo Augustin. ante vocationem, & fidem proponit efficacem electionem ad gloriam.

80 *Impugn. 7. ex eodem.*

Confirmatur: nam iuxtà August. *lib. de Corrept. & Grat. cap. 9.* non dicitur simplicitèr discretus à massa perditionis, qui solum discretus est secundum temporalem iustitiam, hanc quoque Iudas ad tempus habuit, & tamen adhuc dicitur simplicitèr *Filius perditionis* à Christo, Ioann. 17. sicut nequè è contra, dicendus est filius perditionis simplicitèr, qui in æternum non manet in massa damnatorum, etiam si secundum præsentem iustitiam interdum in ea maneat ad tempus; sed talis est simplicitèr filius electionis, & Filius Dei: ergo per hanc discretionem non intelligit eam Augustin. qua fidelis discernitur ab infideli, & iustus ab iniusto, sed qua discernitur prædestinatus à reprobo, & filius perditionis à filio electionis: ergo intelligit electionem ad gloriam,

81 *Confirmat.*

per quam prædestinatus à reprobo discernitur.

82 *Impugnat. deniquè.*

Impugnatur deniquè: nam Augustin. locis omnibus hactenus citatis docet, electos vocari secundum propositum: ergo in eius doctrina propositum præcedit vocationem. Atqui hoc propositum non est aliud, quam ipsa voluntas Dei eligendi ad gloriam: ergo Augustin. non solum loquitur de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam: ergo ruit data adversariorum solutio. Licèt ergo D. Augustin. in his libris *citat.* principalitèr loquatur de prædestinatione ad primam gratiam congruam, quam negabant Pelagiani, & Semipelagiani esse gratuitam, negandum nequit loqui etiam de prædestinatione ad gloriam, quam paritèr negabant gratuitam esse, vt constat ex locis *citat.* & evidentèr ostenditur ex relatione Prosperi distinguentis quęstionem de merito prædestinationis primæ gratiæ à quæstione de merito prædestinationis gloriæ, vt dictum manet *num.* 75.

83 *Occurritur cuidam obiectione.*

Nec vim aliquam facit, quod dicebat Amicus, scilicèt, quod vbicumque Augustin. agit de electione prædestinatorum, vel de electione secundum propositum, nunquam illam expræsè appellat electionem ad gloriã, sed electionem ad gratiam; Dico: eam expræsè appellare electionem ad regnum, vel vitam æternam, quod idem est cum gloria, vt constat ex locis *suprà* citatis, & mox citandis, neque eam appellat electionem ad gratiam, sed electionẽ gratiæ, vt patet ex *lib. de Correpț. & Grat. cap. 7: Multi sunt vocati, pauci verò electi, sed quoniam secundũ propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum*, vbi per electionem gratiæ intelligit gratuitã electionem; non verò electionem ad gratiam, quatenus contra electionem ad gloriam distinguitur; nam *infrà* explicans ad quid electi sint illi vocati secundum propositum, ait: *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, & ad obtinendum regnum suum*, vt inferiùs magis expendemus. Deniquè: quia licèt Augustin. vsus non sit hoc nomine *ad gloriam*, vsus est alijs nominibus synonomis, scilicèt, *ad regnum, ad vitam æternam, ad beatam vitam*, & certè ridiculum est, quæstionem facere de nomine *gloriæ*, quando de re constat.

84 *Respond. 1.*

His Augustini testimonijs adversarij convicti, dicunt: Doctorem loqui, non solum de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam, cæterum, non per exclusionem meritorum præcedentium a gratia, seu in gratia fundatis; sed per exclusionem meritorum naturalium, seu solis naturæ viribus procedentium. Quam solutionẽ fundant in eo, quod mens Augustin. erat Pelagianos, & Semipelagianos expungere, quorum error consistebat in hoc, quod aiebant: electionem ad gloriam esse ex meritis à solis naturæ viribus procedentibus. Et hoc idem confirmant ex eo, quod inter Augustin. & Pelagianos nunquam fuit quæstio: An gloria detur nobis ex merito gratiæ, sed solum, an detur ex meritis in solo libero arbitrio fundatis. Deniquè: ipse Augustin. fatetur *lib. de Gratia, & Libero arbitrio, cap.* 6: quod si Pelagiani dicerent: gloriam dari ex meritis in gratia fundatis, posset ista sententia illis concedi. Loquitur ergo August. de electione ad gloriam, non per exclusionem meritorum procedentium à gratia, seu in gratia fundatis, sed per exclusionem meritorum naturalium, seu solis naturæ viribus procedentiũ.

85

Fateor ingenuè hanc adversariorum responsionem in verissima doctrina fundari, quia verissimum est, quod Augustinus principalitèr loquitur de electione ad gloriam, non per exclusionem meritorum procedentium à gratia, seu in gratia fundatis, sed per exclusionem meritorum naturalium, seu solis naturę viribus procedentium, vtpotè, principale intentum illius erat, Pelagianos, & Semipelagianos ab eorum errore convincere; cæterum licèt doctrina, in qua solutio fundatur, sit verissima; falsissima tamen est solutio, cuius falsitas declarabitur, ostendendo ex Prosperi relatione; Augustin. non solum loqui de electione ad gloriam per exclusionem meritorum naturalium, seu solis naturæ viribus procedentium; verum etiam loqui de electione ad gloriam per exclusionem meritorum procedentium à gratia, seu in gratia fundatis. Vndè.

86 *Impugn. 1. solutio.*

Impugnatur primò hæc solutio: nam, vt dictum manet, secunda diffi-

cul-

cultas ex tribus à Proſpero Auguſtino propoſitis erat : *Quemadmodum per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi ſunt, impediatur, nec occaſionem negligentiæ habeant, ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent* : ergo ex relatione Proſperi conſtat, ſecundum Auguſtin. ante propoſitum dandi fidem, & merita per gratiam, dari præordinationem ad vitam æternam, quæ eſt præordinatio, & propoſitum dandi gloriam: ergo loquitur Auguſtin. de electione ad gloriam ante meritorum gratiæ præviſionem : ergo loquitur de electione ad gloriam per excluſionem meritorum procedentium à gratia, ſeu in gratia fundatis : nulla ergo eſt adverſariorum ſolutio.

87 *Impugn. 2.* Impugnatur ſecundò: quia etiam, vt dictum eſt, tertia difficultas, cuius ſolutionem Proſper ab Auguſt. poſtulabat, eſt hæc : *Illud etiam qualitèr diluatiſatur, quod retractu priorũ de hac re opinionibus penè omnium par inuenitur, & vna ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alia vaſſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, inqua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit.* Itaquè ait Proſper Maſilienſes contra Auguſtin. hanc cauſalem docuiſſe: *Ob hoc Deus alia vaſſa honoris, alia contumeliæ fecit, quia finem vniuſcuiuſque præſcivit* : ergo oppoſita cauſalis erat Auguſtini: *Ob hoc Deus finem vniuſcuiuſque præſcivit, quia alios vaſſa honoris, alios contumeliæ fecit.* Atqui hæc verba explicari nequeunt de propoſito dandi gloriam per excluſionem meritorum naturalium, ſeu ſolis naturæ viribus procedentium : ergo loquitur Auguſtin. de propoſito dandi gloriam per excluſionem meritorum procedentium à gratia, ſeu in gratia fundatis.

88 *Suſſumpta probat. 1.* Probatur primò ſuſſumpta: ſi verba prædicta explicari poſſint de propoſito dandi gloriam per excluſionẽ meritorum naturalium, ſeu ſolis naturæ viribus procedentium, dubium proponeret Proſper de meritis *ſub ipſo naturæ adiutorio*; ſed hoc non facit, quinimò illud proponit de meritis *ſub ipſo gratiæ adiutorio*: ergo prædicta verba explicari nequeunt de propoſito dandi gloriam per excluſionem meritorum naturalium, ſeu ſolis naturæ viribus procedentium. *Secundò.* Probatur ſecundò: nam Maſilienſes ad propoſitum dandi gloriam, vltrà præſcientiam meritorum naturalium, ſeu ſolis naturæ viribus procedentium, requirebant etiam præſcientiam meritorum in gratia fundatorum, in quo à Pelagio diſſentiebant ex dictis *num.* 66; atqui oppoſitum Maſilienſibus aſſerebat Auguſtin. vt ex Proſperi relatione claret : ergo idem, quod anteà. *Tertiò.* Tertiò: quia Auguſtinus non ſolum arguebat contra Pelagianos, negantes : electionem ad gloriam eſſe ante præviſionem meritorum naturalium ; ſed etiam contra Semipelagianos illos, Maſilienſes, ſcilicèt, qui vltra hoc, etiam negabant : electionẽ ad gloriam eſſe ante præviſionem meritorum procedentium à gratia, vt ex verbis Proſperi liquet : ergo prædicta verba explicari nequeunt de propoſito dandi gloriam per ſolam excluſionem meritorum naturalium, ſeu ſolis naturæ viribus procedentiũ Hæc ex Proſpero ſufficiant, & ad Auguſtinum perveniamus. Ex quo.

89 *Impugn. 1. vtraque ſolutio.* Impugnatur primò vtraque adverſariorum ſolutio : nam Auguſtin, *lib. de Prædeſt. Sanct.* poſtquam *cap.* 12. & 15. excluſiſſet merita naturæ à prædeſtinatione, *à cap.* 16. incipit etiam excludere merita gratię, dicens: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias.* Subindè verſus finem capitis electionem, de qua loquitur, appellat *ſecundum gratiam, non ſecundum debitũ*; & tandem declarat, ſe loqui etiam *ibi* de electione ad gloriam ; nam docet *ibi* ex Paulo ad *Rom.* 11 : quod ex hac electione proveniunt *dona, & vocatio Dei*: loquitur ergo de electione antecedente ipſam etiam electionem ad gratiam, ex qua hæc ipſa procedat, quæ nequit eſſe niſi electio ad gloriã. Item : declarat, ſe loqui de tali electione, ex vi cuius nemo ſic electus perijt: *Iſtorum autem nemo perijt, quia omne, quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quemquam*, hæc autem eſt electio ad gloriam, nam ex electis ſolum ad gratiam congruam, & efficacem plures pereunt.

90 Deniquè : in fine capitis declarat,

ſe

se loqui de illa electione, de qua dictum est: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Vbi duplex insinuatur electio, seu discretio. Altera tendens ad auxilia gratiæ ad iustificationem, & ad merita, & hæc communis est reprobis, & prædestinatis; nam Iudas talem habuit electionem, & tamen exit ab eis. Altera verò est prædestinatorum propria, quę non solum est causa vocationis, iustificationis, & meritorum, sed etiam perseverantiæ vsque infinem, & ideò antecedit hæc omnia, & absolutam eorum prævisionem, tenditque ad obiectum hæc omnia antecedens, quod aliud esse nequit, nisi gloria, ad quam, tanquam ad finem ipsa etiam finalis perseverantia tendit, & ab ea provenit, vt effectus in genere causę finalis; vndè inquit: *Si fuissent ex nobis*, nempè, ad gloriam prædestinatis, *mansissent vtique nobiscum*, hoc est, perseverassent: loquitur ergo manifestè Augustin. in eo capite de prędestinatione ad gloriam, eamque appellat *gratuitam, & non secundum debitum*, idest, non ex prævisis meritis, non tantum ex illis, solius naturæ viribus elicitis, quę satis excluserat in superioribus capitibus, sed ex meritis in gratia fundatis, & à gratia provenientibus. Loquitur igitur Augustin. de electione, non solum ad gratiam, quę est prima contrariorum solutio; sed etiam de electione ad gloriam, non solum per exclusionem meritorum naturalium, seu solis naturę viribus elicitis, quę est secunda illorū responsio, sed etiam per exclusionem meritorum procedentium à gratia.

91 *Impugn. 2. vtraq; solutio.*

Impugnatur secundò vtraque solutio: quia Augustin. hanc profequens doctrinam *lib. citat.* explicans illa verba *Ioann. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, sic ait *cap. 17. Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit, electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus, quod prædestinavit, implevit, quos enim prædestinavit, & vocavit illa, scilicèt, vocatione secundum propositum, non ergo alios, sed quos prædestinavit, vocavit, nec alios, sed quos ita vocavit, iustificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos, & glorificavit, illo vtique fine, qui non habet finē.* Ex quibus verbis satis constat Augustin. sentire: Dominum, cum dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, locutum esse, non tantum de electione ad gratiam, sed etiam ad gloriā, vt claret ex illis verbis: *Quos enim prædestinavit, ipsos, & vocavit, iustificavit, & glorificavit.*

92 *Confirm. 1.*

Deindè Augustin. loqui de electione ad gloriam per exclusionem meritorum procedentium à gratia, constat primò: nam per illa verba: *Electi sunt ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit*, docet: vocationem oriri ex vi talis electionis, essèque medium ad implendum terminum, & finem prędestinationis, qui est gloria, quam ibi appellat *finem, qui non habet finem.* Secundò: quia concludendo, sic ait: *Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes Regni*: ergo sentit Augustinus, hanc causalem esse veram: ideò Deus facit eos divites in fide, & alijs meritis gratiæ, quia illos elegit ad gloriam: ergo sentit, merita gratiæ esse effectus illius electionis in genere causę finalis: ergo sentit Augustin. electionem ad gloriam esse ante prævisionem meritorum etiam à gratia procedentium: ruit ergo vtraque solutio allata. *Secundò.*

93 *Impugn. 3. vtraq; solutio.*

Impugnatur tertiò: Augustin. namquè *lib. citat. cap. 18.* exponendo illum Apostoli locum ad *Ephesios 1.* pro nobis allatum *num. 37.* pręter ibi dicta, nunc ad propositum ponderantur magis Augustin. verba: ait itaque: *Elegit nos, non quia futuri eramus Sancti, sed vt essemus, nempè manifestum est: ideò quipè tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus.* Hæc Augustin. hicque Augustin. loqui de electione ad gloriam, patet primò: nam in fine capitis ait: *Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio*: ergo iuxta Augustin. ex hoc proposito, scilicèt, eos glorificandi, oritur vocatio: ergo loquitur de proposito ad gloriam. Hæc consequentia patet ex dictis *numer. 77.* Secundò: nam si loqueretur de proposito ad gratiam, non benè dixisset electos, (vt ibi cum Apostolo loquitur Augustin.) *omni benedictione spirituali in Cœlestibus*; cum prima, & principalis benedictio spiritualis in Cœlestibus sit electio ad gloriam, quę est dignitas principalis, ad quam ordinari possit creatura rationalis: ergo loquitur de electione ad gloriam. Tertiò: nam benedictio ad gratiam etiam

re-

reprobis communicatur ; ſed ibi Auguſtin loquitur de electione diſcretiva prædeſtinatorum à reprobis : ergo non loquitur de electione ad gratiam.

94 *De meritis in gratia fundatis probat. 1.*

Quod autem Auguſtinus loquatur de electione ad gloriam per excluſionem meritorum à gratia procedentium, conſtat primò ex ipſis Auguſtin. verbis: nam ſi electio prædicta non antecederet merita in gratia fundata, non diceret Auguſtin. *Ideò quipè tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus*, quin potiùs è contra : *Ideò elegit ipſe prædeſtinans, quia Sancti per gratiam eramus* ; ſed primum, & non ſecundum dicit cum Paulo Auguſtin: ergo ideò eſt, quia ſentit : electionem ad gloriam eſſe ante merita prævisa, etiam in gratia fundata. Secundò: nam iuxta hæc Auguſtin. verba: *Ex hoc propoſito eius eſt illa electorum propria vocatio*, electio ad gloriam antecedit decretum vocationis : ergo multo melius antecedit merita futura in gratia fundata, & abſolutam prævisionem eorum. Probatur hæc conſequentia: merita in gratia fundata ſunt effectus decreti poſterioris decreto vocationis: ergo ſi electio ad gloriam antecedit decretum vocationis, multo melius antecedit merita futura in gratia fundata, & abſolutam eorum prævisionem. Loquitur ergo Auguſtin. de electione ad gloriam per excluſionem meritorum à gratia procedentium, per quod vtraque ruit ſolutio. Vltrà hæc autem, quæ deduximus ex Aug. *lib. de Prædeſtin. Sanct.*

Secundò.

95 *Impugn. 4.*

Impugnatur quartò ex his, quæ Auguſtin. tradit *lib. de Bono perſeverantiæ*. In hoc enim *lib.* tradit *cap. 8.* verba à nobis relata *num. 78.* ex quibus ſic argumentū efformo : de duobus pijs, cur vnus ſalvetur & non alter, ſcrutabiliora ſunt iudicia Dei, quam de duobus infantibus, cur vnus aſſumatur, & alter relinquatur ; atqui hoc eſſet falſum, ſi electio pij ad gloriam (de qua loquitur ex dictis *num. 79.*) non eſſet ante prævisionem meritorum procedentium à gratia : ergo loquitur Auguſtin. de electione ad gloriam per excluſionem meritorum à gratia procedentium. Probatur minor: ſi electio pij ad gloriam non eſſet ante prævisionem meritorum procedentium à gratia, ſcrutabiliora eſſent iudicia Dei de duobus infantibus, cur vnus aſſumatur, & alter relinquatur, quam de duobus pijs, cur vnus ſalvetur, & non alter : ergo ſi electio pij ad gloriam non eſſet ante prævisionem meritorū procedentium à gratia, falſum eſſet, quod iudicia Dei de duobus pijs eſſent ſcrutabiliora, quam iudicia Dei de duobus infantibus. Probatur antecedens : ſi electio pij ad gloriam non eſſet ante prævisionem meritorum procedentium à gratia, facillimè poſſet reddi cauſa, cur hic ſalvetur, & non alter, ſcilicèt, quia vnus in fine vitæ inventus eſt cum meritis, & alter cum demeritis; ſed hoc nequit dici de duobus infantibus ; cum nihil boni, aut mali egerunt ; ergo, &c.

96 *Impugn. 5.*

Impugnatur quintò: quia Auguſt. *lib. de Correptione, & gratia, cap. 7.* ex inſtituto docet : tàm vocationem congruam, quàm finalem perſeverantiā, oriri à gratuita electione ad gloriam: ergo loquitur Auguſtin. de electione ad gloriam per excluſionem meritorum à gratia procedentium. Probatur antecedens: nam loquens ibi Auguſt. de cauſa diſcretionis electorum à maſſa perditionis ait: *Diſcernuntur autem non meritis ſuis* ; ſed hæc diſcretio facta eſt ante electionem ad gratiam; quia vt totiès dictum eſt, multis datur gratia, & iuſtificatio, qui tamen prædeſtinati non ſunt, nec à maſſa perditionis diſcreti: ergo talis diſcretio fit per aliquod propoſitum, ſine meritis prævisis à Deo factum. Atqui hoc eſt propoſitum dandi gloriam, ex qua oritur tàm vocatio congrua, quàm finalis perſeverantia : ergo ex Auguſtin tàm vocatio congrua, quā finalis perſeverantia, oriuntur à gratuita electione ad gloriam. Probatur ſuſſumpta ex Auguſtin. verbis ſubſequentibus dicente: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione iſta Divinæ gratiæ largitate ſunt diſcreti, non eſt dubium, quod, & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſquè in finem perſeverant* : ergo propoſitum, per quod fit talis diſcretio, eſt propoſitum dandi gloriam, ex qua oritur, tàm vocatio congrua, quàm finalis perſeverantia.

97 *Impugn. 6.*

Impugnatur ſextò : nam Auguſt. *cap. citat.* ciuſdem libri, hæc habet: *Hæc omnia operatur in eis, qui vaſſa miſericordiæ operatus eſt, qui, & elegit eos in filio ſuo ante conſtitutionem mundi*

per

per electionem gratiæ, vbi *per electionem gratiæ* non intelligit electionem ad gratiam, quatenus contra electionem ad gloriam secernitur, sed intelligit electionem gratuitam, & sine meritis, vt statim se explicat: *Profectò electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Inferiùs verò declarans, ad quid fuerint electi, ait: *Electi sunt ad regnandum cum Christo.* Et rursus: *Illos elegit ad obtinendum regnum suum*, quod statim vocat *regnum electorum*, & in fine capitis, *Beatam vitam*; clarè ergo August. hic docet electionem ad gloriam ante prævisa merita. Quod autem loquatur de meritis à gratia procedentibus, satis constat ex dictis *num. anteced.* vbi ex Augustin. habetur: tàm vocationem congruam, quàm finalem perseverantiam, oriri ab electione ad gloriam: ruit ergo vtraque solutio.

98 *Impugn. 7.* Impugnatur septimò: nam *cap.* 10. eiusdem libri de *Corrept. & Grat.* sic loquitur Augustin: *Hi ergo Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam, ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum præordinati, quorum nullus perit, ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quando sic est ordinatus, & ideò Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitã æternam.* Quibus verbis docet, voluntatẽ dandi donum perseverantiæ provenire ex eorum, qui perseverant, electione ad vitam æternam: Quam doctrinam quoque habet *cap. 7. per totum*, imò *toto lib. de Corrept. & Grat. & Bono perseverantiæ*: ergo apud Augustin. prior est hæc electio, quam voluntas dandi perseverantię donum, & seriem aliorum auxiliorum præcedentium: ergo loquitur Augustin. de electione ad gloriam per exclusionem meritorum à gratia procedentium. Consequentia claret; alioquim donum perseverantiæ non proveniret ex electione ad vitam æternam, quod est contra Augustinum.

99 *Impugn. 8.* Impugnatur octavo: August. enim *lib. cit. cap.* 10. 12. & 14. ad gratiam, & Dei misericordiam pertinere docet, quod Deus aliquos eruit à massa perditionis, illos ad vitam æternam ordinando, reiectionem verò ab huius vitæ participatione esse opus iudicij, atque iustitiæ; at si electio ad vitam æternam esset ex prævisis meritis, iam esset quoque opus Divinę iustitię, & non tantum misericordiæ; ideò enim inquit Augustin. ad iustum iudicium pertinere, quod alios reijciat, quia ex prævisis demeritis eos reprobat: ergo si alios idcircò liberat, quia eorum prævidit merita, ad iustitiam quoque id pertinebit: ergo loquitur August. de ordinatione prædestinatorum ad gloriam ante prævisionem meritorũ procedentium à gratia; alioquim hęc ordinatio non pertineret ad misericordiam Dei contra Augustinum.

100 *Confirmat. & vrgetur.* Confirmatur, & vrgetur: quia si prædestinatio ad gloriam esset post prævisionem meritorum à gratia procedentium, prædestinati semper, & absolutè non benè dicerentur *vasa misericordiæ*, hoc est, ex vi misericordiosissimę discretionis à massa perditionis ad gloriam ordinati, sed potiùs deberent dici *vasa iustitiæ*, hoc est, tales, vt eis iustè ex meritis reddi debeat merces, & corona glorię ad Deo iusto iudice; & quidem nomine discretionis, & liberationis à massa pertionis non intelligit Augustin. solam liberationem per iustitiam temporalem, quia sic liberari dicuntur etiam reprobi, sed etiam perfectam, & consumatam liberationem per ęternam iustitiam, & gloriam, sic etiam loquitur *Hiponost. 6. circa medium*, vbi ait: *De damnabili humani generis massa Deũ præsciuisse misericordia, non meritis, quos prædestinavit ad vitam.* Atqui iuxtà Augustin. semper, & absolutè prędestinati dicuntur *vasa misericordiæ*: ergo ideò est, quia sentit prędestinationem ad gloriam esse ante prævisionem meritorum à gratia procedentium: ergo vtraque ruit solutio.

101 *Impugn. 9.* Impugnatur nono etiam ex his, quę docet *lib. de Fide ad Petrum*; nam *cap.* 3. sic de prędestinatis loquitur: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum, quia enim tales prædestinando, præparavit, vt regno digni essent, præparavit vtique secundum propositum vocandos, vt obediant, præparavit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & benè vivant, præparavit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti Regnum Cœlorum sine fine possideant.* Hic indubiè loquitur de electione ad gloriam, de qua immediatè anteà locutus erat, & quidem de tali electione ita loquitur, vt sit causa, & ratio, vt prædestinati obediant vocationi, rec-

tè credant, & benè vivant, quæ sunt merita glorificandorum; non ergo prævisio meritorum etiam ex gratia est ratio eligendi ad gloriam, sed è contra: electio ad gloriam est ratio habendi, & prævidendi merita, quibus electi gratiam consequantur: ergo ruit vtraque solutio adversariorum.

102 *Impugnat. deniq; vtraque solutio.*

Impugnatur deniquè vtraque adversariorum solutio; nam plures ex Massilienſibus, contra quos disputavit Augustin. asserebant: prædestinationem ad gloriam esse ex prævisis meritis gratiæ, non naturæ, vt constat ex Hylario *Epist.* ad Augustin. vbi de illis loquens, sic ait: *Cæterum ad nullum opus nedum perficiendum, incipiendum, quemquam sufficere posse consentiunt.* Et ex prospero *Epist.* ad August. *ibi: Hæc ipsorum diffinitio atque professio est, omnem quidem hominem Adamo peccante peccasse, & neminem propter opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; qui autem credituri sunt, qui ve in ea fide, quæ per Dei gratiam sit servanda mansuri præcisè ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine decessuros esse præviderit*: ergo non omnes Semipelagiani pro causa electionis ad Regnum Cœleste opera naturæ agnoscebant, sed aliqui opera prævisa ex gratia; ac proindè contra illos disputans Augustin. vtrumque impugnavit.

103 *Dices 1.*

Sed contra vcusque ex Augustin. dicta dices ex ipso. Primò: testimoniũ Augustin. *ex lib. de Prædest. Sanct. cap.* 19. probare contra Semipelagianos, non solam consumationem esse ex gratia Dei, sed etiam fidei initium ex Divina gratia haberi: ergo loquitur Augustin. expressè de electione ad gratiam, in quo sensu Paulum *ad Ephes.* 1. intellexit, & exposuit. Consequentia videtur manifesta. Antecedens patet: nam *cap.* 19. ait: *Non enim, quia credidimus, sed vt credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur; falsumque sit, quod absit, non me elegistis, sed ego elegi vos*: ergo prædictum Augustin. testimonium probat contra Semipelagianos, non solam consumationem esse ex gratia Dei, sed etiam fidei initium ex Divina gratia haberi.

104 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *numer.* 13. Augustin. loqui de electione ad gratiam, vt efficacitèr conducentem ad gloriam; non verò de electione ad gratiam sistente in ipsa gratia. Electio autem ad gratiam primo modo electionem ad gloriam supponit, & illam includit. Hæc tamen solutio non placet; quia innegabile est, Augustin. loqui de electione ad gratiam sistente in ipsa gratia, sicut innegabile est, Augustin. loqui contra Pelagianos, negantes necessitatem gratiæ ad consequendam gloriam. Vndè solutione Ill. Godoy omissa, alitèr est replicæ occurrendum.

105 *Respondeo.*

Respondeo itaquè: verum esse, Augustin. loqui de electione ad primam gratiam congruam, quam Pelagiani, & Semipelagiani negabant esse gratuitam, imò de hac principalitèr loqui; cæterum falsum est, Augustin. non loqui etiam de electione ad gloriam, vt ex dictis satis ostensum est, & claret primo: nam iuxtà relationem Prosperi, non solum habuit Augustin. cum Massilienſibus quæstionem de electione ad gratiam, sed etiam de electione ad gloriam, vt constat ex *num.* 75. Secundo claret: nam Augustin. *lib. de Prædest. Sanct.* totum est in demonstranda adultorũ prædestinatione gratuita, vbi estò verum sit, principalitèr loqui de prædestinatione ad primam gratiam congruam, quam Pelagiani, & Semipelagiani negabant; loquitur etiam de prædestinatione ad gloriam, quam paritèr negabant gratuitam esse, vt legenti Augustin. *cap.* 12. & 15. apparebit. Et hac solutione solvuntur omnia, quæ ex Augustin. contra doctrinam traditam objici possunt.

106 *Dices 2.*

Dices secundò: Augustin. *lib. de Prædest. Sanct. cap.* 17. *propè finem* concludit his verbis: *Cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuat ei*: ergo dato, quod Augustin. loquatur de electione ad gloriam, loquitur tantum de illa per exclusionem meritorum solis naturæ viribus eliciendorum. Respondeo negando consequentiã; quia licèt certum sit: Augustin, principalitèr excludere sola naturæ merita, quia intentũ illius principalitèr erat, errorem Semipelagianorum impugnare; negari nequit, quod loquatur etiam de electione ad gloriam per exclusionem meritorum à gratia pro-

Respondeo.

ce-

cedentium, vt ostensum est *num.* 86. *& seqq.*

107 *Declaratur solutio.*

Et amplius declaratur: nam quæstioni propositæ à Prospero in sua Epistola, an, scilicet, electio ad gloriã sit ex prævisis meritis gratiæ, vt Semipelagiani asserebant, respondere tenebatur Augustin. in illis libris, seque de hac electione ad gloriam locutum fuisse, satis declarat *cap.* 20. *propè finem capitis, & libri*, dum pluribus Scripturæ locis probat: *Deum mirabili modo, & innefabili inclinare prædestinatorum corda ad Regnum Cæleste obtinendum*, & hoc totum, ait, ex illa electione efficaci prædestinatorũ oriri, & inter alia loca adducit superiùs allegatum *num.* 37: *Crediderunt quot quot præordinati erant ad vitam æternam*: ergo loquitur ibi Augustin. de electione ad gloriam, non solum per exclusionem meritorum naturæ, sed etiam gratiæ.

108 *Declaratur amplius.*

Rursus ostenditur: nam August. non solum dissolvit quæstiones ad fidem spectantes, sed etiam alias subtiliores ad Theologiam pertinentes: ergo non solum loquitur de electione ad gloriam per exclusionem meritorum, solis naturę viribus procedentium, sed etiam à gratia eliciendorũ. Consequentia claret; quia si August. aliquam dissolvit quęstionẽ ad Theologiam pertinentem, est quæstio, de qua versamur, vt ex relatione Prosperi constat. Antecedens autem testatur B. Celestinus Papa *in fine suæ Epistolæ ad Gallos*, dicens: *Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæretici restiterunt* (loquitur de Augustino) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere*: ergo Augustin. non solum dissolvit quæstiones ad fidem spectantes, sed etiam aliàs subtiliores ad Theologiam pertinentes.

109 *Contra 3.*

Dices tertiò: quæcumque August. *libris citatis* docet de electione, sunt certa fide tenenda; sed solum est certa fide tenendum, quod electio sit ad gratiam, & quando sit etiam ad gloriam, hoc debet intelligi de meritis solis naturæ viribus elicitis: ergo Augustin. solum loquitur de electione ad gratiam, & quando etiam loquatur de electione ad gloriam, de hac loquitur per exclusionem meritorum naturæ duntaxat. *Respondeo.* Distinguendo maiorem: quæcumque Augustin. *lib. citat.* docet de electione contra errores Pelagianorum, & Semipelagianorum sunt certa fide tenenda, concedo maiorem; vltrà prędictos errores, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam quod Augustin. doceat aliqua certa fide tenenda, vt verè docet, non impedit, quod mentem suam etiam apperiat circa alia, quæ fide non sint tenenda, vt in rei veritate apperuisse, constat ex totiès dictis, & præcipuè ex Prosperi relatione *num.* 86. *&* 87. & ex testificatione B. Celestini Papæ *num. anteced.*

110 *Solutio declaratur.*

Itaquè certum est, Augustin. disputare de electione ad gratiam sine meritis, & de electione ad gloriam sine meritis naturæ, & gratiæ; licèt tamen de vtraque electione disputet contra Pelagianos, & Semipelagianos, principalitèr tamen disputat de electione ad primam gratiam, quod non sit ex meritis; ac etiam quando loquitur de electione ad gloriam, impugnat principalitèr, quod non sit ex meritis solius naturæ, nam si id asseratur de meritis in gratia fundatis, ait, talem sententiam non esse reprobandã, vt errorem, ac proindè cum dicitur, quæ de electione docet, esse certa fide credenda, loquitur de electione ad gratiam, vel ad gloriam ex puris meritis naturæ, non autem ex meritis gratiæ, & hoc satis explicuit *lib. de Grat. & Libero arbitrio, cap. 6. citat.* cum dixit, in hoc vltimo sensu electionem ad gloriam ex meritis prævisis non esse reprobandam, vt erroneam.

111 *Dices 4.*

Dices quartò: Augustin. reddens rationem, cur electi sint per electionem gratiæ non præcedentium meritorum suorum, ait: *Quia gratia illis est omne meritum*: ergo sentit, ideò esse electionem secundum misericordiã, quia non est ex operibus ex viribus naturæ profectis. *Respondeo.* Respondeo primò: quod quando Augustin. reddit pro causa, cur illa electio sit liberalis, quia gratia est illis omne meritum, debet intelligi, quia gratia ex vi efficacis electionis ad Regnum præparata illis est omne meritum; sic autem accepta causali, etiam merita ex gratia, vt prævisa, ad prædictam electionem excludit. *Secundò.* Respondeo secundò: quia etsi illam rationem tradiderit, & per illam solum exclusserit opera naturæ, vt

præ-

prævisa; vsus fuit etiam alia, nempè, quod talis electio ipsam fidem præcedit, vt vidimus, qua ratione merita ex gratia, vt prævisa excludit Augustinus.

112 *Dices.5.* Dices quintò: Augustin. non solum loquitur in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis; at de fide certum est, gloriam in ordine executionis nobis conferri ex meritis profectis ex gratia: ergo solum excludit ab electione ad gloriam opera naturæ, vt motiva. *Respondeo.* Respondeo Augustin. quando loquitur de electione ad gratiam, in vtroque ordine merita excludere; quando verò loquitur de electione ad gloriam quoad substantiam, secundum se, & prout est beneficium indebitum, solum in ordine intentionis merita excludere, quod amplius patebit ex dicendis in discursu quæstionis.

113 *Authorit. Scripturæ, & August. conclus. fabere probatur.* Iam iam claret ex dictis, nostræ conclusioni expressè fabere, tàm authoritates Scripturæ, quàm Augustini; nam vt ex omnibus apparet, in tantũ probant, prædestinationem ad gloriam esse ante prævisionem meritorum, in quantum affirmant: electionem prędestinatorum *esse omninò gratuitam, ipsosque prædestinatos esse vasa misericordiæ, & non vasa iustitiæ*, sed hæc potius, & melius verificantur de prædestinatione ad gloriam quoad substantiam, secundum se, seu vt est beneficium indebitum, quam de prędestinatione ad gloriam per modum coronæ, & præmij: ergo Authoritates prædictæ expressè fabent nostræ conclusioni. Minor probatur: quod verba prædicta intelligantur de prædestinatione ad gloriam per modum coronæ, & præmij, obstant plures in oppositum authoritates, & plurimi grauissimi Authores oppositum sentientes; sed nihil horum obstat, vt prædicta verba intelligantur de prædestinatione ad gloriam quoad substantiam, secundum se, seu prout est beneficium indebitum: ergo prædicta verba potius, & melius verificantur de prędestinatione ad gloriam quoad substantiam, secundum se, seu prout est beneficium indebitum, quam de prædestinatione ad gloriam per modum coronæ, & præmij.

114 *Declaratur & vrget.1.* Declaratur, & vrgetur primò: intentum Scripturæ, & Augustin. est, *Electionem prædestinatorum esse omninò gratuitam, ipsosque prædestinatos esse vasa misericordiæ, & non vasa iustitiæ*; sed hoc intentum absque scrupulo aliquo salvatur, semel concesso, quod electio ad gloriam quoad substantiã, secundum se, seu prout est beneficium indebitum, sit ante prævisionem meritorum, vt nemo negare potest: ergo Authoritates Scripturæ, & Augustini expressè fabent nostræ conclusioni. *Secundò.* Vrgetur secundò per oppositum: intentum Scripturæ, & Augustini est, *Electionem prædestinatorum esse omninò gratuitam, ipsosque prædestinatos esse vasa misericordiæ, & non iustitiæ*; atqui hoc intentum non salvatur absque scrupulo aliquo de electione ad gloriam per modum coronæ, & præmij, vt patet in tot Scripturæ, & P.P. testimonijs, quæ oppositum sentire videntur, ex ipsisque fundamentum sumpserunt tot grauissimi Authores pro secunda sententia *num.* 27. & 28: ergo Authoritates Scripturæ, & Augustini nostræ conclusioni potiùs fabent expressè.

115 *Tertiò.* Tertiò: nam hanc esse Augustini mentem, satis declarat Fulgentius, accerrimus Augustini defensor, illiusque doctrinę Sectator. Verba (quęso) illius inspicite, & sine adhæsione ad propriam opinionem considerate. Fulgentius itaquè *lib.1. ad Monimum, cap.13.* hæc habet: *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad iustitiam.* Vbi duas in Deo distinguit prædestinationes, quarum vna prior est alia. Prima est ad gloriam, quæ quia opus iustitię non est, vtpotè, contradistincta prædestinationi ad iustitiam, est ad gloriam quoad substantiam, secundũ se, seu vt beneficium indebitum. Secunda, quæ est opus iustitiæ, est ad gloriam per modum coronæ, & præmij: ergo ex Fulgentio clare constat, dari in Deo prædestinationẽ ad gloriam quoad substantiam, distinctam à prædestinatione ad gloriam per modum præmij: ergo cum prima distinguatur à secunda, & secunda sit opus iustitiæ, prima erit opus misericordiæ: ergo cum hæc sit prædestinatio quoad substantiam, secundum se, seu vt est beneficium indebitum, hęc prędestinatio est in Deo ante prævisionem meritorum, quod est nostra conclusio.

116 *NOTA.* Deniquè pro vcusque dictis maximè advertendũ est, quod nec allata

Scripturæ loca, nec allegata D. Augustin. testimonia, locuntur de prædestinatione ad gloriam per modum coronæ, & præmij, vt ex ipsis manifestum est; solum namque intendunt, prædestinationem ad gloriam per modum coronæ, & præmij intelligi nequire absquè labore magno, vtpotè, in oppositum stant tot, & tantæ Authoritates Scripturæ, & P.P. vt conclusione sequenti videbimus; de prædestinatione verò ad gloriam quoad substantiam, secundum se, & prout est beneficium indebitum, optimè, & sine labore intelliguntur, quia nec contra hoc est Authoritas aliqua, nec Authores, qui huic contrariari videtur, meo videri, contrariantur, vt constat ex illorum mente, quam apperiemus *infrà*.

§. VII.

Ratione, & paritatibus ad hominem contra Scotistas, Thomistas, & Mastrium probatur conclusio.

117 *Prob. conclusio Scoti ratione.*

PRobatur conclusio ratione dessumpta ex Scoto *in* 1. *dist.* 41. §. *Potest aliter dici*, & ex D. Thoma *quæst.* 23. *art.* 4. omnis ordinatè volens priùs vult finem, quem intendit, quam media ad illum finem conducentia; sed Deus in prædestinando est ordinatissimè volens: ergo in prædestinationis processu priùs vult finem, scilicèt, gloriam, quam media conducentia ad finem, scilicèt, merita; ac per consequès ante prævisionem meritorum, quæ necessariò debet esse post voluntatem dandi illius gloriam. Maior, in qua est difficultas, declaratur ab Aristotele 7. *Metaphisicè*, *text.* 23. exemplo sanitatis, & potionis; nam Medicus, v.g. volens Petro finem, scilicèt, sanitatem, & media ad sanitatem ordinata, vt amarā potionem, priùs vult illi sanitatem, & posteà media ad sanitatem ordinata, ita, quod non vult illi sanitatem propter potionem; atque adeò in aliquo priori actu voluntatis ordinatè volentis terminatur ad sanitatem, vt bonū Petro intentum, in quo non terminatur ad potionem, sed tantum in posteriori signo dependentèr ab amore sanitatis, ex quo infert Philosophus, quod quę sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione, idest, quod finis, qui in executione est vltimus, sit in intentione primus.

118

Hæc itaque ratio, quæ est præcipuum fundamentum opinionis asserentis: prædestinationem ad gloriam per modum coronæ, & præmij, esse ante merita prævisa, vt fatetur Mastrius *citatus num.* 103. & quam Ill. Godoy citatus vocat *num.* 26. asylum firmissimum suæ sententię, efficacissima est, ipsamque, vt talem reputo, si intelligatur de prædestinatione ad gloriam quoad substantiam, secundum se, seu vt est beneficium indebitum, quæ est nostra conclusio. Nec contra hoc faciunt solutiones adversariorū, quia ipsi locuntur de gloria per modum coronæ, & præmij, de qua quid sit dicendum constabit §. 13. vbi prædictam rationem nobis objiciemus, & veram solutionem ad ipsam assignabimus §. 15.

119 *Prob. conclusio paritatibus in opinione Scotistarū.*

Probatur etiam conclusio paritatibus, quarum aliquæ sunt in Scotistarum opinione, & aliæ in opinione Thomistarum. Paritas prima in Scotistarum opinione sumitur ex his, quæ cum Magistro *in* 3. docent, & nos cum ipsis docuimus *tom.* 1. *in* 3. *Sent. disp.* 8. nempè: decretum Incarnationis quoad substantiam præcessit prævisionem peccati: ergo etiam decretum prædestinatorum ad gloriā quoad substantiam præcesit prævisionem meritorum. Consequentia constat ex dictis *num.* 14. *& seqq.* Secunda paritas sumitur ex his, quæ generalitèr Scotistæ docent in præsenti, scilicèt, prædestinationem electorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, esse ante merita prævisa: ergo multo meliùs prædestinatio electorum ad gloriam quoad substantiam, secundum se, seu vt est beneficium indebitum, erit ante prævisa merita. Consequentia claret ex dictis *num.* 33.

1. *paritas.*

Secunda.

120 1. *paritas in opinione Thomistarum.*

Paritas autem prima in opinione Thomistarum sumitur ex his, quæ in præsenti docent: nam iuxta ipsos electio efficax prædestinatorum ad gloriā per modum coronæ, & præmij, est ante merita prævisa: ergo multo meliùs electio efficax prędestinatorum ad gloriam, quoad substantiam, seu vt est beneficium indebitum, erit ante prævisionem meritorum. Consequentia est manifesta per dicta *num.* 33. Secunda paritas sumitur ex his, quę docent, & cum ipsis Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1.

Secunda.

part. diſput.63. num.67. ſcilicèt, quod pœnitentia, vt Omnipotentiã Dei manifeſtat, & ad vberiorem gratiam, & perſeverantiam conducit, à Deo intenditur ante prævisionem peccati: ergo potiori iure electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam quoad ſubſtantiam, ſeu provt eſt beneficium indebitum, erit ante prævisionem meritorum. Tertia deniquè ſumitur ex his, quæ docent, & cum ipſis III. God. *tom. citat. diſp.69. num.66.* ſcilicèt, quod voluntas efficax negandi reprobis gloriam, provt eſt beneficium indebitum eſt ante omne perſonale peccatum: ergo ſtabit optimè, quod electio efficax prædeſtinatorum ad gloriã, provt eſt beneficium indebitum, ſit ante prævisionem meritorum.

Tertia.

121 *Prob. concluſio ad hom. contra Maſtrium.*

Probatur deniquè concluſio ad hominem contra Maſtrium: electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam ordine intentionis eſt ita gratuita, vt pro illo ſigno præſcindat à rationibus accidentalibus hereditatis, & præmij; ſed hæc electio eſt ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat: ergo electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam quoad ſubſtantiã duntaxat, eſt ordine intentionis ita gratuita, vt pro illo ſigno præſcindat à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij: ergo electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat, eſt ordine intentionis ante merita prævisa. Prima conſequentia eſt legitima; ex ipſaque manifeſtè infertur ſecunda; alioquin electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat, non eſſet ordine intentionis ita gratuita, vt pro illo ſigno præſcinderet à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij. Ad præmiſſas itaque deveniamus.

122 *Prob. min.*

Maior eſt Maſtrij *in* 1. *diſput.* 5. *quæſt.* 2. *num.* 218. vbi eam expræſsis verbis adducit, eamque iterum ibi repetit. Minor verò probatur: electio ad gloriam, præſcindens à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij, eſt electio ad gloriam quo ad ſubſtantiã duntaxat; ſed iuxta Maſtrium electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam ordine intentionis eſt ita gratuita, vt pro illo ſigno præſcindat à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij: ergo hæc electio eſt ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat. Probatur maior primò: electio efficax ad gloriam, præſcindens à rationibus accidentalibus hereditatis, & præmij, non eſt electio ad gloriam per modum hereditatis, & præmij; ſed electio ad gloriam non per modum hereditatis, & præmij, eſt electio ad gloriã quoad ſubſtantiam duntaxat: ergo electio ad gloriam, præſcindens à rationibus accidentalibus hereditatis, & præmij, eſt electio ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat.

Prob. mai. 1.

Probatur ſecundò dicta maior: electio efficax ad gloriam, non præſcindens à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij, non eſt electio ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat: ergo per oppoſitum. Probatur tertiò eadem maior ad hominẽ contra Maſtrium, & omnes Scotiſtas: decretum Incarnationis, præſcindens à rationibus accidentalibus paſsibilitatis, & impaſsibilitatis, eſt decretum Incarnationis quoad ſubſtantiam duntaxat: ergo ſimilitèr: electio ad gloriã, præſcindens à rationibus accidentalibus hæreditatis, & præmij, eſt electio ad gloriam quoad ſubſtantiam duntaxat. Quidquid ad hanc paritatem poſsit reſpondere Maſtrius, impugnatum manet per dicta §. 2. *per totum*, vbi totalis vniformitas inter decretum prædeſtinationis, & decretum Incarnationis declarata eſt.

123 *Secundò.*

Tertiò.

§. VIII.

Argumenta ex Scriptura, & Patribus proponuntur.

PLures ex Scriptura, & Patribus authoritates opponere valent contra noſtram concluſionem Authores ſecundæ ſententiæ. Primum ex Scriptura teſtimonium ſumitur ex Matth. *cap.*25. dicente: *Venite Benedicti Patris mei percipite regnum paratum vobis ab origine mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*, vbi cauſalem illam non ſolum ad temporalem regni exhibitionem, ſed etiam ad illius æternã præparationem referendam eſſe, ex eo ſibi videtur convincere, quod in poſterioribus verbis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius, eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, cauſalis illa, nedum ad temporalem pœnæ executionem, ſed etiam ad voluntatem puniendi æternam eſt referenda, cuius oppoſitum Pelagianiſmum ſapit: ergo paritèr: prior illa cauſalis ad æternam Dei vo-

124 1. *Teſtimonium.*

Matthæi.

luntatem est referenda, & non solum ad temporalem gloriæ collationem; & consequenter voluntas dandi gloriam ab æterno existens in Deo, merita prævisa supponit.

125
2. Testimonium.
Ad Timoth.
Luc.
Matth.

Secundum testimonium sumitur ex illis locis Scripturæ, in quibus gloria dicitur *Corona* iustitiæ, vt habetur 2. *ad Thimot.* 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ; merces bonorum operum, & præmium laborum*, vt habetur *in* 10. *Luc.* & 5. *Matth. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*, quod idem habetur *cap.* 20. & 25. *Matth.* vbi proponitur parabola operariorum in Vinea laborantium, qui omnes mercedem receperunt secundū laborem suum: *Bravium certantium*, vt constat ex 1. *ad Corinth.* 9. *Omnes quidē currunt, sed vnus accipit Bravium certantium.* Atqui nulla potest esse voluntas, seu intentio dandi mercedem, seu præmium, nisi post prævisa merita: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est post merita prævisa.

126
3. Testim.
Ad Timoth.
Matth.
Idem.
Idem.

Tertium sumitur ex alijs Scripturæ locis, in quibus merita assignantur pro ratione, & causa consecutionis gloriæ, vt constat ex Apostolo 2. *ad Timoth. cap.* 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Ex *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ex Hieronymo super illa verba *Matth.* 19. *Secuti sumus te*, vbi ait: *Fecimus, quod iussisti, quid ergo erit nobis?* Ex *Matth.* 25. *Quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui.* Et *cap.* 20. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; quem locum Chrisost. Theophilatus, Ambrosius, Cyrilus, Epiphanius, & alij PP. exponunt de præparatione æterna per merita, nimirum, ab æterno prævisa, cui expositioni consonat præcedens Christi interrogatio, merita petentis ad sessionem illam obtinendam: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ioann. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, &c.* Et *cap.* 16. *Pater vos amat, quia me amastis.* Apocalips. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et *cap.* 17. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Ad Corinth. 2. *Occulus non vidit, nec auris audivit, &c. quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum*, & alibi frequenter: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est post merita prævisa.

Ioann.
Idem.
Apocalip.
Ad Corinth.

127
4. Testim.
Ad Roman.

Quartum sumit Amicus ex illo ad Roman. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*, vbi decretum prædestinationis, quod voluntatem efficacem beandi importat, collocat post præscientiam meritorum ex gratia provenientium; vndè totum prædestinationis processum, & seriem, ex ipso Pauli contextu sic colligit; nam primò describitur decretum dandi media efficacia ad gloriam illis verbis præcedentibus: *Qui secundum propositum vocati sunt.* Secundò describitur absoluta præscientia meritorum per illa verba: *Quos præscivit.* Tertiò decretū electionis ad gloriam per hæc verba: *Prædestinavit conformes fieri imagini filij sui.* Quartò tandem numerantur effectus prædestinationis, vt executioni mandandi per illa verba: *Quos autem prædestinavit, hos, & vocavit, quos vocavit, hos, & iustificavit, quos autem iustificavit, illos, & glorificavit*: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est post merita prævisa.

128
5. Testim.
Ex Iacobi.

Quintum denique testimonium sumpsit Bazquez ex illo Iacobi 2. *Deus elegit Pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*: ergo sicut quia elegit pauperes, electi ante electionē præsupponuntur pauperes etiam in præscientia eligentis, ita, quia elegit divites in fide, electi ante electionem præsupponuntur prævisis divites fidei meritis. Demun addunt alij illud 2. *Petri* 1. *Satagite, vt per opera vestra, certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est post merita prævisa.

2. Petri.

129
1. Testim.
Ex August.

Ex Patribus autem Augustin. qui primum inter omnes obtinet locum, oppositam sententiam in terminis docet; nam *lib.* 1. *ad Simplicianum*, exponens illud *ad Roman.* 9 *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, sic loquitur multo ante medium: *Non electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio, nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur, vndè, quod dictum est, qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia*, hoc est ex præscientia bonorum operum electi sumus ad vitam æternam; itaquè Augustin. ibi videtur distinguere elec-

tio-

tionem ad gloriam à liberali gratiæ donatione, vel præparatione, & hanc docet, antecedere ipſa merita, ſeu præſcientiam eorum, eſſèque ex ſola liberali voluntate Dei; illam verò eſſe poſteriorem, & non eſſe, niſi ex meritis prævisis: ergo iuxta Auguſtin. electio efficax, prædeſtinatorum ad gloriam merita prævisa ſupponit.

130 Item: in hoc eodem ſenſu Auguſtinus *citat.* videtur diſtinguere electionem à propoſito, cum ait: *Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, ideſt, non quia invenit Deus opera in hominibus, quæ eligat, ideò manet propoſitum iuſtificationis ipſorum, ſed quia illad manet, vt iuſtificet credentes, ideò invenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum*; vbi clariſsimè docet, propoſitum iuſtificandi, & dandi gratiam, non eſſe propter noſtra præcedentia opera bona, hoc tamen propoſitum antecedere electionem gloriæ, factam ex futuris bonis operibus poſt prædictū propoſitum; & ne eſſet vllus de eius mente ambigendi locus, id vniverſaliter probat, & à priori ex ipſa eſſentiali electionis ratione; quia electio præſupponere debet aliquam diverſitatem inter eos, inter quos fit electio, propter quam vnus eligatur, alter reijciatur; & ideò circa finem quæſtionis concludit: *Quod ſi electio hic fuit aliqua, vt ſic intelligamus, quod dictum eſt, reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, non vt iuſtificatorum electio fiat ad vitam æternam, ſed vt eligantur, qui iuſtificentur, certè ita occulta eſt hæc electio, vt eadem conſperſione nobis apparere non poſsit.* Quare tandem concludit: *Reſtat ergo vt voluntates eligantur.* Quā rationem affert etiam in expoſitione quarumdam propoſitionum *Epiſt. ad Roman. propoſ.* 60. illis verbis: *Si cui vult, donat Spiritum Sanctum, quomodo elegit, cui donet? Si enim nullo merito, non eſt electio, æquales enim omnes ſunt ante meritum, nec poteſt in rebus omnino æqualibus electio reperiri.*

131 Hinc optimè deducit Vaſquius *cap.* 6. Auguſtin. eo loco duas agnoſcere electiones, alteram præmiſſo examine, quando bonus eligitur, & alius reijcitur, & hæc dicitur electio iuſtitiæ. Alteram gratiæ, quæ fit nullo præmiſſo examine; & de illa, quæ fit præmiſſo examine loquitur, cum dicit, electionem fieri poſt iuſtificationem, electionem verò ad gratiam ſentit fieri gratis, & abſque vllo examine bonorum operum. Confirmat Baz quez hanc doctrinam, & diſtinctionē ex *Sermon. 7. de Verbis Domini ſecundum Matth. tom.* 10. vbi rurſus admittit duplex genus electionis ſine examine, & cum examine; docet enim: Apoſtolos electos fuiſſe, & ſecundum miſericordiam Dei, & ſecundum illorum iuſtitiam, per quæ verba ſignificat electionem ad gratiā, cum loquitur de electione per miſericordiam, quæ fit ſine meritis, & ſine examine; electionem verò ad beatitudinem, cum loquitur de electione iuſtitiæ per merita præcedentia ex gratia.

Quam doctrinam Proſper Auguſtin. diſcipulus *lib. 2. de Vocatione gentium, cap. 35.* expreſsit his verbis: *Deus ergo his, quos eligit ſine meritis, dat vndè ornentur ex meritis, & friuſtra dicitur, quod ratio operandi non ſit in electis; cum ad hoc operentur, vt electi ſint.* Quibus verbis duplicem electionem diſtinguit; aliam ad gratiam ſine prævisis meritis; alteram verò ad gloriam ex meritis prævisis: ergo electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam ſupponit merita prævisa. 132

Secundum Auguſtin. teſtimonium ſumitur ex *lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap.* 8. vbi hanc quæſtionem, quam præ manibus habemus, Auguſtin. proponit in terminis: *Si vita æterna operibus bonis redditur, ſicut dicit Scriptura, quomodo gratia eſt vita æterna,* ad Roman. 6. *& reſpondet, iſta quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſolvi, niſi intelligamus ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad gratiam Dei pertinere.* Quam reſolutionem habet etiam *de Correption. & Grat. cap* 13. patet ergo Auguſtin. in huius quæſtionis reſolutione recurrere præciſè ad hoc, quod gratia ad bona opera detur nobis ſine meritis, adeo, quod Deus in nobis ſua dona coronat. Atqui ſi Auguſtin. agnoviſſet voluntatem aliquam efficacem dandi gloriam ante prævisa merita, quæ ſit omnino gratuita, planè ad illam recurrere debuiſſet, vt oſtenderet, quod ex hoc præſertim capite gratia Dei eſt vita æterna, & quod adhuc gloria gratis nobis donari dicitur, etiam ſi decreverit illā nobis non conferre, niſi ex meritis: ſignum ergo eſt, Auguſt. nunquam hanc voluntatem agnoviſſe dandi gloriam 133 2. *Teſtim. Auguſtin.*

gratis per modum intentionis.

134 3. Testim. Augusti.

Tertium D. Augustin. testimonium sumitur ex eodem *lib. de Gratia, & libero arbitrio, cap. 6.* vbi explicat, in quo sensu reijciat sententiam Pelagianorum, qui dicebant, electionem, aut prædestinationem, sivè ad gratiam, sivè ad gloriam, factam esse ex meritis prævisis: *Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam verò, quæ datur in finē, ideſt, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis; si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia, quoniam vero merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, &c.* Ex quibus patet, Augustin. reijcere solum prædestinationem ad gloriam factam ex meritis naturæ, vt asserebant Pelagiani, factam verò ex meritis in gratia fundatis, non solum nunquā ab eo impugnatam fuisse, sed maximè probatam, adeò, vt inquit Augustin. quod si Pelagiani de ista loquerentur, non esset illorum sententia reprobanda.

135 4. Augusti. testimoniū.

Quartum Augustin. testimonium sumitur ex *lib. de Prædestinat. Dei*, vbi *cap. 2. & 3.* distinguit duplex genus prædestinationis, alterum alligationis, & potentiæ; alterum conditionis, & iustitiæ, & docet, prædestinationem iustitiæ, qua homo prædestinatus est ad præmium, vel pœnam, esse ex prævisione operum nostrorum, & hanc sententiam, ait Pennotus, adeò manifestè ab Augustin. doceri, vt contrarium sentientibus, nullus alius respondendi modus idoneus videatur, nisi negando illum librum esse D. Augustini, quam ait, esse Erasmi censuram, & quibusdam coniecturis reprobare nititur: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam supponit merita prævisa.

136 5. Augusti. testimoniū.

Quintum Augustin. testimonium sumitur ex *lib. 83. Quæstionum, quæst. 68.* vbi ait: *Prorsus Deus, cuius vult, misereatur, & quem vult, indurat; sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores, cum propter generale peccatum vnam massam fecerint: non tamen nulla inter eos est diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint iustificati, digni tamen efficiuntur iustificatione, & item præcedit in alijs peccatoribus quo digni sunt obtusione.* Item: *lib.* expositionis quarūdam propositionū *Epist. ad Rom. tom. 4. in fine*, ait: *Nec prædestinavit aliquē, nisi quem præscivit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & secuturum Sanctorū vocationem, quos electos dicit*: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est post prævisa merita.

137 Altimum Augustin. testimon.

Deniquè: Augustin. vbiquè præscientiam cum prædestinatione coniungit, ac anteponit, imò prædestinationem per ipsam præscientiam describit, & omnes concedunt, loqui de præscientia absoluta, nam conditionata non sufficit ad aliquem absolutè prædestinandum, vel reprobandum, vt sæpè dictum est: ergo sentit prædestinationem esse factam ex absoluta præscientia meritorum. Consequentia patet. Probatur antecedens: nam *de bono perseverantiæ, cap. 14.* prędestinationem diffiniens, inquit: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et *cap. 10. de Prædestinat. Sanct.*: *Quæ præparavit Deus, vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem sine prædestinatione esse præscientia.* Et *cap. 17. Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus futura sua facta præscivit.* Et cap. 19. *Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, qui nos Sanctos, & immaculatos facit.* Et tandem modo loquitur *lib. de Spiritu, & littera, cap. 5*: *Per Spiritum Sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præscivit, vt prædestinaret.* Concluditur ergo Augustin. sentire, quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam fit post prævisa merita.

138 Testimonia aliorū P.P. Hieronym. Ambros. Fulgent. Prosper.

Augustino accedunt plures Patres in expositione textus *ad Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui.* Hieronymus namque ait: *Quos prævidit conformes in vita, voluit facere conformes in gloria.* Ambrosius: *Quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capesenda.* Fulgentius *ad Monim. cap. 14. Prædestinavit ad Regnum, quos ad se præscivit redituros.* Prosper *ad Capitula Gallorum ad 3. obiectionem*: *Quia Dei præscientiam non latuit, nē fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam*

præ-

prædestinavit. Et *lib. 2. de vocatione gentium, cap. vltim. Frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint.* Theophilatus: *Theophil.* *Præcognoscit Deus eos, qui vocatione digni sunt, deindè sic prædestinat, prior itaquè est præscientia, postea sequitur prædestinatio.* Oecumenius: *Oecumen.* *Quos præscivit, hos etiam prædiffinivit, quia secundū propositum sunt, qui à secundum proprium propositum crediderunt, & sic à personarum respectu Deus liberatur.*

139 Origines sic exponit: *Origines.* *Prævidit præscientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores, & virtutes habituri sunt, & ita prædestinatio sequitur.* Sedulius: *Sedulius.* *Quos præscivit credituros, hos vocavit, vocatio enim volentes colligit.* Theodulus: *Theodulus.* *Præparavit Deus ad gloriam, quos dignos cognovit per fidem.* Damascenus *Damasc.* *adversus Manicheos: Bona agere contendamus, vt in eorum simus numero, quos Deus bonus fore prænovit, atque ad æternam vitam præordinavit.* Hilarius *Hilarius.* *in Psalm. 64. Non res indiscreti iudicij electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est.* Beda *lib. Varium quæstion. quæst. 13. Cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit vt ipsa sua prædestinatio meritis, & precibus nostris obtineatur.* Chrysostomus *Beda.* *Chrysost.* *in id Matth. 20. Esurivi enim, &c. Nam antè quam nati sitis, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Anselmus *de Prædest. & Libero arbitrio, cap. 2. Sicut præscientia, quæ non fallitur, non præscit, nisi verum, ita prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicut est in præscientia.* Et Hieronymus rursus *in Epist. 150. quæst. 10. Non salvat irrationabiliter Deus, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus.* Clemens Romanus Apostoli Petri Discipulus *Anselm.* *Hieronym.* *Clemens Romanus.* *lib. 3. recognitionum: Prævidens Deus, quod ista potestas arbitrij alios quidem facere bona eligere, alios mala, per hoc in duos ordines necessario propagandum esse hominum genus.*

140 Ad has omnes Authoritates ex Scriptura, & Patribus adductas (omissa Scotistarum, & Thomistarum solutione, de qua §. sequenti) respondeo: Omnia procedere de electione efficaci prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, vt ex ipsis evidenter apparet; vnde nihil inducere valent contra nostram prædictam conclusionem, in qua loquimur de electione efficaci prædestinatorum ad gloriam quoad substantiā, secundum se, seu vt est beneficium indebitum; imo ipsas assignabimus pro probationibus secundæ conclusionis.

Respondeo ad omnia testimonia.

Quod autem potest specialiter obstare, & ex doctrina Scotistarum, & Thomistarum obijci contra nostram primam conclusionem, est; tum, quod inter electionem efficacem ad gloriā quoad substantiam, & electionem efficacem ad gloriam, vt coronam, hic est congruentior modus operandi. Tum: quod electio efficax ad gloriam quoad substantiam, secundum se, & vt est beneficium indebitum, esset confusa, & consequenter Deo repugnans. Cæterum ex his argumentis secundū solvemus §. 11. respondendo ad hanc Mastrij obiectionem. Primum verò solvemus §. 15. vbi hoc argumentum pro Mastrio, & contra nos formabimus; vtrumque tamen ad hominem contra ipsum locis *cit.* retorquemus.

141 *Alia argument. solvētur infrà.*

§. IX.

Secunda conclusio statuitur, & authoritatibus probatur.

142 SEcunda conclusio: *Electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij* (idem dicitur proportione servata de electione efficaci prædestinatorum ad gloriam per modum hæreditatis duntaxat) *est post merita prævisa.* Hęc conclusio defenditur ab omnibus Authoribus secundę sententię contra Authores primę, & hæc est nostra conclusio, cui etiam fabent Authores relati pro tertia sententia.

2. *Concluſ.*

143 Authoritate probatur: omnia Scripturę loca Patrumque testimonia tradita *à num. 124. vsquè ad 140.* expręssè testantur, quod electio efficax ad gloriam est post prævisa merita; atqui expressè locuntur de gloria per modum coronę, & præmij, vt ex omnibus, & quolibet seorsim claret: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronę, & pręmij, est post merita pręvisa.

Probat. authoritatib. Scripturæ, & P.P.

144 Ad has omnes Authoritates respondet Mastrius *citat. artic. 7.* prædicta testimonia intelligi de electione ad gloriam in ordine executionis; non autem de illa, quæ in ordine intentionis prędcedit. Hęc est solutio, quam ad prędictas Authoritates assignavimus

Respondet Mastrius.

ex

ex III. Godoy *tom. & disp. toties citat.* quam ibi reiecimus *à num. 55. vsquè ad* 64. Vltrà quod, & vltrà hoc, quod hanc solutionem contra Mastrium ad hominem impugnabimus §. 10. nunc autem sic eam impugno: credibile non est: tot Scripturæ testimonia, totque Patrum Authoritates, nunquã loqui de electione efficaci ad gloriam in ordine intentionis, maximè, cum multotiès vniformitèr loquantur de electione efficaci ad gloriam, & ad pœnam, ad quam demerita prævisa ordine intentionis præcedunt, vt fatetur Mastrius *citat. quæst. 3.* ergo nulla est Mastrij solutio.

Impugnat.

§. X.

Ad hominem contra Mastrium, & Thomistas quibusdam paritatibus probatur conclusio.

145 *Probat. 1. conclus. ad hom. contra Mastrium, & Scotistas*

PRobatur primò conclusio ad hominem contra Mastrium, & omnes Scotistas, Scotum *in 3. dist. 7. quæst. 3.* sequentes: nam iuxtà omnes Scotistas cum quibus Mastrius *in 3. disp. 4. artic. 2. num. 22.* Incarnatio, vt Redemptio, supponit in ordine intentionis prævisionem peccati: ergo similitèr: gloria, & corona, supponit in ordine intentionis prævisionẽ meritorum: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij supponit in ordine intentionis merita prævisa. Probatur prima consequentia: non minus gloria, vt corona supponit merita, ac Incarnatio, vt Redemptio, supponit peccatum; sed Incarnatio, vt Redemptio, supponit in ordine intentionis prævisionem peccati: ergo gloria, vt corona, supponit in ordine intentionis prævisionem meritorum.

146 *Declaratur*

Declaratur hæc ratio, proponendo rationem, qua Scotistæ probant: Incarnationem, vt Redemptio est, supponere in ordine intentionis prævisionem peccati. Sic igitur probant: sicut passibilitas, & mortalitas supponunt peccatum, in cuius pœnam passibilitas, & mortalitas succedunt loco impassibilitatis, & immortalitatis, quas habuisset natura humana in statu Innocentiæ; ita Redemptio supponit captivitatem, ad quam redimendam Redemptio ordinatur; sed decretum de passibilitate non præcessit prævisionem peccati: ergo nec decretum Incarnationis, vt est Redemptio. Quod sic confirmant: Christus, vt Redemptor, & passibilis, est Medicus, & medicina: ergo supponit morbum, & infirmitatem. Probatur consequentia: quia Medicus, vt Medicus, & medicina, vt medicina, faciunt sensum reduplicativum, debent suppone rationem reduplicationis, scilicèt, infirmitatem, & morbum; sed Christus, vt Redemptor, & passibilis, facit sensum reduplicativum: ergo supponere debet rationem reduplicationis, scilicèt, infirmitatem, & morbum: ergo supponit morbum, & infirmitatem.

147

Sumo nunc: atqui non minus gloria, vt corona, supponit merita, ac passibilitas, & mortalitas supponunt peccatum, Redemptio captivitatem, & medicina morbum: ergo sicut ratione prædicta dicunt Scotistæ, passibilitatem, & mortalitatem supponere in genere intentionis peccatum, Redemptionem, captivitatem, & medicinam, morbum; ita dicere tenentur, gloriam, vt coronam, supponere in genere intentionis merita: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, supponit ordine intentionis merita prævisa. Consequentiæ sunt legitimæ. Sumpta verò, in qua stat paritatis efficatia, latè manet parificata ex dictis *num. 14. & seqq.* & vltrà probatur ad hominem contra Scotistas: nam ideò iuxtà ipsos Incarnatio, vt Redemptio, supponit peccatum, quia Incarnatio, vt Redemptio, facit sensum reduplicativum, de cuius ratione est, supponere rationem reduplicationis, scilicèt, peccatum; sed etiam gloria, vt corona, facit sensum reduplicativum: ergo de ratione illius est, supponere rationem reduplicationis, scilicèt, merita: ergo non minus gloria, vt corona, supponit merita, ac Incarnatio, vt Redemptio, supponit peccatum, & similitèr de alijs.

148

Sed vt clariùs appareat paritas ad hominem contra Mastrium, rationes, quibus probat, quod Incarnatio, vt Redemptio, supponit prævisionem peccati, inspicite, quæsso. Primò itaq; Mastrius *citat.* sic probat: Redemptio dicit ordinem (loquitur de ordine intentionis, vt per suas probationes patebit, & claret ex ab ipso *citat. num. 13.* traditis) & supponit peccatum: ergo

si primum Incarnationis decretum quoad substantiam præcessit visionē peccati, vt absolutè futuri, vt iam probatum est, sequitur ante prævisionem peccati Christum non fuisse electum, vt Redemptorem per Passionem, & Mortem suam; Deus enim non prius voluit Christum venire passibilem, & mortalem, quam voluerit permittere peccatum, illudque propria, & absoluta scientia visionis præviderit.

149 Quod ita confirmat *num. 12. citat.* quia Christus, vt Redemptor, & passibilis, præsupponit visionem peccati: ergo ante visionem illius non potuit Christus prædestinari tali modo. Demum: Medicus, & medicina a nullo prudente prædiffinitur, nisi propter morbum præsentem, vel futurum; sed Christus in carne passibili; & vt Redemptor per Mortem, & Passionem, est Medicus, & medicina: ergo non potest vt sic, esse primo volitus, & intentus à Deo ante visionem peccati. Alias adducit probationes Mastrius in eodem *artic. 2.* quas non tranferibo, quia omnes in idem coincidunt.

150 Sustumo nunc contra Mastrium; atqui non minus gloria, vt corona, dicit ordinem, & supponit merita, ac Redemptio dicit ordinem, & supponit peccatum: ergo sicut ratione prædicta asserit Mastrius, Redemptionem supponere in genere intentionis peccatum; ita dicere tenetur, gloriam, vt coronam, supponere in genere intentionis merita: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modū coronæ, & præmij, supponit ordine intentionis merita prævisa. Vtraque consequentia est legitima. Sustumpta verò probata manet ex dictis *à num.* 14. & ad hominem contra Mastrium probanda est quacumque ratione, qua ipse probet, Redemptionem supponere peccatum.

151 *Probat. 1. concluſ. ad hom. contra Thomiſtas.* Probatur secundò conclusio ad hominem etiam contra Thomistas: efficax positiva exclusio à gloria per modum pœnæ, supponit in ordine intentionis peccatum originale, vt habet Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 69. num. 95.* ergo similitèr: electio efficax ad gloriam, vt coronam, supponit in ordine intentionis merita. Consequentia est paritate certa; eadem enim est ratio: nam ideo iuxta Ill. Godoy efficax positiva exclusio à gloria supponit peccatum originale in ordine intentionis, quia originale peccatum essentialitèr respicit; sed gloria, vt corona, essentialitèr respicit merita; quia præmium supponit meritum, & corona certamen: ergo electio efficax ad gloriam, vt coronam, supponit in ordine intentionis merita.

152 *Probat. 3. etiam ad hom. contra Thomiſtas.* Probatur tertio conclusio ad hominem contra Thomistas: pœna supponit culpam in genere intentionis: ergo gloria, vt corona, supponit merita in genere intentionis. Antecedens tenet Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disput. 65. num. 69.* Consequentia est etiam paritate certa, & probatur: nam ideò pœna supponit culpam in genere intentionis, quia essentialitèr dependet à culpa; sed gloria, vt corona, essentialitèr dependet à meritis; alioquin non corona, & præmium, sed purum beneficium esset: ergo gloria, vt corona, supponit merita in genere intentionis.

153 *Probat. 4. ad hom. cōtra Scotiſtas.* Quartò probatur conclusio etiam ad hominem contra Scotistas, sequentes Scotum *in 1. dist. 41. §. Aliter.* Et *in 3. dist. 19. §. In istâ quæst.* pœnitentia supponit peccatum in genere intentionis: ergo paritèr gloria, vt corona, supponit merita in genere intentionis. Antecedens est doctrina Scoti *cit.* quam nos tradidimus *tom. 2. in 1. Sentent. disput. 63.* vbi *num. 3.* docuimus, quod permissio peccati de facto non est effectus prædestinationis, præparatus à Deo ex intentione pœnitentiæ, imò hoc repugnare statuimus *num. 95* & hoc non ob aliam rationem, nisi quia pœnitentia supponit peccatum in genere intentionis. Consequentia est paritate, sicut cœteræ, certa.

154 *Reſpond. 1 Maſtrius.* Ex his autem à paritate probationibus, prima est, quæ militat expræsè contra Mastrium, ipsamque Mastrius non adducit; ex doctrina tamen ipsius dupliciter respondere valet. Primo namque ex doctrina, quam tradit *quæst. præsenti*, respondere potest distinctione illa de ordine intentionis, & executionis, valdè apud Mastrium, & omnes adversarios generali, & cum qua ipsis videtur, omnes nostras rationes diluere. Hæc tamen solutio inutilitèr à Mastrio, vel pro ipso afferri potest, facilitèr namque à nobis reijcitur.

155 *Impugn. 1.* Impugnatur primò hæc pro doctrina Mastrij solutio: nam prædicta paritas, vt ex ipsa constat, procedit de præcedentia ordinis intentionis, in

quo

quo ordine tenet cum Scotistis Mastrius, quod Incarnatio, vt Redemptio, supponit peccatum: ergo vi huius paritatis tenetur Mastrius asserere, quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, merita in ordine intentionis supponit. Consequentia patet per dicta.

156 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò: quia eadem ratione, qua Mastrius asserit, gloriam, vt coronam, præcedere ordine intentionis prævisionem meritorum, & subsequi ordine executionis; dicere valebunt Thomistæ, quod Incarnatio, vt Redemptio, precedit ordine intentionis prævisionem peccati, & subsequitur ordine executionis; atqui hoc nequit à Mastrio admitti, quin potiùs debet illud reijcere: ergo dicere tenetur: gloriam, vt coronam, subsequi ordine intentionis prævisionem meritorum, & consequentèr nulla erit illius solutio. Probatur maior: ideò Mastrius asserit, gloriam, vt coronam, præcedere ordine intentionis previsionem meritorum, & subsequi ordine executionis, quia quæ sunt priora in executione, sunt in intentione posteriora; sed sicut peccatum est in executione prius, quam Incarnatio, vt Redemptio; ita merita in executione sunt priora, quam gloria: ergo eadem ratione, qua Mastrius asserit, gloriam, vt coronam, præcedere ordine intentionis prævisionem meritorum, & subsequi ordine executionis; dicere valebunt Thomistæ, quod Incarnatio, vt Redemptio, præcedit ordine intentionis prævisionem peccati, & subsequitur ordine executionis.

157 *Advertencia vtilissima.* Sed quia hæc est solutio, cui maximè fidit Mastrius in hac quæstione, vestigia sequens (licèt parum consequentèr) omnium Authorum primæ sententiæ, & in illius impugnatione stat tota veritas presentis difficultatis. Ante impugnationem verò notandum est: prædictam solutionem de ordine intentionis, & executionis non semper esse veram, sed aliquando tantum valere. Valet namque, quando finis est absolutè volitus præcisivè à modis, circunstantijs, vel rationibus accidentalibus; non tamen valere, quando finis est volitus cum modo, circunstantia, vel ratione aliqua accidentali. Item valet: quando finis est absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia ab alio; non verò quando dicit correlationem, & dependentiam ab alio. Quæ doctrina clarebit manifestè ex sequenti impugnatione.

158 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò allata solutio: gloria, vt corona, supponit merita, non solum in ordine executionis, sed etiam intentionis: ergo nulla est allata solutio. Probatur antecedens: gloria, vt corona, essentialitèr dependet à meritis, non solum in ordine executionis, sed etiam intentionis: ergo gloria, vt corona, supponit merita, non solum in ordine executionis, sed etiam intentionis. Probatur antecedens: Incarnatio, vt Redemptio, essentialitèr dependet à peccato, non solũ in ordine executionis, sed etiam intentionis (idemque est de medicina, vt medicina, respectu morbi): ergo etiam gloria, vt corona: Probatur consequentia: ideò Incarnatio, vt Redẽptio, essentialitèr dependet à peccato, non solum in ordine executionis, sed etiam intentionis, quia Incarnatio, vt Redemptio, nec est finis à modo passibilitatis prescindens, nec absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à peccato; atqui gloria, vt corona, nec est finis prescindens à modo coronę, nec est absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis: ergo gloria, vt corona, essentialitèr dependet à meritis, non solum in ordine executionis, sed etiam intentionis. Maior, & consequentia tenent.

159 *Prob. min. 1.* Minor verò probatur primò: si gloria, vt corona, esset finis prescindens à modo coronę, & absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis, non esset gloria, vt corona: ergo. Probatur antecedens: gloria prescindens à modo coronę, & absoluta ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis, est gloria quoad substantiam, secundum se, seu absolutè; sed gloria quoad substantiam, secundum se, seu absolutè, non est gloria, vt corona: ergo si gloria, vt corona, esset finis prescindens à modo coronę, & absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis, non esset gloria, vt corona. Maior, & consequentia tenent. Minor constat. Primò: nã si gloria quoad substantiam, secundum se, seu absolutè, esset gloria, vt corona, non esset distinctio inter gloriam quoad subs-

tan-

tantiam,& gloriam, vt coronã, quod apud omnes est falsum. Constat secundo: nam si gloria quoad substantiam, secundum se, seu absolutè, esset gloria, vt corona, idem esset inquirere: An electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam sit ante prævisa merita; ac an electio efficax ad gloriam per modum coronæ sit ante merita prævisa, quod est falsum, & eius falsitas constat ex discursu quæstionis; est namque difficultas valdè diversa.

160 *Secundò.* Probatur secundò suprà posita minor: eodem modo comparatur gloria, vt corona, respectu meritorũ, ac Incarnatio, vt Redemptio, respectu peccati; sed Incarnatio, vt Redemptio, nec est finis à modo passibilitatis præscindens, nec absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à peccato: ergo gloria, vt corona, nec est finis præscindens à modo coronæ, nec est absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis. Minor, & consequentia tenent. Maior verò, in qua potest esse difficultas, latè parificata manet *à num.* 14. *& seqq.* nec videò qua ratione illam possit Mastrius negare, semel asserendo, vt asserit, quod Incarnatio, vt Redẽptio, nec est finis à modo passibilitatis præscindens, nec absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à peccato, de quo *tom.* 1. *in* 3. *Sent. disp.* 8. & Mastrius *in* 3. *disp.* 4. *quæst.* 1.

161 *Respond. 2. Mastrius.* Ex doctrina verò Mastrij *in* 3. *disput. & quæst. citat. num.* 28. respondere valet, negando paritatem: nam gloria, vt corona, non est bonum occasionatum, ideoque propter se amabilis independenter à meritis: sed Incarnatio, vt Redemptio, est bonum occasionatum, quod sic probat *num. citat.* In hoc Incarnatio differt à Passione, & Morte Christi, quod Incarnatio est propter se amabilis, tanquam finis aliorum operum Dei; Passio verò, vel Mors Christi non propter se, sed in remedium peccati, & vt medicina; at nunquam medicina est propter se volita, & prædefinita, sed solum occasione ex morbo, vel infirmitate: ergo Incarnatio fuit ante prævisionem peccati, mors verò post prævisionem, & Christus, vt Medicus, & medicina nostri peccati, non potuit esse primo volitus, & prædefinitus à Deo.

162 Hæc tamen solutio reijcitur primo: sicut Incarnatio distinguitur a Mastrio in Incarnationem quoad substantiam, & Incarnationem, vt Redemptio est; ità gloria distinguitur in gloriam quoad substantiam, & gloriam, vt corona est: ergo sicut iuxtà Mastrium Incarnatio quoad substantiam est ordine intentionis ante prævisionem peccati, & vt Redemptio est post illius prævisionem; ita gloria quoad substantiam erit ordine intentionis ante prævisionem meritorum, & vt est corona, erit post illorum prævisionem. Consequentia est mihi paritate evidens, & nescio, qua ratione potest Mastrius (re bene inspecta) illam negare. Sed vltrà hoc. *Reijcitur solutio.*

163 *Reijcitur 2.* Reijcitur secundò: Incarnatio vt Redemptio, est bonum occasionatum iuxta Mastrium: ergo gloria, vt corona, est bonum occasionatum: ergo tenet paritas, & ruit Mastrij solutio. Probatur prima consequentia: ideo Incarnatio, vt Redemptio, est bonum occasionatũ, quia Incarnatio, vt Redemptio, nec est finis à peccato præscindens, nec est absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à peccato; atqui gloria, vt corona, nec est finis præscindens à meritis, nec est absolutus ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis: ergo gloria, vt corona, est bonum occasionatum. Minor, in qua est tota difficultas, probata duplicitèr manet *n.* 159. & 160.

164 *Vtraque solutio impugnatur.* Deniquè: vtraque Mastri solutio impugnatur paritate suprà dicta; nam si sicut Mastrius asserit, quod Incarnatio quoad substantiam præcedit ordine intentionis prævisionem peccati; ita ego assererem, quod Incarnatio, vt Redemptio, præcederet ordine intentionis prævisionem peccati, & contra me argueret eodem argumento, quo ego in ipsum arguo; egoque illi dederim solutionem, quam ipse mihi tribuit, quid contra illam replicaret, quod etiam non probaret, gloriam, vt coronam, non posse efficacitèr intendi sine ordine ad merita. Sed vt hoc manifestum fiat.

165 Supponamus me defendere: quod Incarnatio, vt Redemptio, præcedit ordine intentionis prævisionem peccati, & contra hoc sic arguit Mastrius: implicat intelligi Incarnatio, vt redemptio, sine ordine ad peccatum: ergo implicat Incarnatio, vt Redemptio, efficacitèr intendi sine ordine ad pecca-

tum:

tum: ergo implicat intentio efficax Incarnationis, vt est Redemptio, sine ordine ad peccatum, & consequentèr ante prævisionem illius. Antecedens (dicet Mastrius) patet: nam quod essentialitèr dependet ab alio, nequit intelligi sine ordine ad illud; sed Incarnatio, vt redemptio, essentialitèr dependet à peccato: ergo Incarnatio, vt Redemptio, nequit intelligi sine ordine ad peccatum.

166 Supposito ergo hoc argumento, aliud namque efficatius efformare non posset. Supponamus, me respondere distinguendo antecedens: implicat intelligi Incarnatio, vt Redemptio, sine ordine ad peccatum in executione, concedo antecedens; in intentione, nego antecedens; ad cuius probationem, distinguo maiorem: quod essentialitèr dependet ab alio, in ordine intentionis, & executionis, nequit intelligi sine ordine ad illud, concedo maiorem; quod essentialitèr dependet ab alio in ordine executionis nequit intelligi sine ordine ad illud, subdistinguo? in ordine executionis, concedo maiorem; in ordine intentionis, nego maiorem; distinguoque minorem: sed Incarnatio, vt Redemptio, essentialitèr dependet à peccato in ordine executionis, concedo minorem; in ordine intentionis, nego minorem, & consequentiam.

167 Hac ergo solutione data, quid cõtra ipsam replicabit Mastrius, quod non probet, gloriam, vt coronam, esse ordine intentionis post prævisionem meritorum? Nam vel replica sumenda est ex dependentia essentiali Incarnationis, vt est Redemptio à peccato; vel ab impræscindibilitate Incarnationis, vt est Redemptio à peccato; vel ex relatione Incarnationis, vt est Redemptio, ad peccatum. Et ex quocumque sumatur, probabit semper: gloriam, vt coronam, esse ordine intentionis post prævisionem meritorũ; quia vt ex dictis constat, & Mastrius fateri tenetur, gloria, vt corona, essentialitèr dependet à meritis, ab illis est impræscindibilis, & relationem dicit ad illa. Si verò sumatur replica ex eo, quod Incarnatio, vt Redemptio, est bonum occasionatum; cum hoc probari nequeat, nisi ob essentialem dependentiam à peccato, vel ob impræscidibilitatem ab illo, vel ob relationẽ ad illud; probabit etiam, gloriam, vt coronam, esse etiam bonum occasionatum ob easdem rationes. Quid ergo? Erit ne dicendum, quod Incarnatio, vt Redemptio, antecedit ordine intentionis prævisionem peccati? Absit. Quid igitur dicendum? Dicendum est, quod gloria, vt corona, est ordine intentionis post prævisionem meritorum; cum eadem omnino sit ratio de gloria, vt corona, ac de Incarnatione, vt Redemptio est. Nulla est ergo in doctrina Mastrij vtraque illius solutio. Vltrà quæ prima solutio de ordine intentionis, & executionis rationibus impugnata manet à nobis *tom. 2. in 1. Sent. disp. 65. num. 88. 89. & 90.* & etiam reijcitur probatione sequenti.

Probatur quintò conclusio ad hominem etiam contra omnes Theologos, in hoc nobis adversarios: Incarnatio quoad circunstantiam temporis supponit ordine intentionis merita SS. Patrum antiquorum: ergo similitèr: gloria quoad circunstantiam coronæ, & præmij, supponit ordine intentionis prævisionem meritorum: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, supponit ordine intentionis merita prævisa. Antecedens est apud omnes Theologos certum, vt diximus *tom. 1. in 3. Sent. disp. 13. num. 8. & seqq.* Prima consequentia probatur: non minus gloria, vt corona, supponit merita iustorum, ac Incarnatio quoad tempus suponit merita SS. Patrum Antiquorum; sed iuxtà omnes Theologos Incarnatio quoad circunstantiam temporis supponit ordine intẽtionis merita SS. PP. Antiquorum: ergo gloria quoad circunstantiã coronæ, & præmij, supponit ordine intentionis prævisionem meritorum.

168 *Probat. 5. conclusio.*

§. XI.

Ratione ex Scoto deducta probatur conclusio contra Mastrium.

169 OMmisis rationibus, quibus *tom. & disput. citat. §. 7. & 8.* nostram probavimus conclusionem, vbi videri valent. Ommisisque rationibus, quibus Amicus *citat. quæst. 4.* Bazquez *citat. cap. 9.* probant nostram conclusionem, quas adducunt Mastrius *citat. à num. 193. vsque ad 207.* & Ill. God. *à num. 113. vsquè ad 139.* Et denique ommisis rationibus ab inconvenienti, quas tradit Ill. Godoy *à num. 140. vsquè ad 156.* & simul cum

alijs

alijs ex Amico Mastrius *à num.* 211. *vsquè ad finem quæst.* probatur conclusio ratione ex Scoto deducta: Intentio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ,& præmij, nequit esse in Deo, quin sit determinata in tanto, vel tanto gradu gloriæ; sed intentio efficax prædestinatorum ad gloriam nequit esse determinata in tanto, vel tanto gradu gloriæ absquè prævisione meritorũ: ergo intentio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ,& præmij,est post merita prævisa. consequentia tenet. Maior est certa. Primò: quia nulla est ratio suadens, Deum in executione dare gloriam in pondere,& mensura, & non sic in intentione destinare, cum hoc in Rege creato videatur, qui non solum determinat dona in distribuendo, sed etiam in promittendo. Secundò:quia Deus nequit habere intentionem dandi gloriam per modum coronæ, quin eam cognoscat,non solũ quoad entitatem, verum etiam quoad gradus illius. Probatur minor: gloria determinata in tanto, vel tanto gradu, est mensurata per merita; sed mensuratum nequit efficacitèr intendi absque prævisione mensuræ:ergo intentio efficax prædestinatorum ad gloriam nequit esse determinata in tanto,vel tanto gradu glorię absquè meritorum prævisione.

Probatur conclus. ratione deducta ex Scoto.

170 *Prædicta ratio est Licheti ex Scoto deducta.*

Hæc est ratio, ex cuius efficatia motus est Lichetus ad asserendum, quod licèt electio ad gloriam, absolutè loquendo, fiat ante prævisa merita; electio tamen ad tantam gloriã non est facta,nisi prævisa meritorum quantitate, quæ verba expræssè includunt vtramque nostram conclusionem. Imò hoc gravissimè fundat; nam *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 3. illud deducit ex Scoto dicente: *Merita cadunt sub prædestinatione, sine quibus non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriam sine eis, sicut cum eis.* Quibus verbis Doctor egregiè significat, prædestinationem ad tantam gloriam supponere merita prævisa; ideòque inquit Lichetus:quod in illo priori non prędestinat tibi Deus tantam,vel tantam gloriam, sed præcisè prædestinat ad gloriam absolutè.

171 *Respondet Mastrius.*

Hæc est ratio à nobis tacta *tom. & disput. citat. num.* 93. *&* 94. *num. què* 95. promisimus responsionem Mastrij in hoc tomo assignare, & refutare. Respondet itaquè Mastrius *cit. num.* 210. negando minorem, ad cuius probationem distinguit maiorem: gloria determinata in tanto, vel tanto gradu, est mensurata per merita ordine executionis, concedit maiorem;ordine intentionis, negat maiorem; quia licèt ordine executionis merita sint mensura gloriæ; ordine verò intentionis gloria est mensura meritorum, cum ordine intentionis inversus observetur ordo.

172 *Ad verba Scoti.*

Ad verba ex Scoto tradita respondet *num.* 209. consequentèr ad dicta, scilicèt, quod Doctor solum intendit, quod ordinatio ad gloriam tantam, non mandaretur ita congruè executioni sine meritis,sicut cum eis; non autem vult, quod præordinatio ad tantam gloriam sit etiam præordinatio meritorum, vel hanc supponat; nec etiam ibi intendit Doctor docere,Deum prædestinasse naturam à Verbo assumptam ad gloriam summam, quia priùs eam ordinaverit ad vnionem hypostaticam;sed solum intendit,talem vnionem in ordine executionis esse volitam, vt medium ad gloriam,vt ex illis verbis non obscurè deducitur: *Non tanta gloria fuisset ei conferenda, si non esset vnita.* Quibus verbis manifestè indicat, se esse locutum de ordine executionis, etiam in præparatione Divinę voluntatis post electionem ad gloriam in ordine intentionis, adeò,quod de mente Scoti nullus remaneat dubitandi locus; quod etiã Lichetus *cit.* fateri videtur.

173 *Solutionem firmat.* 1.

Hanc solutionem multis connatur validare Mastrius *num.* 208. Primò: quia non magis absoluta voluntas mediorum,ex voluntate absoluta finis exoritur, quam determinata voluntas mediorum in particulari ex determinata voluntate finis in particulari: ergo si electio meritorum absolutè ex intentione gloriæ absolutè exoritur, sic paritèr electio tot, & talium meritorum oritur ex gloria prę-intenta in tanto, vel tanto gradu. Secundò: quia non solum intentio finis est causa electionis mediorum, sed etiam est mensura electionis mediorum; vndè ex voluntate generali salvandi omnes, quia non est absolutè efficax,oritur electio mediorum duntaxat sufficientium,ex voluntate verò speciali circa prædestinatos, quia est

Secundò.

efficax, oritur electio mediorum efficacium: ergo paritèr: electio ad talia, & tanta merita pro hoc electo oritur ex intentione gloriæ in tanto, vel tanto gradu. Tertiò: quia illa voluntas beatitudinis, abstrahendo à determinato gradu, esset confusa, quæ Deo repugnat; nam illa voluntas est confusa, quæ obiectum non attingit, secundum rationem particularem, sed solum secundum quandam rationem communem, & abstractam, talis autem esset illa voluntas beatitudinis, à determinato gradu abstrahentis.

Tertiò.

174 *Solutio impugnata manet.*

Verum hæc Mastrij solutio elidi-
tur ex argumentis iam factis ad hominem contra ipsum *à num.* 155. *vsq*; *ad num.* 168. Neque vim habent ea, quibus solutionem validare connatur. Ad primum namque distinguo antecedens: non magis, & eodem modo absoluta voluntas mediorum, ex voluntate absoluta finis exoritur, quam determinata voluntas mediorum in particulari ex determinata voluntate finis in particulari, nego antecedens; & diverso modo, concedo antecedens, & nego consequentiam; nam absoluta voluntas mediorum oritur ex absoluta voluntate finis, quin media sint occasio, votivũ, & incitativum voluntatis absolutæ finis; ast determinata voluntas mediorum in particulari oritur ex determinata voluntate finis in particulari, medijs ingredientibus, tanquam occasio, motivum, & incitativum determinatæ voluntatis in particulari; ideòque hæc media supponuntur vissa ordine intentionis ante voluntatem finis.

Respondeo ad confirm.

Ad 1.

175 *Ad 2.*

Ad secundum distinguo similitèr antecedens: electio finis, sumpta sine occasione, motivo, & incitativo, non solum est causa electionis mediorum, sed etiam est mensura electionis mediorum, omitto antecedens; electio finis, sumpta ex occasione, motivo, & incitativo, nego antecedens, & consequentiam ob disparitatem datam *numer. anteced.* Et licèt facilius, & clarius possint hæc satisfieri per dicenda in solutione ad illam rationem: *Omnis ordinatè volens, prius vult finem, quam media ad illum*, ex qua deducuntur, vt fatetur Mastrius *num.* 208. quod faciemus §. 15. solvendo Mastrij argumenta, hic ea omitto, vt hic applicanda; quin retorsionem in ipsum omitam.

Retorqueo itaquè contra Mastrium: non magis absoluta voluntas mediorum ex voluntate absoluta finis exoritur, quam determinata voluntas mediorum in particulari ex determinata voluntate finis in particulari: ergo sicut electio Incarnationis absolutè, seu quoad substantiam, ex intentione manifestationis gloriæ Dei absolutè exoritur, nullo habito incitativo, motivo, & occasione; ita electio Incarnationis in particulari, seu vt est Redemptio, ex prædicta intentione exoritur, nullo habito incitativo, motivo, & occasione: ergo peccatum non fuit occasio, motivũ, & incitativum electionis Incarnationis, vt Redemptio est: ergo Incarnatio, vt est Redemptio, non supponit in ordine intentionis prævisionem peccati. Atqui hæc omnia sunt contra Mastrium ex dictis §. 10. *per totũ*: ergo solvere tenetur, quod contra nos opponit. Solvat ergo, & pro nobis solvet.

176 *Retorqueo cõtra Mastrium.*

Ad tertiam respondeo primò negando antecedens, & distinguendo probationem: illa voluntas est confusa, quæ obiectum non attingit secundum rationem particularem pro illo signo, quo ratio particularis est attingibilis, concedo probationem; pro signo, quo ratio particularis non est attingibilis, nego probationem. Itaquè: vt voluntas non sit confusa, sufficit, quod attingat obiectum secundum rationem, secundum quam est attingibile pro illo signo; cum ergo in signo, in quo eligitur gloria quoad substantiam, vel absolutè, non sit signum eligendi gloriam per modum præmij, & coronæ, licèt abstracta ab his modis eligatur, voluntas non est confusa.

177 *Ad 3. respond. 1.*

Hæc solutio est apud omnes vera; claret enim generalitèr in omni essentia respectu modorum, vel passionum, quæ pro primo signo attingitur, & non confusè, abstracta à modis, & passionibus, & quod in essentijs rerum contingit, contingit etiã in earum decretis ex dictis *numer.* 18. Claret etiam specialitèr, & ad hominem contra Mastrium in decreto Incarnationis quoad substantiam, quæ in primo signo decretatur abstracta à modis passibilitatis, vel impassibilitatis, quin ob hoc sit confusum tale decretum, vt fatetur Mastrius.

178 *Claret solutio.*

De-

179 *Ampliùs claret ſolutio.*

Deniquè claret ſpecialitèr, & ad hominem contra Thomiſtas, in electione efficaci pœnitentiæ, vt Omnipotentiam Dei manifeſtat, quin ſit electio ipſius, vt eſt remiſsiva peccati, de quo videantur dicta *tom. 2. in 1. Sentent. diſput. 63.* Item: in electione ad pœnam, vt eſt oſtenſiva iuſtitiæ vindicativæ Dei, quin ſit electio pœnæ, vt pœna eſt, & malum alterius, de quo Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. diſput. 63. num. 71.* Item: claret in electione efficaci negandi reprobis gloriã prout eſt beneficium indebitum, quin ſit electio negandi illis gloriam per modum pœnæ reduplicativè, vt plures Thomiſtæ tenent. Ex his itaquè contra Maſtrium, & Thomiſtas eiuſdem opinionis variæ retorſiones poſſunt confici.

180 *Reſpond. 2.*

Reſpondeo ſecundò negando antecedens, & alitèr probationem diſtinguendo: illa voluntas eſt confuſa, quæ obiectum non attingit ſecundũ rationem particularem ſpecificam, vel individualem, omitto; ſecundum rationem particularem accidentalem, nego. Itaquè: licèt voluntas gloriæ, præſcindens à ratione particulari ſpecifica, vel individuali, ſit confuſa (de quo non curo) voluntas tamen præſcindens à ratione particulari accidentali, qualis eſt voluntas gloriæ abſtrahens à modo hæreditatis, & præmij, confuſa non eſt. Hæc doctrina eſt etiam Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. diſput. 65. num. 58.* dicentis: *Licèt poſsit efficax electio à modis accidentalibus obiecto præſcindere, non tamen à differentijs, ſivè ſpecificis, ſivè individualibus; cum ſine illis obiecto repugnet exiſtere, & electio efficax ſuo obiecto exiſtentiam communicet; at electio ad iſtam viſionem beatificam in particulari, neceſſariò connotat peculiare ſubiectum, & peculiarem potentiam vitalem; cum vna viſio numero, non poſsit à duabus potentijs vitalibus indifferentèr procedere, nec eſſe in duobus ſubiectis.*

181 *Alitèr reſpondet. ad 1. & 2.*

Sed vt omnia, quæ Maſtrius adducit in ſolutione noſtrę probationis, ſolvamus, reſponderi poteſt ad primã, & ſecundam illius rationem, quod finis hominis, ad quem primo, & principalitèr prædeſtinatur, eſt beatitudo abſolutè ſumpta; tanta verò, vel tanta gloria non dicitur abſolutè eius finis, ſed finis illius ſub tali, vel tali merito conſtituti. Hæc eſt ſolutio Licheti, quam dupliciter impugnat Maſtrius.

182 *Impugn. 1. Maſtrius ſolutionem hanc.*

Primò: quia gloria dicitur finis hominis, quatenus eſt bonum eius vltimum; at magis involuit rationem vltimi boni in certo, ac determinato gradu ſpectata, quam abſolutè, & in communi accepta: ergo tanta, vel tanta gloria eſt abſolutè finis hominis. Maior patet. Probatur minor: quia in determinato gradu ſumpta ad explendum rationalis creaturæ appetitum proximè ordinatur, & in certo gradu debet ei communicari, vt eius appetitus expleatur, non autem in abſtracto, vel in gradu indeterminato: ergo gloria magis involuit rationem vltimi boni in certo, ac determinato gradu ſpectata, quam abſolutè, & in communi accepta.

183 *Impugn. 2.*

Secundò: quia ſi quis Romanam Curiam adiret, vt aliquam dignitatẽ ſic in abſtracto, & confuſio ſibi acquireret, eſſet vtique providentia minus perfecta, quam ſi ab initio ſibi propoſſuiſſet certum honoris gradum adipiſci, vt Epiſcopatum, v. g. vel Cardinalatum; nam ex hac poſteriori intentione ad mediorum electionem tali intentione commenſuratam deindè procederet; non ſic ex vi prioris intentionis, quæ eſt indeterminata, & confuſa; cum ergo modus providentiæ Dei ſpecialitèr circà prædeſtinatos ſit perfectiſsimus, dicendum eſt, in primo ſigno decernere illis gloriam, nedum in abſtracto, ſed in tali determinato gradu, & deindè media in alio ſigno huic intentioni, & fini commenſurata illis diſponere, & procurare.

184 *Probat. ex Suario.*

Hoc idem (proſequitur Maſtrius *num. 209.*) probat Suarez loco *citat.* ex Auguſtin. *tract. 68. in Ioann.* vbi inquirens, quomodo dixit Chriſtus Dominus: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt,* & ſubderit: *Vado parare vobis locum,* reſpondet: manſiones iam eſſe in prædeſtinatione, & electione, parari autem gubernatione; Idem ſignificavit Bernardus *Serm. 24. in Cantic. Non omnibus vno in loco, frui datur gratia, & ſecreta ſponſi præſentia, ſed vt cuique paratum eſt à Patre, non enim nos ipſum elegimus, ſed ipſe elegit nos, & poſſuit nos, & ibi vnuſquiſque poſitus fuerit, ibi erit.* Pro quo etiam citat D. Bonavent. *tom. 2. Opuſc. de ſeptem itineribus æternitatis, diſt. 1. ſect. 2.*

185

Sed neque hæc vim habent con-

Respond. ad 1. Impugn.

tra solutionem Licheti; ad primum enim respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem: magis involuit rationem vltimi boni in certo, ac determinato gradu spectata, quam absolutè, & in communi accepta., ly *magis* absolutè, vel essentialitèr accepto, nego minorem; ly *magis* gradualitèr capto, concedo minorem, & distinguo probationem quoad primã partem: gloria in determinato gradu sumpta ordinatur proximè ad explendum essentialitèr præcisè appetitum rationalis creaturæ, nego; ad explendum gradualitèr, concedo. Distinguo similitèr secundam partem: gloria in determinato gradu debet homini cõmunicari, vt eius appetitus expleatur gradualitèr, concedo; essentialitèr, nego. Solutio claret ex dictis *tom. 1. in 2. Sentent. disput. 2.* vbi argumenta ex defectu satietatis solvimus.

186 *Ad 2.*

Ad secundum nego antecedens, & vt falsitas illius appareat, & contra Mastrium fiat retorsio, quæro ab illo, quæ providentia esset, si quis Romanam Curiam adiret, vt aliquam certam dignitatem acquireret, v.g. Episcopatum, vel Cardinalatum, quin intuitu meritorum sit motus, & incitatus, vel occasione meritorum expectatus? Hæc certè providentia minus perfecta esset, vt est de se manifestum. Et quæ (iterum à Mastrio inquiro) providentia esset, si quis intuitu meritorum motus, & incitatus, vel occasione meritorum expectatus, Romanam Curiam adiret, vt certam dignitatem acquireret, v. g. Episcopatũ, vel Cardinalatum? Certè hæc esset perfectissima providentia, vt est luce clarius. Cum ergo Divina erga prædestinatos providentia sit perfectissima, dicendum est: Deum non decernere illis determinatam gloriam, quin intuitu meritorum sit motus, & incitatus, & consequentèr decretum de tanta gloria prædestinatis conferenda, merita prævisa supponere debet.

187 *Ad prob. ex Suario.*

Ad probationem, quam ex Suario adducit Mastrius, respondetur, nihil contra nos adducere, quin potiùs omnes illæ Authoritates Patrum nostræ conclusioni fabere, vt patet ex dictis *num.* 143. & 144. vltrà quod clarebit ex dicendis §. 13. vbi Authoritatibus Scripturæ, & Patrum occurremus, & ex §. 16. vbi eisdem authoritatibus vtranque simul conclusionem probabimus.

188 *Ad respõs. ex verbis Scoti.*

Nec Mastrio fabet solutio ad Scoti verba, tum, quia illa solutio iam impugnata manet *num.* 155. & *seqq.* tum quia ad summum convincere valet, Scotum esse problematicum, quod dixit Lichetus cum alijs Scoti Expositoribus, quos citavimus *num.* 28. Ex quo manifestè apparet, debuisse Mastrium omisisse verba illa: *Adeò, quod de mente Scoti nullus remanet dubitandi locus*, præsertim cum ipse Mastrius *num.* 60. fateatur: Scotistas prædictos Socutum fecisse in hac materia problematicum.

§. XII.

Probatur conclusio destruendo præcipuum Mastrij fundamentum.

189 *Probat. 1. cõclus. destruẽdo fundam. Mastrij.*

COnclusio deniquè suprà posita probatur primò, destruendo principale fundamentum Mastrij: Fundamentum principale Mastrij nititur in absoluta veritate huius maximæ: *Ordinatè volens prius vult finem, quam media ad illum finem consequendum conducentia*; atqui hæc maxima non est absolutè vera: ergo ruit principale Mastrij fundamentum. Consequentia est legitima. Maior est ipsius *num.* 103. Minor probatur: si prædicta maxima esset absolutè vera, Deus non solum de facto, verum nec de potentia absoluta poterit efficacitèr eligere homines ad gratiam, & merita absquè præsuppositа efficaci electione ad gloriam; sed hoc est falsum: ergo maxima illa non est absolutè vera. Consequentia infertur. Minor est Mastrij fatentis *num.* 100. Deum ita de facto prædestinasse Angelos, & homines ad gloriam ante prævisa merita, vt absolutè possit oppositam eligendi rationem inire. Probatur maior: ratio, cur Deus de facto prædestinavit homines ad gloriam ante prævisa merita, est iuxta Mastrium *num.* 103. quia ordinatus modus appetendi petit, media proptèr finem appetere; atqui Deus non potest de potentia absoluta inordinatè appetere: ergo si prædicta maxima esset absolutè vera, Deus non solum de facto, verum nec de potentia absoluta poterit efficacitèr eligere homines ad gratiam, & merita absquè præsuppositа efficaci electione ad gloriam.

190

Mastrius infrà *num.* 116. sibi obiecit

cit hanc rationem sub hac formalitate, nempè, quod si illa maxima: *Ordinatè volens prius vult finem, quam media ad illum finem consequendum conducentia*, esset vera, convinceret argumentum, nostram opinionem esse impossibilem, quod esse falsum, constat ex eo, quod non solum possibilis, verum etiam probabilis censeatur ab Authoribus, in hoc nobis adversantibus. Ad ipsam itaquè ante Mastrij solutionem, solutiones aliorum videamus, vtpotè, contra omnes adversarios procedentem.

191 *Respond. 1. Smising.* Respondet primò Smising *tract. 3. disput. 6. quæst. 8. num. 167.* quod licet modus communicandi gloriam ante meritorum prævisionem sit melior, & perfectior, absolutè loquendo; non tamen Deus necessariò ad hunc alligatur, cum Deus his, quæ facit, meliora possit facere; vndè ait, quod potuit Deus prius simplici complacentia, vel efficaci sub conditione velle electis dare vitam æternam, & ideò velle eis dare sufficientia media ad salutem; & deindè prævisso mediorum fructu, atque effectu, velle efficacitèr absolutè dare vitam æternam, de facto tamen primam voluntatem dandi electis vitam æternam fuisse perfectiorem intentionem talis finis, adeòque efficacem absolutè, quod conijci debet ex communi regula iudicandi de illius infinitæ bonitatis communicatione, nam nisi obstet ratio, vel revelatio, de illa bonitate præsumendum est, quod perfectam se communicandi voluntatem habeat pro quocumque signo, tàm rationis, quàm durationis.

192 *Impugnat. à Mastrio.* Hic tamen modus prædestinandi ad gloriam, ab Smising assignatus, ex sola præparatione auxiliorum sufficientium, videtur Mastrio impossibilis, sicque solutionem Smising impugnat: nam gratia sufficiens ab efficaci ex hoc distingui solet: quod efficax infallibilitèr sortitur effectum; non verò sufficiens: ergo nequit Deus ex gratiæ sufficientis effectu prævisso futuro decernere efficacitèr gloriam illi, cui tantùm auxilia sufficientia præparavit; nam si sunt infallibilitèr effectum habitura, iam non tantum sufficientia erunt, sed etiam efficacia. Sic Mastrius *num. 117.* Impugnationem admitto, & solutione admissa.

193 *Impugnat. à nobis.* Magis ad rem solutionem impugno: Deus potest velle efficacitèr dare vitam æternam ex prævisione fructus mediorum; ergo potest Deus velle media prius quam finem: ergo falsa est maxima prædicta: ergo falsum est fundamentum præcipuum opinionis oppositæ. Et ex hoc impugnata manet secunda solutio aliquorum Recentiorum dicentium: Deum post simplicè complacentiã gloriæ omnibus communicandæ, in alio signo quibusdam præparare auxilia efficacia, quorum effectu prævisso decernit, dare illis gloriam ex meritis prævisis. Impugnata (inquam) manet: quia iuxta Authores huius solutionis Deus prius vult media, quam finè, consequentèrq; falsa est absolutè maxima suprà posita.

194 *Respondent Aversa.* Respondet tertio Aversa *quæst 23. sect. 10.* potuisse Deum decernere alicui gratiam finalem, non præcipuè ob finem dandi ei gloriam, sed ob aliũ finem efficacitèr intentum, sibi notũ, & prævisa eius morte in gratia decernere postea, dare ei gloriam, cum quo adhuc stat veritas illius maximæ. Hæc tamen solutio impugnatur: in hoc casu vel gratia finalis est medium consequutionis gloriæ; vel non? Si primum. *Impugnat. hæc solutio.* Infero primò: ergo gloria decretata est finis gratiæ finalis; alioquin gratia finalis non esset medium consecutionis gloriæ decretatæ. Ex quo infero secundò: ergo medium est prius volitum, quam finis; alioquin gloria, quæ est finis, non esset decretata prævisa gratia finali, quæ omnia sunt contra solutionem. Si secundum: ergo gloria in illo casu non dabitur per modum coronæ, & præmij, quia hæc non datur nisi per media: ergo solutio non est ad rem. Patet consequentia primò: quia hic loquimur de gloria per modum coronæ. Secundò: quia loquimur de gloria per media acquirenda, scilicèt, an ante, vel post mediorum prævisionem sit intenta.

195 Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 65. num. 83.* aliam responsionem adducit, quam nos impugnavimus, & totum videndum relinquimus *tom. 2. in 1. Sentent. disput. 65. à num. 104. vsquè ad 112.* & ad Mastrij responsionem progrediamur.

196 *Responsio Mastrij.* Mastrius deniquè pro solutione ad nostram rationem prædictam, aliud adducere non videtur, nisi, quod nostra opinio improbabilis sit; hæc enim sunt verba illius *num. 117.* quia etsi aliqui nostræ sententiæ consortes oppo-

sitam quoque probabilem existiment, non tamen omnes,& quamvis Scotus *distinct.41.* dando facultatem, vt eam quisque possit amplecti, visus sit,eam indicare probabilem, attamen rationem allatam non solvit, nec modum solvendi indicat,signum evidens non eam omnino iudicasse probabilem.

197 Hęc Mastrij solutio miravilis certè in sua subtilitate, & profunditate videtur. Tum:quia Authorem in hoc sibi consortem non adducit. Tum: quia si improbabilem existimat, cur fatigatur ad suam opinionem probabilem reddendam? Tum: quia si, vt ipse fatetur *num.*100.opinio sua, non tàm in ratione, quàm in authoritate fundatur, vbi invenit rationem, vt nostra sit improbabilis? Tum denique:quia Mastrij solutio de condigno meretur, quod dixit Pennotus *lib. 6. Propugnat.cap.*21. nempè: sententiam de electione ad gloriam ante merita prævisa nullam habere probabilitatē.

198 Cæterum vltrà hæc,solutio Mastrij impugnatur primò: quia nostra opinio conformior est Scripturæ,Patribus, D.Bonaventur. D.Thomæ, & Scoto, vt patet ex dictis in discursu quæstionis,& ex dicendis clarebit.Secundò: quia opinio sic conformis, & à tot gravissimis Authoribus propugnata, improbabilis censeri nequit. Tertiò:quia est opinio in authoritate fundata,& validissimis rationibus circunvalata. Quartò tandem: quia ipse Mastrius *num.*64. *in fine*, probabilem censet nostram opinionem: ergo inconsequentèr hic procedit, sicut in Scoti doctrina ab ipso defensata inconsequētèr procedere diximus §.10.

Impugn. 1.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

199 Probatur secundò conclusio destruendo prædictum Mastrij fundamentum: Beatitudo est finis vnionis hypostaticæ; sed vnio hypostatica est ordine intentionis priùs volita, quam beatitudo:ergo stat,quod finis sit ordine intentionis posteriùs volitus: ergo vera absolutè non est illa maxima suprà dicta. Maior cum consequentijs tenet. Minor verò est Scoti *in 3. dist. 7.quæ.3.* Et *dist.32.* Vbi dividendo decreta Dei in instantia,& hæc in signa, sic procedit:ordine intentionis in primo instanti fuit ordo vnionis hypostaticæ in secundo ordo gloriæ,&c. vt dictum habemus *tom.1. in 3. Sentent. disput.8. num.*132.

Probat. 2. cōclus. destruēdo fundam. Mastrij.

200 Probatur tertiò:non minus est de ratione finis esse excellentiorem medijs, quam esse ordine intentionis priùs volitum illis;atqui stat finis non excellentior medijs: ergo stabit finis non priùs illis volitus in intentione: ergo nullum est fundamentum Mastrij. Probatur minor: Beatitudo est finis vnionis hypostaticæ;sed beatitudo non est excellentior vnione hypostatica,quin potiùs vnio est excellentior ex Scoto *in 4. dist.49. quæst.2. §. Ad istam 2. quæst.* cum quo nos idem docuimus *tom.1. in 3. Sentent. disput.11. num.*133. ergo stat finis non excellentior medijs. Hæc duplex probatio sumitur ex à nobis dictis *tom. & disput. citat.num.*138.

Probat. 3. conclusio.

§. XIII.

Solvuntur argumenta Mastrij.

201 MAstrius *in 1. disput.5. quæst.2. artic.2.&* 3.adducit contra nostram secundam conclusionem plura Scripturæ testimonia, pluresque Patrum Authoritates, & quandam ex Concilio Valentino, quæ omnia (exceptis authoritatibus Prosperi, Fulgentij,& Concilij, quas proposuimus *tom.2.in 1.Sentent. disput.65. §.3.*) tradita manent pro probatione nostræ primæ conclusionis. Omnia namquè probant,electionem efficacem ad gloriam præcedere electionem efficacem ad merita:ergo iuxta Scripturam,Patres,& Concilium electio efficax prędestinatorum ad gloriam est ante prævisa merita.

Arguit ex Script P.P. & Concil.

202 Respondeo primò: omnia hæc relata testimonia intelligi de electione efficaci ad gloriam,quoad substantiam, secundum se, & vt est beneficiū indebitum,iuxta dicta *num.*14. & 33. non verò intelligi de electione efficaci ad gloriam per modum coronæ, & præmij, vt constat ex testimonijs pro nostra conclusione secunda traditis *num.*143. Respondeo secundò: prædicta testimonia intelligi de gloria absoluta ab omni circunstantia relationis, & dependentia à meritis; non verò de gloria non sic absoluta, vt claret ex dictis *num.*158.& *seqq.* Respondeo tertiò: intelligenda esse de gloria absolutè;non verò sub hoc,vel illo gradu,vt manet dictum *num.*170. His itaque explicationibus ad Authoritates prædictas manet solutio plusquam sufficiens, infràque ampliùs clarebit.

Respond.1.

Respond.2.

Respond.3.

Ra-

203 *Arguit rationibus.*

Rationibus autem arguit Mastrius *artic.* 4. & primam deducit ex Patribus, altitudinem, & inscrutabilitatem huius misterij cum Apostolo exagerantibus: *O altitudo divitiarū, &c.* Vndè Augustin. locis omnibus suprà citatis *cap.* 9. *de Prædestinat. Sanctor. cap.* 8. *&* 16. *de Bono perseverant.* Et *cap.* 8. *&* 13. *de Correption. & gratia*, tantæ discretionis misterium suscipere, & admirari non desinit, & illius causam omnino se ignorare fatetur; at data nostra sententia nihil admirationis habet illa discretio, quandoquidem ratio, & causa talis discretionis electorum ad gloriam à reiectis facile redditur in illam, nimirum, prævisio meritorum ex parte illorum, ac demeritorum ex parte istorum: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam est ante meritorum prævisionem.

Prima ratio.

204 *NOTA.*

Deindè: ad hanc rationem roborandam, & retorsionem contra ipsam evitandam, probat *numer.* 102. huius misterij profunditatem, & inscrutabilitatem melius salvari in sua, quàm in nostra sententia. Et ante probationem supponit: quod hoc misterium esse omnino inscrutabile, duplicitèr intelligi potest. Primo sic, quod Dei beneplacitum, quo nos ad gloriam eligit, omnem prorsus rationem, tàm ex parte electi, quàm ex parte eligentis excludat. & hoc modo falsum est, hoc misterium esse prorsus inscrutabile, quia ex parte eligentis Dei assignari potest ratio generalis, nempè, ostensio suæ bonitatis in vasa honoris ex Paulo *ad Roman.* 9. Et 2. *ad Timoth.* 2. ac eius magna misericordia ex Augustin. *citat.* quo sensu rectè dixit D. Bonav. *loco citat.* misterium hoc non esse inscrutabile, & hoc ipsum fatetur Scotus *in* 1. *dist.* 41. *quæst. vnic. in fine.*

205

Alio modo dici potest inscrutabile, vt merum Dei beneplacitum solum modo excludat rationem ex parte electi, ac etiam rationem in particulari ex parte eligentis nobis notam, & in hoc sensu hoc ministerium à Paulo, & Patribus dicitur re vera inscrutabile, electionem in merum Dei beneplacitum omnino referentibus, nam ex parte electi, sicut nulla ratio datur, sic nulla reddi potest electionis ad gloriam; ex parte verò eligentis, licèt rationem generalem sciamus, in particulari tamen, seu quoad hunc electum, solus ipse, qui eligit, rationem novit, cur illum prę alijs eligat; & hoc est, quod ait Scotus *in* 1. *dist.* 41. *ad* 1. *in oppositum*: *Quod Apostolus in hoc redarguit præsumptuosos inquirentes illa, quorum non sunt capaces, non autem propter inopiam reddendæ rationis saltim in communi, licet in particulari nesciatur.*

206 *Prob. min.*

Hoc supposito probat: in nostra sententia profunditatem, & inscrutabilitatem huius misterij, sic ab Scriptura, & Patribus assertam, non salvari; benè verò in sua opinione: nam supposita vtriusque opinionis æqualitate pro electione ad gloriam ex parte eligentis; nostra sententia pro electione ad gloriam rationem in particulari ex parte electi, vel prædestinati assignat, nimirum, merita ipsius: ergo nostra sententia non salvat inscrutabilitatem ex parte prædestinati pro electione ad gloriam. Atqui hæc salvatur in sententia Mastrij, quia pro electione ad gloriam nulla est ratio in particulari ex parte prędestinati: ergo profunditas, & inscrutabilitas huius misterij, non in nostra, sed in sententia Mastrij salvatur.

207 *Respondeo ad argum.*

Cœterum hoc Mastrij argumentum, etsi aliquid probet contra Authores secundæ sententiæ, qui ante prævisionem meritorum nullam in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam prędestinatis agnoscunt; contra nos tamen nihil probat, quia cognoscimus ante pręvisionem meritorū voluntatem efficacem in Deo dandi gloriam quoad substantiam prædestinatis, ideòque pro hac electione ad gloriam quoad substantiam nullam rationem in particulari ex parte prædestinati assignamus, & consequentèr eodem modo in nostra, ac in Mastrij sententia, salvatur inscrutabilitas huius misterij.

208 *Respondeo in forma.*

Vndè in forma ad argumentum respondeo, negando minorem, & distinguo probationem imbibitam: ratio, & causa discretionis electorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, à reiectis facilè redditur in nostra opinione, nimirum, pręvisio meritorū ex parte illorum, & demeritorum ex parte istorum concedo; ad gloriam quoad substantiam, secundum se, absolutè, & vt est beneficium indebitum nego probationem, imo, & suppositū, quia hæc electio est ante prævisa merita,

rita, vt conclusione prima statuimus, & firmavimus. Nihil igitur contra nos valet argumentum Mastrij, & quia idem accidit in tertia, & quarta ratione, quas pro se tradit *num.* 118. & 119. ideo eas omitto, & solum secundam objiciemus.

209 *Ratio 2. est Scoti, & D. Thomæ.*

Secunda ratio, quæ (vt ait Mastrius *citat. num.* 103.) est præcipuum suæ sententiæ fundamentum, est physica, & est Scoti *in* 1. *dist.* 41. §. *Potest aliter dici*, & ex Div. Thoma *quæst.* 23. *artic.* 4. Omnis ordinatè volens prius vult finem, quem intendit, quam media ad illum finem conducentia; sed Deus in prædestinando est ordinatissimè volens: ergo in prædestinationis processu prius vult finem, scilicèt gloriam, quam media conducentia ad finem, scilicèt merita; ac per consequès ante prævisionem meritorum, quæ necessariò debet esse post voluntatem dandi illis gloriam. Maior, in qua est difficultas, declaratur ab Aristotel. 7. *Methaphisicæ, text.* 23. exemplo sanitatis, & potionis; nam Medicus, v.g. volens Petro finem, scilicèt, sanitatem, & media ad sanitatem ordinata, vt amaram potionem, prius vult illi sanitatē, & posteà media ad sanitatem ordinata, ita, quod non vult illi sanitatem propter potionem; atque adeò in aliquo priori actu voluntatis ordinatè volentis terminatur ad sanitatem, vt bonum Petro intentum, in quo non terminatur ad potionem, sed tantum in posteriori signo dependentèr ab amore sanitatis, ex quo infert Philosophus, quod *quæ sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione*, id-est, quod finis, qui in executione est vltimus, sit in intentione primus.

Prob. mai. ex Aristol.

210 *Prob. etiam ratione* 1.

Probatur etiam ratione; quia medium, vt medium, non habet aliam rationem boni, nisi vtilis, scilicèt, ad finem consequendum, ac proindè non habet rationem appetibilis, nisi in ordine ad id, ad quod est vtile, hoc est ad finem: ergo causa, seu ratio volēdi medium est voluntas finis. Tum; quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; sed media sunt volita propter finem: ergo tanto magis finis est volitus in ratione causæ respectu volitionis mediorum. Tum; quia si media appeterentur, & non in ordine ad aliquem finem, talis mediorum voluntas, & electio, nedum inordinata esset, sed etiam irrationabilis, quia agens per talia media, propter finem non ageret, sed à casu.

Secundò.

Tertiò.

§. XIV.

Variæ solutiones ad hanc rationem.

211 *Responsiones aliquorum.*

AD hoc argumentum, quod Mastrius vocat præcipuum suę sententiæ fundamentum, estque absquè dubio omnium adversariorum aquiles, variæ sunt responsiones. Aliqui enim negant absolutè maiorem, etsi diversis rationibus. Alij, præmissis concessis, negant consequentiam. Alij verò variè distingunt maiorem, pro quibus videantur Mastrius, & Godoy, qui eas adducunt, & impugnant. Est tamen alia distinctio cuiusdam Recentioris Scotistæ asserentis: veram esse maiorem in his, quæ ex natura rei habent ordinem finis, & medij; falsam verò in his, quæ ex natura rei non habent ordinem finis, & medij, sed ex pacto, & beneplacito ordinantis, vti est in proposito de gloria, & meritis.

Responsio cuiusdam Scotistæ.

212 *Confirmat. exemplis.*

Quam distinctionem exemplis pro vtraque parte manificat: nam si quis vult, v. g. Petrum vivere, vult etiam respirationem, & nutritionem Petri, & certo prius vult vitam, quam respirationem, & nutritionem, quia nutritio, & respiratio, sunt media ex se ipsis ad vitam naturalitèr conducentia, & non possunt esse volita, nisi propter hunc finem, nec potest ea efficacitèr quis velle, quin velit vitam; at si Rex, v. g. vellet efficacitèr Petrum esse Episcopum, vellet etiam ipsum esse doctum, & Sacerdotem, quia Sacerdotium, & doctrina sunt media ad Episcopatum; sed non vellet prius efficacitèr, & irrevocabilitèr Petrum esse Episcopum, quam Sacerdotem, & doctum, quia Sacerdotium, & doctrina non sunt media ex se ipsis naturalitèr conducentia ad Episcopatum; sed tantum ex ordinatione Ecclesiæ, suntque media, quæ possunt esse volita, quin finis, seu Episcopatus, sit efficacitèr volitus.

213 *Respondet in forma ad argum.*

Vndè ad argumentum in forma respondet distinguendo maiorem: ordinatè volens prius vult finem, quam media, quæ conducunt ad finem necessariò, & ex se ipsis naturalitèr, concedo maiorem; quam media, quæ conducunt ad finem ex pacto, & beneplacito ordinantis, nego maiorem; & concessa minori, distinguitur con-

se-

ſequens diſtinctione data. Ad ſuſſumptum diſtinguit antecedens: merita ſunt media ad gloriam conducentia ex ſe ipſis, & naturalitèr, nego antecedens; quia poſſunt eſſe volita, quin gloria ſit efficacitèr volita, vt patet de Iuda proditore, cui Deus dedit gratiam, & merita, & noluit efficacitèr dare finem. Sunt media ex pacto Dei ordinantis, acceptare merita gratiæ, & propter ipſa efficacitèr, & irrevocabilitèr dare gloriam, concedo antecedens, & nego conſequens.

214 Et certè hæc ſolutio eadem eſt, etſi alitèr efformata, cum ſolutione de medijs phiſicis, & moralibus, quam dedit Bazquez *diſput. 89. cap. 13.* quæ quidem ſolutio ex omnibus, ab alijs traditis, mihi probabilior videtur, etſi aliqua ex ipſis vſus eſſem, hæc potiùs eſſet, quam alia. Et ratio eſt: nam hæc præ alijs magnam habet probabilitatē adhuc in ſententia adverſariorum, vt teſtatur Franciſcus Felix, qui licèt *cap. 4. de Prædeſtinatione, diffic. 6.* oppoſitam nobis ſententiam obtineat; tamen *diffic. 5. eiuſdem cap. num. 4.* expræſsè confitetur: maximam illam Scoti, ſcilicèt: *Ordinatè volens priùs vult finem, quam media*, ſolum eſſe efficacem in his, quæ ex natura rei habent ordinem finis, & medis, & hoc eſt, quod convincit exemplum, quod pro veritate illius maximæ adducunt Maſtrius, & omnes illius opinionis ſequaces.

§. XV.

Aſsignatur vera ſolutio, & ad hominem contra Maſtrium firmatur.

215 *Reſpond. 1.* His ergo reſponſionibus in ſua probabilitate relictis, à ſuiſque Authoribus propugnandis. Reſpondeo primò ad argumentum Maſtrij poſitum *num. 209.* diſtinguendo maiorem: Ordinatè volens priùs vult finem, quam media conducentia ad finem quoad ſubſtantiam, ſecundum ſe, vel abſolutè, concedo maiorem; ad finem ſecundum modos, vel circunſtantias, nego maiorem; & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: priùs vult gloriam quoad ſubſtantiā, ſecundum ſe, vel abſolutè, quam merita, concedo conſequentiam; priùs vult gloriam ſecundum modos, vel circunſtantias, quam merita, nego conſequentiam. Solutio patet ex dictis *num. 14. & 15.* abſquè amplioris explicationis indigentia. Nec aliud probat exemplum de Medico potionem volente propter ſanitatem, quia ſanitas eſt finis quoad ſubſtantiam, ſecundum ſe, vel abſolutè; non tamen ſecundum modos, vel circunſtantias. *Ad probat. maior. ex Ariſtot.*

Et iuxtà hanc ſolutionem ad primam probationem à ratione diſtinguo antecedens: medium conducens ad finem quoad ſubſtantiam, ſecundum ſe, vel obſolutè, non habet aliā rationem boni, niſi vtilis, concedo antecedens; medium conducens ad finem ſecundum modos, vel circunſtantias, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo cauſa volendi medium conducens ad finē quoad ſubſtantiam, ſecundum ſe, vel abſolutè, eſt voluntas finis, concedo conſequētiam; conducens ad finem ſecundum modos, vel circunſtantias, ſub diſtinguo: eſt voluntas finis præciſsè, nego conſequentiam; eſt voluntas finis, & voluntas mediorum, concedo conſequentiam. Ad ſecundam probationē concedo totum, quia nihil ex eo contra noſtram concluſionem ſequitur. Ad tertiam totum etiam concedo ob eandem rationem. 216 *Ad 1. prob. à ratione.*

Reſpondeo ſecundò, alijs terminis diſtinguendo maiorem: ordinatè volens priùs vult finem, quam media conducentia ad finem abſolutum ab omni circunſtantia relationis, & dependentia à medijs, concedo maiorem; non abſolutum ab omni circunſtantia relationis, & dependentia à medijs, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo conſequens: prius vult gloriam abſolutam ab omni circunſtantia relationis, & dependentia à medijs, concedo cooſequentiam; non abſolutam ab omni circunſtantia relationis, & dependentia à medijs, nego conſequentiam. Conſtat ſolutio ex dictis *num. 157. & ſeqq.* 217 *Reſpond. 2.*

Reſpondeo tertiò, alijs etiam terminis diſtinguendo maiorem: ordinatè volens priùs vult finem, quam media conducentia ad finem ſecundū ſe, & abſolutè conſideratum, concedo maiorem; ſub hoc, vel illo gradu conſideratum, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo conſequens: priùs vul gloriam, ſub hoc, vel illo gradu conſideratam, nego conſequētiam; conſideratam ſecundum ſe, & 218 *Reſpond. 3.*

absolutè, concedo consequentiam. Solutio claret ex dictis *numer.* 169. & 170. Vndè ait Lichetus *citat.* quod finis hominis, ad quem primò, & principalitèr prædestinatur, est gloria absolutè sumpta; tanta verò, vel tanta gloria non dicitur absolutè eius finis, sed finis illius sub tali, vel tali mirito constituti.

219 *Respond. 4.* Respondeo quartò, alitèr distinguendo maiorem: ordinatè volens priùs vult finem, quam media conducentia ad finem sub ratione finis absolutè considerati, concedo maiorem; sub ratione coronæ, seu præmij considerati, nego maiorem; concedo minorem, & distinguo consequens: priùs vult gloriam sub ratione coronæ, & præmij consideratam, nego consequentiam; absolutè consideratam, concedo consequentiam. Patet solutio per totiès dicta in discursu quæstionis. Vndè ad probationes maioris, secunda, & tertia concessis, primam distinguo supradictis distinctionibus.

220 *Firmatur solutio ad hom. contra Mastrium.* Hæc quadruplex distinctio, in vnicam coincidit, claretque solutio in opinione Mastrij, contraquem ad hominem sic formatur: nam stat optimè, quod Incarnatio secundum substantiam considerata præcedat prævisionem peccati, & quod secundum modum, scilicèt, passibilitatis considerata, subsequatur peccati prævisionem: ergo stat optimè, quod gloria secundum substantiam considerata præcedat prævisionem meritorum, & quod considerata secundum modũ, nempè, per modum coronæ, & præmij, meritorum prævisionem subsequatur. Hæc paritas fusè secuta est *à num.* 14. *vsquè ad* 22. & *numer.* 158. 159. & 160. nec videò, ingenuè loquendo, quam dispariratem adducere valeat Mastrius in hoc nobis adversarius vltrà pro ipso assignatas, & refutatas *à num.* 154. *vsquè ad* 169.

221 *Replicab. 1. pro ipso.* Replicabis tamen primò pro Mastrio contra hanc quadruplicem solutionem: estò sit possibilis electio efficax ad gloriam absolutè, & non vt coronam; procedere tamen ex electione ad illam, vt coronam, est congruentior modus operandi: ergo semel probato, quod efficax electio ad gloriam debet præcedere electionem efficacem mediorum, non debet esse ad illam absolutè, sed ad illam, vt coronam. Respondeo distinguendo antecedens: est congruentior modus operandi pro signo electionis ad gloriam, vt coronam, concedo antecedens; pro signo electionis ad gloriam absolutè, nego antecedens; imò, & suppositum; quia gloria pro illo signo præscindit à rationibus accidentalibus hæreditatis, & coronæ, consequentèrque procedere ad illam, vt coronam, in illo signo est congruentior modus operandi; & distinguo cõsequens: ergo semel probato, quod efficax electio ad gloriam, vt coronã, debet præcedere efficacem electionem mediorum, non debet esse ad illam absolutè, sed ad illam, vt coronam, concedo consequentiam; semel probato, quod efficax electio ad gloriam absolutè debet præcedere efficacem electionem mediorum, non debet esse ad illam absolutè, sed ad illam vt coronam, nego consequentiã. Neque ex hoc inferas: quod talis electio ad gloriam esset confusa; nam ad hoc manet solutio *num.* 177. & *seqq.* *Respondeo.*

222 *Retorqueo replicam.* Deindè retorqueo replicam contra Mastrium: estò si possibilis electio efficax ad Incarnationem absolutè, & non vt passibilem; procedere tamen ex electione ad illam, vt passibilem, est congruentior modus operandi: ergo semel probato, quod electio efficax ad Incarnationem debet præcedere prævisionem peccati, non debet esse ad illam absolutè, sed ad illam vt passibilem, quod totum est contra Mastrium, ideòque, quod ipse ad hoc respondeat, erit nostra solutio.

223 *Replicab. 2. pro ipso.* Replicabis secundò pro eodem: nam iuxtà quadruplicem solutionem traditam, & doctrinam in hac quæstione à nobis adductam, merita sunt finis gloriæ, vt coronæ; sed etiam sunt media illius: ergo sunt finis, & media respectu gloriæ, vt coronæ. Atqui nihil potest esse finis, & medium respectu alicuius: ergo nequeunt merita esse finis, & medium gloriæ, vt coronæ. Tunc sic; sed à nullo dubitari potest: merita esse media gloriæ, vt coronæ: ergo non sunt finis illius: ergo gloria, vt corona, non intenditur propter merita: ergo est ante prævisionem meritorum.

224 *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: merita sunt finis gloriæ, vt coronæ, sumpto fine pro occasione, motivo, vel incitativo, concedo maiorem;

rem; ſumpto fine alio modo, nego maiorem; concedo minorem, & diſtinguo conſequens diſtinctione data. Diſtinguo ſimiliter primam ſuſſumptam cum conſequentia; & conceſſa ſecunda, diſtinguo ſimiliter conſequens primum, & ſecundum, & nego vltimam conſequentiam. Itaquè replica procedit ex æquivocatione; quando enim dicimus, gloriam, vt coronam, eſſe intentam propter merita, dicere non volumus, quod merita ſint finis gloriæ, vt coronæ, ſumpto fine rigoroſè, pro eo, ſcilicèt, cuius gratia aliquid fit; ſed tantum dicimus, gloriam, vt coronam eſſe intentam propter merita, quatenus merita ſunt occaſio, movivum, & incitativum eligendi gloriam, vt coronam; & cum hoc ſufficiat, vt merita præſupponantur viſſa ordine intentionis ad gloriã, vt coronam, ideò aſſerimus: gloriam, vt coronam, ſupponere prævisionem meritorum.

225 *Explicatur ſolutio.*

Hæc eſt ſolutio, cuius intelligentiam, vellit, nolit, debet fateri Maſtrius iuxtà doctrinam ab ipſo traditã *in 3. diſput. citat.* Explicaturque paritate Incarnationis toties repetita, & ſemper contra Maſtrium repetenda: nam Incarnationem, vt paſsibilem, eſſe propter peccatum, nihil aliud eſt, quam peccatum eſſe occaſionem, motivum, & incitativum decretandi illam, vt paſsibilem: ergo gloriam, vt coronam, eſſe propter merita, nihil aliud eſt, quam merita eſſe occaſionem, motivum, & incitativum decretandi illam, vt coronam. Item: pœnitentiam, vt remiſsivam peccati, eſſe propter peccatum, nihil aliud eſt, quã peccatum eſſe occaſionem, motivum, & incitativum pœnitentiæ. Item: excluſionem a gloria per modum pœnæ reduplicativè eſſe propter demerita perſonalia, nihil aliud eſt, quam perſonalia demerita eſſe occaſionem, motivum, & incitativum talis excluſionis. Deindè: excluſionem ad gloria per modum beneficij indebiti eſſe propter originale peccatum, vt loquitur Ill. Godoy, nihil aliud eſt, quam peccatum originale eſſe occaſionem, motivum, & incitativum talis excluſionis. Deniquè: pœnam, vt pœnam, eſſe propter culpam, nihil aliud eſt, quam culpam eſſe occaſionem, motivum, & incitativum decernendi pœnam. Sic ſimiliter.

Sicut ergo in hoc exemplo à paritate ſumpto contra Maſtrium idem eſt medium, & finis, ſumpto fine pro occaſione, motivo, & incitativo, ita in præſenti merita ſunt reſpectu gloriæ, vt coronæ, media, & finis, fine capto pro occaſione, motivo, & incitativo electionis ad gloriam per modum coronæ. Et ſicut in exemplis prædictis id, quod eſt medium, & finis, ſumpto fine pro occaſione, motivo, & incitativo, præſuponitur ad finem ſtrictè captum in ordine, tàm executionis, quàm intentionis, vt Maſtrius debet fateri; ita in propoſito, merita, quæ reſpectu gloriæ, vt coronæ, ſunt media, & finis, fine ſumpto pro occaſione, motivo, & incitativo, præſupponuntur ad gloriam, vt coronam, quæ eſt finis ſtrictè captus, in ordine, tàm executionis, quam intentionis. 226

Et iuxtà hanc doctrinam poteſt quinto reſponderi ad argumentum principale Maſtrij diſtinguendo maiorem: ordinatè volens priùs vult finem, quam media, quæ non ſunt occaſio, motivum, vel incitativum volendi finem, concedo maiorem; quæ ſunt occaſio, motivum, vel incitativum volendi finem, nego maiorem; & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: ergo priùs vult gloriam, ad quam merita non ſunt occaſio, motivum, vel incitativum illam volendi, quam merita, concedo conſequentiam; priùs vult gloriam, ad quam volendam merita ſunt occaſio, motivũ, vel incitativum, quam merita, nego conſequentiam. 227 *Reſpond. 5. ad argum.*

Et iuxtà han ſolutionem conceſſis ſecunda, & tertia probatione maioris, ad primam diſtinguo antecedens: medium, quod non eſt occaſio, motivum, vel incitativum eligendi finem, non habet aliam rationem boni, niſi vtilis, omitto antecedens; medium, quod eſt occaſio, motivum, & incitativum eligendi finem, non habet aliam rationem boni, niſi vtilis, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo cauſa volendi medium, quod non eſt occaſio, motivum, vel incitativum volendi finem, eſt voluntas finis, omitto conſequens; mediũ, quod eſt occaſio, motivum, vel incitativum volendi finem, ſubdiſtinguo: eſt voluntas finis præciſsè, nego conſequentiam; eſt voluntas finis, & vo- 228 *Ad probat. maioris.*

lun-

luntas ipsa mediorum, concedo consequentiam. Solutio patet ex proximè dictis, & paritate Incarnationis positæ *num.* 145. & 168. simul cum paritate de Beatitudine, & vnione hypostatica facta *num.* 200. firmatur ad hominem contra Mastrium.

§. XVI.

Vtraque simul probatur conclusio, & tertia statuitur.

229 *Probat.* 1. *ex Scriptura.*

VTraque seorsim probata conclusione, vtraque simul venit probanda, & primò authoritate Scripturæ: Omnia Scripturæ testimonia pro prima conclusione relata probat optimè, quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, secundum se, vel absolutè, est ante merita prævisa; sed omnia Scripturæ testimonia pro secunda conclusione adducta æquè optimè probant, quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, & præmij, est post merita prævisa: ergo electio efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam est ante merita prævisa, & ad gloriam, v coronam, post prævisa merita, quod est vtraque simul conclusio nostra. Consequentia est legitima. Minor constat ex dictis *num.* 143. Maior autem ex allatis *num.* 39.

230 *Probat.* 2. *ex August.*

Probatur secundò ex D. Augustin. *qui lib.* 1. *ad Simplicianum, quæst.* 2. exponens illud ad *Roman.* 9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, duas agnoscit electiones, alteram præmisso examine, quæ dicitur electio iustitiæ; & alteram nullo præmisso examine, quæ dicitur electio gratuita. Atqui hæc secunda electio convincit iuxtà Authores primæ sententiæ nostram primam conclusionem, & electio prima convincit iuxtà Authores secundæ sententiæ nostram secundam conclusionem: ergo Augustin. vtramque simul nostram conclusionem probat. Consequentia est legitima. Minor certa.

231 *Prob. mai. ex August.*

Maior patet ex verbis D. August, *citat.* sic multo ante medium loquentis: *Non electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio, nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur, vndè, quod dictum est, qui elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.* Item *ibidem* hæc habet Augustinus: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, ideſt, non quia invenit Deus opera in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum iustificationis ipsorum, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideò invenit opera, quæ iam eligat ad Regnum Cœlorum.* Et denique *circa finem quæstionis* concludit: *Quod si electio fuit aliqua, vt sic intelligamus, quod dictum est, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, non vt iustificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed vt eligantur, qui iustificentur, certè ita occulta est hæc electio, vt eadem conspersione nobis aparere non possit.* Ex quibus verbis August. agnoscere electiones prædictas, diximus *n.* 131.

232 *Confirmat. ex ipso.*

Confirmatur ex eodem: nam *Serm.* 7. *de Verbis Domini, secundum Matth. tom.* 10. admittit D. August. duplex genus electionis, docens: Apostolos electos fuisse, & secundum misericordiam Dei, & secundum illorum iustitiam. Denique: *lib. de Prædest. Dei, cap.* 2. & 3. distinguit duplex genus prædestinationis, alterum alligationis, & potentiæ; alterum conditionis, & iustitiæ. Atqui primum ex his generibus rectè ostendit iuxtà Mastrium, & suæ opinionis Sectatores, electionem, seu prædestinationem ad gloriam quoad substantiam, secundum se, vel absolutè, esse ante prævisionem meritorum; secundum autem ostendit rectè iuxtà Authores secundæ sententiæ electionem, seu prædestinationem ad gloriam per modum coronæ, esse post prævisionem meritorum: ergo vtrãque nostram conclusionem probat August. rectè.

233 *Probat.* 3. *ex D. Bonavent.*

Probatur tertiò ex D. Bonaventura, qui *in* 1. *dist.* 41. *artic.* 1. *quæst.* 2. *num.* 15. sic ait: *Quod cum quæritur, vtrum Dei electio motivam rationem habeat, quantum ad ordinationem voliti ad eius voluntatem, si quæratur ratio causalis, vel meritoria? Respondetur, quod dari non possit.* Ecce electionem absolutam, & efficacem prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, secũdum se, vel absolutè ante merita prævisa, quæ est nostra prima conclusio. Et *num.* 16. ait: *Si quæratur, quarè magis voluit salvare Petrum, quam Iudam? Respondetur, quod ille habuit bona merita; non iste.* Ecce electionem absolutam, & efficacem prædestinatorum ad gloriam, per modum coronæ post merita prævisa, quæ est nostra secun-

da

da conclusio: ergo vera est iuxtà Doctorem Seraphicum vtraque nostra conclusio.

234 *Probat. 4. ex D. Thom.*

Probatur quartò ex Angelico Doctore: nam 1. *part. quæst.* 23. *artic.* 5. *ad* 3. ait: *Quarè hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi Divinam voluntatem.* Item *quæst.* 6. *de verit. artic.* 2. hæc habet: *Quod Deus velit alicui dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Et *artic.* 6. *Præscientia* (inquit) *meritorum, vel propriorum, vel aliorum non est causa prædestinationis.* Et *in cap.* 9. *Epist. ad Rom. lect.* 3. *Non potest esse, quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi, aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditèr aliquos liberat.* Deniquè: *super cap.* 1. *Epist. ad Ephes.* exponens hæc verba Apostoli: *In quo etiam sorte nos vocati sumus prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, hæc subdit: *Ponit Apostolus voluntariam Dei prædestinationem, cuius quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas: propter quod subdit, secundum propositum eius.* Ecce electionem absolutam, & efficacem prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam, secūdum se, vel absolutè, ante merita prævisa, quæ est nostra prima conclusio.

235

Deindè D. Thomas postquam adduxit opinionem quorumdam, ita vertentium illa verba Pauli *ad Rom.* 8. *Quos præscivit conformes fieri imaginis filij sui, hos prædestinavit*, vt iuxtà illorum versionem prævisio meritorū sit ratio prædestinationis, sic ait *lect.* 6. *Et hoc quidem rationabilitèr diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur ex meritis.* Ecce electionem absolutam, & efficacem prædestinatorum ad gloriam per modum coronæ, post merita prævisa, quæ est nostra secunda conclusio: ergo vtraq; simul nostra conclusio vera est iuxta Prçceptorem Angelicum.

236 *Probat. 5. ex Scoto.*

Probatur quintò ex Magistro Subtili, qui *in* 1. *dist.* 41. *in fine corporis quæstionis*, hæc habet verba: *De istis opinionibus omnibus, quia Apostolus videtur disputans de ista materia ad Romanos in fine quasi totum imperscutabile relinquere, ò altitudo (inquiens) divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, & quis consiliarius eius fuit, ideò ne scrutando de profundo eatur in profundum, eligatur quæ magis placet, dum tamen salvetur libertas Divina sine aliqua iniustitia, & alia, quæ salvanda sunt circa Deum, vt liberalitèr eligentem, & qui aliam opinionem tenuerit, respondeat ad ea, quæ tacta sunt contra eam.* Ecce electionem absolutam, & efficacem prædestinatorū ad gloriam quoad substantiam, secundum se, vel absolutè, quæ est nostra prima conclusio. Deindè *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 3. ait: *Merita cadunt sub prædestinatione, sine quibus non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriam sine eis, sicut cum eis.* Ecce prædestinationem ad gloriam per modum coronæ, post merita prævisa: ergo iuxtà Scotum vera est vtraque simul conclusio nostra.

237 *Probat. 6. ex doctrina Thomistar.*

Probatur sextò ex doctrina Thomistarum ad hominem contra ipsos: stat, quod pœnitentia, vt est Omnipotentiæ manifestativa, ad vberioremq; gratiam, & perseverantiam conducit, sit ordine intentionis ante prævisionem peccati; & quod ordine prædicto sit post peccati prævisionem, vt est purè remissiva peccati. Item stat, quod pœna, vt est ostensiva iustitiæ vindicativæ Dei, sit ordine intentionis ante prævisionem culpæ; & quod ordine prædicto sit post culpæ prævisionem, vt pœna est, & malum alterius. Deniquè stat, quod efficax exclusio à gloria, vt est beneficium indebitum, sit ante prævisionem peccati ordine intentionis, & quod talis exclusio per modum pœnæ, sit post peccati prævisionem in eodem ordine: ergo stabit, quod electio efficax ad gloriam, vt est manifestativa Divinæ misericordiæ, ostensivaque liberalitatis Divinæ, seu vt est beneficium indebitū, quomodo est gloria quoad substantiam, secundum se, vel absolutè, sit ante prævisionem meritorum ordine intentionis; & quod in eodem ordine sit post prævisa merita, vt est præmium, & corona, quod est vtraque simul conclusio.

238

Antecedens huius triplicis paritatis est Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1. *part.* nam primum docet *disp.* 63. *num.* 67. Secundum habet *disp.* 65. *num.* 79. Tertium concedit *disp.* 69. *num.* 95. de quibus plura diximus *tom.* 2. *in* 1. *Sentent. disputationibus citatis.* Consequētia est à paritate evidens, & quod ad hæc potest pro Thomistis respondere Ill. Godoy, impugnatum ma-

net à nobis *tom. citat. disp. 65. à num. 78. vsquè ad 93.*

239 *Probat. deniquè vtraque conclusio ad hom. cõtra Mastrium.*

Deniquè probatur ex doctrina Scoti ad hominem contra Mastrium: ítat, quod Incarnatio quoad substantiam sit ordine intentionis ante prævisionem peccati, & quod eodem ordine sit post prævisinem peccati, vt est Redemptio, seu secundum modos, & circunstantias considerata (eadem paritas est de Incarnatione quoad substantiam, & quoad circunstantiam temporis respectu meritorum Sanctorum Patrum Antiquorum ex dictis *num.* 168.) ergo stabit etiam, quod gloria quoad substantiam, secundum se, vel absolutè, sit ante prævisionem meritorum ordine intentionis, & quod in eodem ordine sit post prævisa merita, vt est corona, seu secundum modos, & circunstantias considerata. Atqui hæc est vtraque simul nostra conclusio: ergo vtraque simul debet esse apud Mastrium vera, & consequentèr apud omnes etiam Scotistas, eandem doctrinam cũ Magistro profitentes. Quidquid ad hoc dicere valet Mastrius, & valent dicere Scotistæ, reiectum manet *à num.* 155. *vsquè ad* 169.

240 Ex his iam manifestè apparet, mirum non esse, hanc sententiam à nobis propugnari, nam ad ipsam fundamenta præbent Scriptura. D. Bonaventura, D. Thomas, & Scotus. Nec modus illam propugnandi mirabilis, aut nobus est; quia licèt sic defensatã in nullo, quem viderim, invenerim, vt dixi *num.* 29. tamen illum mihi docuit doctrina tradita Scoti *in* 3. de decreto Incarnationis quoad substantiã, & modum, & Scotum sequens Lichetus, hunc modum insinuavit, vt claret ex dictis *num.* 170. quem etiam insinuavit Lesius *disput. de Prædest.* vbi respondendo ad illam maximam: *Ordinatè volens prius vult finem, quam media ad finem conducentia*, ait: quod vt media efficatia, vt talia, eligantur, sufficit intentio efficax gloriæ absolutè, nec est necessaria intentiò efficax illius, vt his præ alijs applicatæ. His itaquè probationibus vtriusque simul conclusionis statutis. Sit.

241 *3. Concluſ.* Tertia conclusio: *Nostra suprà posita sententia est cæteris probabilior.*

Probat. 1. Probatur primò: illa est inter alias probabilior opinio, quæ pro se habet plures Scripturæ Authoritates, plura Patrum testimonia, & plures Scholasticos Doctores; atqui nostra opinio inter alias habet pro se plures authoritates Scripturę, plura testimonia Patrum, & plures Doctores Scholasticos: ergo est cœteris probabilior. Probatur minor: nostra opinio, & non alia, habet pro se omnes authoritates Scripturæ, omnia Patrum testimonia, & ex Scholasticis Doctoribus habet D. Thomam, D. Bonavent. & Scotum: ergo nostra opinio inter alias habet pro se plures authoritates Scripturæ, plura testimonia Patrum, & plures Doctores Scholasticos.

242 *Prob. antecedens.* Antecedens pro D. Bonavent. D. Thoma, & Scoto claret ex dictis *num.* 233. *& seqq.* Pro Scriptura, & Patribus probatur: omnes Scripturæ Authoritates, omniaque Patrum testimonia, vel sentiunt, prędestinationem ad gloriam esse ante merita prævisa, vel post illorum prævisionem? Si primum, probant nostram primam conclusionem, vt claret ex dictis *num.* 39. Si secundum, nostram secundam conclusionem probant, vt liquet ex dictis *num.* 143. atqui non est alia opinio, habens pro se omnes authoritates Scripturæ, omniaque Patrum testimonia; opinio namque de prædestinatione ante prævisa merita habet contra se omnes authoritates Scripturæ, & omnia Patrum testimonia, in quibus prędestinatio dicitur post merita prævisa, & è contra, opinio de prædestinatione post prævisionem meritorum habet contra se omnes Scripturæ authoritates, & omnia Patrum testimonia, in quibus asseritur, prædestinationem esse ante merita prævisa; vt est manifestum: ergo nostra opinio, & non alia, habet pro se omnes authoritates Scripturæ, & omnia Patrum testimonia.

243 *Probat. 2. conclusio.* Probatur secundò conclusio: illa est inter alias opinio probabilior, quę meliùs, & faciliùs salvat omnes authoritates Scripturæ, & Patrum adversus illam militantes; atqui nostra opinio inter alias faciliùs, & meliùs salvat omnes authoritates Scripturæ, & Patrum, militantes adversus illam: ergo nostra inter alias est opinio probabilior. Probatur minor: illa opinio salvat faciliùs, & meliùs omnes authoritates Scripturæ, & Patrum, adversus illam militantes, quæ illas salvat absque replica contra illius explicationẽ;

atqui nostra solum inter alias opinio salvat absque replica contra illius explicationē omnes authoritates Scripturæ,& Patrum, adversus illam militantes: ergo,&c. Probatur minor: ita nostra opinio salvat omnes authoritates Scripturæ, & Patrum, adversus illam militantes, vt non sit replica contra illius explicationem; sed quælibet alia opinio ita salvare conatur authoritates Scripturę,& Patrum adversus illam militantes,vt sint replicę vrgentissimæ contra illius explicationem: ergo,&c. Maior patet ex dictis *num.*140.*&* 202. Minor claret ex allegatis *num.* 144. Et *à num.*40. *vsquè ad* 116. Consequentia est legitima.

244 *Probat. 3. concluſ.* Probatur tertiò conclusio: illa opinio est inter alias probabilior,quæ cum plurima sint Scripturæ, & Patrū testimonia, nullum contra se habet, quin potiùs omnia illi fabent; atqui sola nostra inter alias opinio, ex tot Scripturæ,& Patrum testimonijs,quæ sunt in hac materia, nullum contra se habet, quin potiùs omnia illi fabent: ergo nostra opinio est inter alias probabilior. *Prob. min. pro opinione noſtra.* Minor pro nostra opinione probatur:nostra opinio est hęc:*Electio absoluta, & efficax prædestinatorum ad gloriam quoad substantiam facta est ante merita prævisa;quoad modum verò,& circunstantias, scilicèt, per modum coronæ,& præmij, facta est post merita prævisa*; atqui ex tot Scripturæ,& Patrū testimonijs, quæ sunt in hac materia, hæc opinio nullum contra se habet, quin potiùs omnia illi fabent: ergo nostra opinio ex tot Scripturæ,& Patrum testimonijs,quę sunt in hac materia, nullum contra se habet, quin potiùs omnia illi fabent.Probatur minor: ex tot Scripturę,& Patrum testimonijs,quę sunt in hac materia,quædam probant prędestinationem ante merita pręvisa, & quędam post prævisa merita; sed nullū ex his est contra nostram opinionem, quin potiùs omnia illi fabent:ergo,&c.

245 *Prob. min. pro alijs opinionibus* Minor pro alijs opinionibus probatur:quęlibet alia opinio pręter nostram habet contra se plura Scripturę, & Patrum testimonia: ergo opinio alia non est, quæ ex tot Scripturę, & Patrum testimonijs, quę sunt in hac materia, nullū contra se habeat, quin potiùs omnia illi fabeant. Probatur antecedens: opinio de prædestinatione ad gloriam ante merita prævisa habet contra se omnia Scripturæ, & Patrum testimonia, adducta ab Authoribus pro prędestinatione ad gloriam post prævisa merita; & similitèr opinio de prędestinatione post merita prævisa habet contra se omnia Scripturæ, & Patrum testimonia, adducta ab Authoribus pro prædestinatione ad gloriam ante merita prævisa,vt est apud omnes in confesso:ergo quælibet alia opinio præter nostram habet contra se plura Scripturæ, & Patrum testimonia.

246 *Declaratur* Declaratur hoc: licèt testimonia Scripturæ,& Patrum asserentia, prædestinationem ad gloriam ante merita prævisa, opponi videantur nostræ secundæ conclusioni, & asserentia, prędestinationem ad gloriam post merita pręvisa, opponi similitèr videantur primæ nostræ conclusioni; nullum tamen opponitur nostræ opinioni, quę vtramque conclusionem amplectitur,quin potiùs omnia ei fabent;nam testimonia,quæ opponi videntur secundæ conclusioni, fabent primæ,& quę opponi videntur primę conclusioni,fabent secundę,vt est luce clarius. Certum igitur est,quod ex tot Scripturę, & Patrum testimonijs, quæ sunt in hac materia,nullum contra se habet opinio nostra,quin potiùs omnia illi fabent. Cum itaque nulla alia opinio hoc habeat, quin potiùs plura habeat sibi adversantia;dubium non manet: nostram opinionem esse alijs probabiliorem.

247 *Probat. 4. concluſ.* Probatur quartò conclusio: illa censenda est probabilior opinio, quæ est conformior doctrinis Scotistarū, & Thomistarum; sed nostra opinio inter alias est conformior doctrinis Scotistarum, & Thomistarum: ergo nostra opinio est inter alias probabilior. Probatur minor: nostra opinio est conformior doctrinæ, quam Scotistæ docent de decreto Incarnationis,vt diximus *num.*14.*&* *seqq.* totièsque manet in hac quęstione repetitū. Item: est conformior doctrinis, quas docent Thomistę in hoc tractatu de prędestinatione, & nos assignavimus *num.*237.ipsasque docere Ill. Godoy, diximus *num.* 238. ergo nostra opinio inter alias est conformior doctrinis Scotistarum,& Thomistarum.

248 *Probat. 5. concluſ.* Probatur quinto conclusio: illa opinio,ex qua nullum sequitur absurdum, vel inconveniens, est, & debet

dici probabilior respectu opinionum, ex quibus plura, & quam plurima sequuntur absurda, vel inconvenientia; atqui ex nostra opinione nullum sequitur absurdum, vel inconveniens; ex alijs autem plura, & quam plurima absurda, vel inconvenientia sequuntur: ergo nostra opinio est alijs probabilior. Consequentia est legitima. Maior est nota; est enim securior absque dubio opinio illa. Minor constat in absurdis, vel inconvenientibus, quę vna in aliam opinionem arguit, quę certè non sine sudore magno vnaquæque salvat; dato, quod salvet; in nostra autem opinione nullum apparet.

249 *Prob. denique cõclus.* Probatur denique conclusio: illa est inter alias opinio probabilior, quæ validioribus est firmata rationibus; sed nostra opinio est inter alias validioribus firmata rationibus: ergo inter alias est nostra opinio probabilior. Maior cum consequentia tenet. Minor autem clarissimè patet ex rationibus pro prima, & secunda conclusione traditis, & præsertim de his ad hominem contra Mastriũ probatur: opinio asserens: prædestinationem ad gloriam per modum coronæ, & præmij, esse post merita prævisa, est validissimis rationibus firmata; sed opposita opinio non est validissimis rationibus firmata: ergo inter has opiniones, illa, quę nostra est, est probabilior. Consequentia tenet. Maior, vltrà hoc quod rationes à nobis assignatæ, & aliæ plurimæ ab Authoribus traditæ, illam demonstrant, fatetur à Mastrio *num.* 100.

250 *Prob. min.* Minor verò probatur: illa opinio non est validissimis rationibus firmata, quæ testimonijs Scripturæ, & Patrum potiùs, quam rationibus, nititur; atqui oppositа prędicta opinio testimonijs Scripturæ, & Patrum potiùs, quam rationibus, nititur: ergo prędicta oppositа opinio non est validissimis rationibus firmata. Consequentia est legitimè illata. Maior ex terminis apparet. Minor est ipsius Mastrij, qui *num. citat.* eam in terminis expræsit. Hæc adduxi contra Mastrium, vt dicta à nobis *num.* 197. & 198 adversus ipsum insurgant.

EX TRACTATU DE TRINITATE.

QUÆSTIO VIGESIMA.

An in Divinis sint tantum quinque notiones?

LIcèt hanc quæstionem disputaverim *tom. 3. in 1. Sentent. disp.* 86. eam tamen, sicut alias, disputavi ligatus ad ea, quæ Ill. Godoy adduxit, ob quod nec solutiones plurium adversariorum impugnandas proposui, nec argumenta aliqua contra Scoticam conclusionem obieci, ideòque ad vtrumque in hoc tomo faciendum, promissionem feci *numer.* 32. & 43. Et cum hoc adimpleri nequeat, quin declaretur quid sit notio, & quæ conditiones ad illam requirantur; aliqua hic ex ibi dictis repetere non tantum licet, sed omnino est necessarium. Sit ergo.

§. I.

Certa supponuntur, & referuntur sententiæ.

CErtum est primò: quod nomen *Notio* celebre est apud Scholasticos, & licèt ex se se extendat ad omnia ea, quæ sunt propria Dei, tàm respectivè ad creaturas, quàm respectivè ad personas Divinas; tamen vsus Theologorum, ex quo hoc nomen originem trahit, illud limitavit ad ea, quæ propria sunt Dei respectivè tantum ad personas Divinas, vt illas distinctas notificat. Num. 1 *Nomen notio celebre est.*

Certum est secundò: dari verè à 2

par-

Dantur notiones à parte rei in Divinis.

parte rei notiones in Divinis. Quod ita certum est, ac est certum, dari in Divinis proprietates constituentes, & distinguentes personas, quas esse in Divinis admittendas, docent Theologi: nam ad rationem notionis sufficit, quod sit proprietas, qua vna persona possit cognosci secundum sibi propria, & prout ab alijs distincta, eo autem ipso, quod in Deo adstruantur proprietates constituentes, & distinguentes personas, potest per has proprietates cognosci vna persona, vt ab alijs distincta: ergo eadem certitudine, qua asseruntur à Theologis proprietates constituentes, & distinguentes personas, admitti debent notiones quoad rem significatam hoc nomine.

3 *Notiones non possunt negari sine temeritatis nota.*

Quoad modum autem loquendi, & vtendi hoc nomine *Notio*, esse in Divinis admittendas notiones, adeò certum existimant docti Recentiores, vt oppositum, ad minus sine temeritatis nota, defendi nō possit; eo, quod licet huius nominis vsurpatio non habeatur in Scripturis, & Concilijs, nec ex omnium Patrum communi consensu, reperitur tamen in Basilio *lib. 2. adversus Eunomium*, & *Epistol. 37. ad Gregorium fratrem.* In Cyrilo 1. *Thesauri, cap. 6.* In Augustino 5. *de Trinitate*, dicente: *Alia est notio, qua intelligitur genitor, & alia qua ingenitus.* Et denique absque contradictione aliorum Patrum Ecclesiæ recipitur ab omnibus Scholasticis cum Magistro *in 1. dist. 26. & 28.* à cunctisque Theologis cum D. Thoma, & Subtili Magistro *in præsenti.*

4 *Probat. ratione.*

Hæc veritas probatur: nam specialis ratio, per quam nobis innotescit vna Divina persona, vt distincta ab alia, est notio; atqui Paternitas est specialis ratio, per quam prima persona Divina nobis innotescit distincta à Filio, & Spiritu Sancto (idem de Spiratione, & Filiatione dicendum): ergo Paternitas est notio: ergo & Filiatio, & Spiratio: ergo verè à parte rei dantur notiones inter Divinas personas. *Confirmat.* Confirmatur: nam personæ Divinæ conveniunt, & disconveniunt inter se; conveniunt namque in omnibus, quæ sunt Dei, & disconveniunt per ea, quæ sunt personalia; sed ea, per quę personę Divinę disconveniunt, sunt rationes speciales, per quas nobis innotescit vna persona, vt ab alia distincta, vt patet in Paternitate, per quam Patrem à Filio distinguimus; de Filiatione, per quam Filium à Patre distinguimus, & de Spiratione passiva, per quam distinguimus Spiritum Sanctum à Patre, & Filio: ergo verè à parte rei dantur notiones inter personas Divinas.

Tertiò certum est: quod *Notio* variè à varijs diffinitur: aliqui enim sic notionem diffiniunt: *Notio est ratio propria cognoscendi Divinam personam.* Sic Ill. Godoy. Alij ita diffiniunt: *Notio est signum discretivum, quo vnam personam ab alia discernimus.* Alij denique diffiniunt hoc modo: *Notio est ratio specialis, per quam nobis innotescit vna Divina persona, vt ab alia distincta.* Vocibus differunt; sed omnes in rei veritate in eandem coincidunt; quia tamen vltima est nomini *Notio* propinquior, & conformior, ideo illa vtemur, & illam explicamus.

5 *Diffinitiones notionis.*

Ratio namque ponitur loco generis; nam per illam convenit notio cū quocumque absoluto, quod notio non est: Sapientia enim, & amor, cæteraque absoluta, sunt rationes constituentes Deum in aliquo esse absoluto. Cœteræ verò particulę ponuntur loco differentię; nam per ly *specialis* distinguitur, tum ab omni prędicato absoluto Dei; tum etiam, ab omni prędicato relativo communi, vt persona, & relatio; per nullum namque istorum innotescit aliqua persona, vt ab alia distincta. Ly *innotescit* ponitur ad denotandam distinctionem, quæ versatur inter proprietatem constitutivam personæ, relationem, & notionem; nam licèt omnis proprietas personę constitutiva, & omnis relatio sit notio; non tamen omnis notio est proprietas constitutiva personę, nec relatio. Primum patet in Spirativa, quæ personam non constituit, & est notio. Et vtrumque claret in innascibilitate, quæ est notio, quin sit proprietas constitutiva personæ, & quin sit relatio.

6 *Explicatur diffinitio notionis.*

Ly *Divina persona* ponitur ad denotandum tria. Primum, quod significat aliquid pertinens ad originem, quia ordine originis distinguntur personæ. Secundum, quod sit vnius, in quantum vnum, vel si significat aliquid commune duobus, vt *actio*, *spiratio*, conveniat illis in quantum vnū. Tertium, quod id, quod significat, spectet ad dignitatem; nam persona

7

nomen dignitatis est. Nec ex hoc sequitur, relationes ratione sui dicere perfectionem; quia vt *Notio* dignitatē significet, vel sufficit, vt ait Ill. Godoy, quod denotet perfectionem absolutam, quatenus in personalitate inclusam, & ab eadem de connotato importatam; vel vt ait Scotus *in præsenti* sufficit, quod neget indignitatem, & imperfectionem; nam relationes nullam dicunt perfectionem, omnem tamen imperfectionem negant.

8 *5. conditiones requiruntur ad rationē notionis.*

Ex his itaque certum est quartò: quod quinque conditiones requiruntur ad rationem notionis, licèt tres tantum ab Authoribus communitèr assignentur. Prima: vt sit proprietas alicuius, vel aliquarum personarum, & non communis tribus; nam per ea, quę pœnitus communia sunt, non possunt innotescere personę, & ideò neque essentia, neque aliquid essentiale est notio. Secunda est: vt sint vltimi, & quasi specifici conceptus, & defectu huius, conceptus personales, quasi generici, vt est nomen *Persona*, nomen *Producere*, vel *Produci*, notiones non sunt; quia cum sint communes, non possunt notificare personam, vel personas secundum proprias, & speciales rationes. Tertia est: vt significentur in abstracto, & defectu huius, hæc nomina *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus*, *&c.* notiones non sunt, & ratio est: quia notiones non sunt ipsæ personę, quę notificantur, sed formæ, quibus personę innotescunt. Quarta est: vt significentur, vt formę in facto esse, defectu cuius, origines, vt est *Generare*, *Generari*, *Spirare*, *&c.* notiones non sunt, quia significantur, vt in fieri. Quinta: vt prę se ferat aliquam dignitatem modo, quo diximus *numer. antecedent.*

9 *Proprietas, relatio, & notio se habent, vt superius, & inferius.*

Quintò certum est: quod proprietas, sumpta pro constitutione personę, relatio, & notio se habent sicut superius, & inferius. Hoc consonat cum dictis *num.* 6. & suadetur: nam omnis proprietas constitutiva personę est relatio, & non è contra, cum spiratio activa relatio sit, & nullam personam constituat; & similitèr omnis relatio est notio, & non è contra, nam innascibilitas est notio, & non est relatio. Et dixi notantèr: *Si proprietas sumatur pro constitutivo*, nam si sumatur latiùs, scilicèt, pro conceptu proprio personę, proprietas, & notio convertibilitèr se habent; nam omnis notio est in hoc sensu proprietas, & è contra, omnis proprietas est notio.

10 *5. notiones dantur in Divinis.*

Certum est sextò: dari in Divinis quinque notiones, scilicèt, *Innascibilitas*, *& Paternitas in Patre*, *Filiatio in Filio*, *Spiratio activa in vtroque*; *& passiva Spiratio in Spiritu Sancto.* Hic est generalis consensus Scholasticorum cum Magistro *in* 1. *dist.* 27. *&* 28. Scotistarum cum Doctore Subtili *in* 1. *dist.* 28. *quæst.* 1. *ad* 2. Et *in Report. quæst.* 4. Et Thomistarum cum Angelico Præceptore 1. *part. quæst.* 32. *artic.* 3. Et *in* 1. *dist.* 26. *quæst.* 2. *artic.* 3. Et ita certus (inquiunt Bañez, & Zumel 1. *part.* & Ruizius *disput.* 47. *à num.* 10.) vt oppositum temerarium existiment in modo loquendi, eo, quod à communi Scholasticorum consensu recedant; & ego ita iudico verum, vt oppositum non sit in fide valdè tutum, eo, quod in Scriptura, & Patribus suprà positæ notiones reperiantur.

11 *Probat. 1.*

Et aliorum relictis rationibus, sic hanc veritatem primò probo: nam tot debent esse notiones in Divinis, quot sunt rationes speciales, per quas nobis innotescit vna persona, vt ab alia distincta: ergo dantur in Divinis quinque notiones. Probatur minor: Pater Æternus innotescit distinctus à Filio per Paternitatem, quæ non est in Filio; à quo etiam, & ab Spiritu Sancto innotescit distinctus per innascibilitatem, seu improducibilitatem, cum tàm Filius, quàm Spiritus Sanctus sit productus. Item: Filius innotescit distinctus à Patre per Filiationem. Deindè: Pater, & Filius innotescunt distincti ab Spiritu Sancto per spirationem activam. Et deniquè: Spiritus Sanctus per spirationem passivam ab vtroque innotescit distinctus. Atqui istę sunt quinque rationes speciales, per quas distinctio personarum innotescit: ergo quinque sunt rationes speciales, per quas nobis innotescit vna persona, vt ab alia distincta.

12 *Probat. 2.*

Probatur secundò veritas prædicta: notio, vt ex eius claret diffinitione, est ratio specialis, per quam nobis innotescit vna persona; vt ab alia distincta; sed omnis relatio Divina est specialis ratio, per quam persona Divina, cuius est propria, innotescit distincta ab alia: ergo omnis relatio Divina est notio. Atqui sunt quatuor relationes Divinæ, tres constitutivæ

per-

perſonæ, nempè, *Paternitas*, *Filiatio*, & *Spiratio paſsiva*, & alia communis Patri, & Filio, & ſolis ipſis propria, nempè, *Spiratio activa*: ergo ſunt quatuor notiones: Tunc ſic; ſed præter has *Innaſcibilitas* eſt notio: ergo ſunt quinq̃.

13 *Innaſcibilitas eſt notio propria Patris.*

Quod autem *Innaſcibilitas* ſit notio Patris propria, probatur: Innaſcibilitas, ſeu Ingenerabilitas, quam dicimus notionem Patris, nihil aliud eſt, nec à nobis intelligitur, niſi omnimoda perſonalis improducibilitas, ſeu poſsitiva perſonalitas, cui repugnat omnis productio; atqui per hanc rationem ſpecialem innoteſcit nobis Pater, vt diſtinctus à Filio, & Spiritu Sancto; nam his non repugnat omnis producibilitas, cum Filius ſit per intellectum productus, & Spiritus Sanctus per voluntatem. Et denique, præſefert aliquam dignitatem, ideſt, negat indignitatẽ, & imperfectionem, nam negat productionem ab alio, quæ ſaltim in creatura indignitatem, & imperfectionem dicit dependentię: ergo eſt vera notio Patris propria: ergo dantur in Divinis quinque notiones.

14 *Opinio aſſignans 3. aut 4. notiones falſa eſt.*

Atque hinc ſe ſe aperit: falſam eſſe opinionem aliquorum, quos refert Scotus *citat. §. Ad argum. huius quæſt. V. ad 3.* aſsignantium tres tantum notiones in Divinis; & ſimiliter falſam etiã eſſe opinionem Ochami *in 1. diſt. 27.* quatuor tantum aſsignantis; nam licet eorum placita aliquando vera eſſe potuiſſent; nunc iam temporis eorum falſitas apparet ex dictis, & ex dicendis apparebit. Vnde hic non quęritur: An in Divinis dentur quinque notiones? Quia hoc, vt omnino certum ſupponitur. Nec diſputatur: An ſint quinque pauciores? Ob eandem rationem. Sed quod vertitur in dubium, eſt: An in Divinis ſint tantum quinque notiones, & non plures?

15 *NOTA.*

Circa quod variant Authores, & ante ſententiarum relationem advertendum valdè, & pręciſsè eſt, quod quando loquitur de Divinis notionibus, aliud eſt loqui de illis, ſtando ad ſententiam Sanctorum Patrum, prę-ſertim Auguſtin. & vſum Scholaſticorum, ſententiam Patrum ſequentium; & aliud loqui de illis ſtando ad rationem. Primo modo attenditur ad ſententiam Patrum, & ad opinionem Scholaſticorum, illam ſequentium, & iuxta ipſam diſcurſum de Divinis notionibus formamus. Secundò autem modo attenditur ad rationem, & iuxta illam diſcurrendo, quęritur: An ſit ratio convincens, quinque tantum dari notiones in Divinis, & non plures? Hoc enim animadverſo, etiam neceſſariò animadvertendum eſt: Patres locutos eſſe de notionibus Divinis, quæ ipſis fuerunt notę, vt eſt apud omnes certum, & dicemus infrà, illud firmando manifeſto exemplo.

16 *Stando ad ſenten. PP.*

Loquendo itaque de Divinis notionibus primo modo, ſcilicèt, ſtando ad ſententiam Patrum, & vſum Scholaſticorum, ſententiam Patrum ſequentium. Prima ſententia docet: in Divinis eſſe tantum quinque notiones, & non plures. Sic omnes Scholaſtici cum Magiſtro *citat.* Addunt tamẽ Bañez, Zumel, & Ruizius *citat.* hanc ſententiam eſſe ita veram, vt oppoſitam temerariam exiſtiment in modo loquendi eo, quod à communi Scholaſticorum conſenſu recedant. Alij autem addunt: eſſe contra ſententiam Patrum. Secunda ſententia huic oppoſita tenet: in Divinis eſſe tantum quinque notiones; aſſerere autem: plures admitti poſſe, cenſura temeritatis non mereri, quinimo, nec aſſerere: plures eſſe, eſſe contra ſententiam Patrum. Sic Scotus *citat.* quod valdè diverſum eſt ab eo, quod Scoto ab aliquibus falſo imponitur, ſcilicèt, poſſuiſſe ſextam notionem, de quo *infrà.*

1. *Sentent. Scholaſtici cum Magiſtro.*

2. *Sentent. Scotus.*

17 *Stando ad rationem.*

Loquendo autem de notionibus Divinis ſecundo modo, ſcilicèt, ſtando ad rationem, duplex verſatur oppoſita ſententia. Prima aſſerit: eſſe rationem, quæ nos cogat ad aſſerendũ: in Divinis quinque tantum eſſe notiones, & non plures; vndè tenet: quod ſtando ad rationem quinque notiones ſunt in Divinis, & non plures. Sic D. Thom. *citat.* Caietan. *1. part. quæſt. 32. artic. 3.* Cum cœteris Thomiſtis, Durand. Suarius *1. part. tract. 3. lib. 5. cap. 10.* Bazquez *1. part. diſput. 138. capit. 5.* Et ex noſtris Rada *tom. 1. controv. 25.* Smiſing *tom. 2. diſput. 2. quæſt. 4.*

1. *Sentent.* *D. Thom. Caietanus. Thomiſtæ. Durand. Suarius. Bazquez. Rada. Smiſing.*

18 2. *Sentent. Scotus. Faber. Merinerus*

Secunda ſententia tenet: nullam eſſe rationem, quæ nos cogat ad aſſerendum: in Divinis quinque tantum eſſe notiones, & non plures, conſequentèrque aſſerit: quod ſtando ad rationem, plures, quam quinque notiones in Divinis poſſunt eſſe. Hæc eſt legitima mens Scoti *citat.* quem ſecutus eſt Faber *in 1. diſput. 49. cap. 2.* Ill. Merinerus *tom. 1. diſput. 7. quæſt. 2.* Eam

ap-

Felix. approbat Franciscus Felix *tom.1.tract. de Trinitate, cap.8. difficult.2.numer.6.* Illamque defendit Antonius Perez *tom.2.tract.de Deo Trino,disp.4.sect.2.*

Perez.

19 Et ne videatur, Scotum sequaces non habere ex alienis, hoc indicavit Canarien-
Canarienſ. sis *1.part.quæst.32.artic.4.* vbi ait: istas negationes (scilicèt, *Inspirabilitas, Ingenerabilitas*) & alias, ac simul affirmationes, quę competunt in particulari Divinis personis, posse dici notiones, absquè detrimento fidei, si aliquo peculiari nomine nominentur. Deindè Bazquez *in notatione eiusdem artic.* asserit: si huiusmodi negationes particulares nobis essent manifestę, nos posse absquè vllo periculo illis imponere nomina ad illas significandas, sicut Patres cœperunt vti nomine Ingeniti, quod anteà ignotum erat, & in hoc Scotum bene asserere, ait, quia non est sufficiens ratio ad asserendum, non esse plures notiones, quam quinque, eo, quod hucusquè non sint inventæ plures notiones, quam quinque; ipse tamen putat, non esse plures notiones, quam quinque, quia non putat, dari posse alias negationes prętер Ingenitum, quę mereantur nomen notionis. His itaque sententijs relatis. Sit.

Bazquez.

§. II.

Statuitur prima conclusio, & argumenta contra ipsam solvuntur.

20 PRima conclusio: *Standо ad vsum Scholasticorum quinque tantum*
1. Concluſ. *sunt notiones in Divinis; asserere autem: plures admitti posse, nulla censura est dignum, quinimo, nec asserere absolutè, plures esse, est contra sententiam Patrum.* Hæc conclusio quoad primam partē est conformiùs consensui Patrum, & omnium Scholasticorum; quoad secundam verò est contra censuram fulminantes, & quoad tertiam contra alios. Omnia docet Scotus *citat.* Probatur prima pars conclusionis: tot, & non plures, sunt ponendę notiones in Divinis, stando ad sententiam Patrum, & vsum Scholasticorum, quot à Sanctis Patribus, & Scholasticis sunt assignatę, & communitèr à Theologis declaratę; atqui quinque tantum notiones, & non plures, sunt à Sanctis Patribus, & Scholasticis assignatę, communitèr à Theologis declaratæ: ergo stando ad vsum Scholasticorum dantur in Divinis quinque tantum notiones, & non plures. Syllogismus est nottorius, & hoc est, quod fatetur Scotus.

1. pars probatur.

Secunda pars conclusionis est in fide tutissima, & suadetur hac ratione: Hæc propositio: *In Divinis non sunt plures, quam quinque notiones*, nec in Scriptura continetur, neque in Concilio aliquo est diffinita, neque eam docuit aliquis Sanctorum Patrum Antiquorum: ergo asserere: in Divinis posse admitti plures notiones, quā quinque, est in fide tutissimum. Antecedens est certum. Consequentia probatur: quod non est contra Scripturā, Concilium, aut Patres, est in fide tutissimum; atqui asserere: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, non est contra Scripturam, Concilium, aut Patres: ergo asserere: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, est in fide tutissimum.

21 2. pars suadetur.

Confirmatur: ideò namque asserere: in Divinis non esse quinque notiones, non est in fide tutum, quia est contra Scripturam, & Patres, vbi quinque enumerantur notiones ex dictis *num* 10. atqui asserere: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, non est contra Scripturam, Concilium, vel Patres: ergo asserere: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, est in fide tutissimum. Ex quo probata manet tertia pars conclusionis, scilicèt, quod asserere: plures, quam quinque esse notiones in Divinis, non est contra sententiam Patrum; nullus enim dixit: non esse plures. Hoc in fide statuto.

Confirmat.

3. pars probata manet.

Pars secunda conclusionis probatur primò: ideò iuxta adversarios sententia asserens, in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, existimaretur temeraria in modo loquendi Scholasticorum, quia à communi Scholasticorum consensu recederet; atqui sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, nullatenus recedit à communi Scholasticorum consensu: ergo talis sententia nequit existimari temeraria in modo loquendi Scholasticorum. Consequentia est legitima. Maior est contrariorum fundamentum. Minor autem est probanda.

22 Probat. 1. pars 2. concluſionis.

Et ante probationem adverten-

23

dum

Prob. min. dum est: quod nullus Sanctorum Patrum Antiquorum vnquam dixit, esse quinque notiones; sed huic rei occasionem dedit D. Augustin. §. *de Trinitat. cap.* 6. qui dicit, in Patre esse duas notiones: Genitorem esse, & Ingenitū esse. Ait enim sic: *Ideòque alia notio est, qua intelligitur Genitor, & alia, qua Ingenitus.* Idem dicit Magister *in* 1. *dist.* 28. & 29. Ex quo AA. Scholastici duo collegerunt. Primò: esse quinque notiones, quatuor positivas, de quibus satis constat, & quintam negativam, sivè privativam, scilicèt, Innascibilitatem, quam Augustin. ait, esse distinctam notionem à Paternitate, & consequenter ab alijs notionibus positivis; & in hoc consentit Scotus cum illis. Secundò colligunt: non esse plures notiones, quam quinque.

24 Ex his autem duobus, quæ colligunt Authores Scholastici, ait Scotus: secundum non benè colligi ex dicto Augustini; nam hæc consequentia non est bona: in Patre sunt duæ notiones, scilicèt, *Paternitas, & Innascibilitas*: ergo in Divinis non sunt plures, quam quinque notiones; sed quod sequitur est: ergo in Divinis sunt quinque notiones, tribus alijs, de quibus non est dubium, enumeratis; In hoc itaquè optimè, & rectissimè loquitur Scotus, vt est per se notum. Hoc itaquè animadverso.

25 *Prob. min.* Probatur minor: sententia nullatenus recedens ab opinione Augustini, nullatenus recedit à communi Scholasticorum consensu; sed sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, nullatenus recedit ab opinione Augustini: ergo nec recedit a communi Scolasticorum consensu. Consequentia est certa. Maior patet primò: nam ex opinione Augustini ortum habuit communis consensus Scholasticorum, vt diximus. Patet secundò: nam alioquim opinio Augustini recederet à communi Scholasticorum consensu; vel, vt meliùs loquar, communis Scolasticorum consensus recederet ab opinione Augustini, à qua ortum habuit. Minor verò probatur primò:

Prob. min. 1. opinio D. Augustini est: *In Divinis esse quinque notiones*; sed sententia asserens, in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, non recedit ab hac Augustini opinione, vt claret ex dictis, & ex se patet: ergo sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, nullatenus recedit ab opinione Augustini.

Clariùs tamen, etsi non efficatiùs, probatur secundò dicta minor: Augustini opinio est hæc: *In Divinis sunt quinque notiones; at non esse plures*, non est opinio Augustini; sed sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, nullatenus recedit ab hac opinione Augustini: ergo idem, quod anteà. Probatur minor: illa solum sententia, quæ asserat, in Divinis non esse quinque notiones, recedit ab opinione Augustini; sed sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque; non est sententia asserens: in Divinis non esse quinque notiones; quin potius id supponit: ergo sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque; nullatenus recedit ab opinione Augustini. Probatur tertiò eadem minor: vt sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque; recederet ab opinione Augustini, necessarium adminus erat; quod opinio Augustini esse hæc: *In Divinis non sunt plures notiones, quam quinque*; atqui hęc non est opinio Augustini: ergo sententia asserens: in Divinis posse admitti plures notiones, quam quinque, nullatenus recedit ab opinione Augustini.

26 *Probat. 2.* *Probat. 3.*

Probatur secundò secunda pars conclusionis: nam iuxtà D. Thom. 1. *part. quæst.* 32. *artic.* 4. licitum est, contrariè opinari de notionibus, quando nulla opinio contraria derogat Fidei Catholicæ circa Misterium Sanctissimæ Trinitatis; sed quod sint sex notiones, nullo modo derogat Fidei Catholicæ circa Misterium Sanctissimæ Trinitatis; quia cum sex notionibus æquè benè salvantur omnia, quæ pertinent ad Fidem Sanctissimæ Trinitatis, sicut cum quinque tantum: ergo asserere: in Divinis posse admitti sex notiones, est licitum: ergo censura temeritatis non meretur. Hæc consequentia infertur ex præcedenti; licitum enim non est, quod est dignum censura temeritatis. Maior est certa; nam D. Thom. *citat.* expræsse substinet illam opinionem. Minor claret; nam per multiplicationem notionum, non multiplicantur personæ. Primò: quia solum assignantur tres

27 *2. pars conclus. prob. 2.*

no-

notiones personales, seu constituentes personas. Secundò: quia alioquin Theologi assignantes quinque notiones, adstricti essent ad quinque personas statuendas. Consequentia legitima est.

28 Eadem secunda pars conclusionis probatur tertiò: communis Scholasticorum consensus, ex sententia Patrum deductus circa quinque tantum notiones in Divinis, & non plures, est de facto duntaxat, ideſt, de notionibus, quæ sibi fuerunt notæ ex dictis *num.* 15. ergo opinio duntaxat admittens de facto in Divinis plures, quam quinque notiones, iuxtà vsum Scholasticorum, recederet à communi Scholasticorum consensu. Atqui secunda pars nostræ conclusionis non admittit de facto in Divinis plures, quam quinque notiones iuxtà vsum Scholasticorum: ergo secunda pars nostræ conclusionis non recedit à communi Scholasticorum consensu: ergo existimanda non est temeraria in modo loquendi Scholasticorum. Hæc consequentia legitimè infertur ex præcedenti. Præcedens autem ex sussumptâ. Sussumpta verò claret ex prima parte conclusionis, vbi stando ad vsum Scholasticorum, quinque tantum notiones in Divinis statuuntur, & ex secunda conclusionis parte, quæ non loquitur de facto. Prima consequentia ex antecedenti infertur.

29 Antecedens verò est certum, vt patet & vltra ostenditur primò: nam communis consensus Scholasticorum procedit ex dicto August. quod est de facto. Secundò: quia in tantum in vsu Scholasticorum sunt solum quinque notiones, quia non fuit occasio disputandi de alijs notionibus negativis cum Hæreticis, sicut fuit de Ingenito. Tertiò: quia si modo surgeret hæresis affirmans: Spiritum Sanctum esse genitum, determinandum fortè esset: Ingenerabilitatem esse notionē sextam, conuenientem Spiritui Sancto. Verum igitur est communē Scholasticorum consensum circa quinque notiones tantum in Divinis procedere duntaxat de facto, ideſt, de notionibus, quæ sibi notæ fuerunt.

30 Arguitur primò contra primam partem conclusionis: Scotus *in* 1. *dist.* 28. *quæst.* 2. *¶. Contra*, ponit in Divinis sex notiones, stando ad vsum Scholasticorū: ergo stando ad vsum Scholasticorum plures, quam quinque, dantur notiones in Divinis, & consequentèr prima pars nostrę conclusionis est falsa: Antecedens patet: nam Scoti *citat.* sic ait: *Ingeneratio, sivè Innascibilitas, est tantum in Patre; Inspiratio autem est in Patre, & Filio: ergo hæc notio non est illa.* Vbi fatetur expræssè: quod Inspiratio est notio. Ex quo inferunt adversarij contra Scotum: opinionem illius esse temerariā, quia à communi Scholasticorū consensu recedit; vndè argumentum procedit etiam contra secundam partem conclusionis.

31 Hoc argumentum ex Scoto à contrarijs deductum, est ab illis ipsi impositum, quod certè non facerent, si Scotum legissent. Doctor itaquè Subtilis non tenet absolutè: Inspirabilitatem esse sextam notionem; sed cum duplici moderaminè, quorum primū est: dummodo non assignetur aliqua bona ratio, ob quam cogamur dicere, eam non esse notionem, vt ex littera Scoti patet; sic enim prosequitur ad verba in argumento relata: *Sed si ista est concedenda, erunt sex notiones, nisi alia ratio assignetur, quarè Inspiratio non sit notio.* Secundum est: dummodo possint concludi ex dictis priorum Doctorum, vt claret etiam ex littera Magistri: ait enim: *Ita non video inconveniens de posterioribus ad illos Doctores ponere tales* (plures) *notiones, dum tamen possint concludere illas ex dictis priorum.*

32 Deidè: Scotum non asserere: esse sex notiones in Divinis, manifestè apparet in ipso ex loco in argumento *citat.* Ibi enim Subtilis Doctor solummodo ait: illud argumentum ab authoritate negativa, quod priores Doctores non assignent sextam notionē, non probare, quod non sit sexta notio asserenda; nam optimè respondet ad hoc argumentum Scotus: Ambrosium, & quosdam alios Patres non agnovisse notionem Ingeniti, sicut nec Anselmus, & alij Spirationem activam cognoverunt; & tamen posteriores Doctores vtramque notionem tribus alijs adnumerarunt.

Hoc patet ex littera textus Scoti *citat.* nam obijciens sibi argumentū, nempè, absurdum esse, ponere sex notiones, quia communiter non ponuntur tot. Respondet: *Posset dici, quod locus ab authoritate non tenet negativè.*

Probat. 3.

Prob. antecedens 1.

Secundò.

Tertiò.

Arguit. 1. *contra* 1. *p. conclus. ex Scoto.*

Argum. hoc est impositum.

Tem-

Tempore autem Ambroſij non videntur vſitatæ tres notiones in Patre, ſcilicèt, Innaſcibilitas, Paternitas, & Inſpiratio, quia noluit hoc nomine Ingeniti vti. Tempore etiam Anſelmi, non videntur vſitatæ duæ notiones poſitivæ in Patre, quia non vtitur ipſe vi Spirativa; ſed pro illa accipit dignitatem communem Patri, & Filio.

33 Ex quo deducit Doctor, quod ſicut tunc à principio fuerunt tantum notæ proprietates notionales, ſcilicèt, Paternitas, Filiatio, & Spiratio; & hoc ex Verbo Salvatoris in Evangelio, & Ioannis *in Canonica ſua cap.* 1. tamen poſtea per inveſtigationem innotuerunt aliæ notiones, & proprietates, quæ priùs erant in ſe, licèt non priùs notæ: & ita, ſicut poſteriores conceſſerunt plures notiones, quam priores, non tamen priores eas negaverunt, licèt non eas dixerint: ita non videtur inconveniens de poſterioribus ad illos Doctores, ponere tales notiones, dum tamen poſsint concludere illas ex dictis priorũ. Sic Scotus.

Ex quo manifeſtè apparet: Scotum non poſſuiſſe in Divinis ſex notiones, ſed docere ſolum: argumentum ab authoritate negativè non convincere, eſſe tantum quinque notiones, quod evidenter oſtendit, ideòque rationem quærit, vt alia notio præter quinque negetur, quod eſt rationabiliſsimè, & ſubtiliſsimè procedere, imò poſteriores accendere, vt talem rationem quærant. Meliùs itaquè illis erit, documentum Scoti accipere ad rationem quærendam, quam opinionẽ ab ipſo non ſomniatam ipſi imponere; quomodo autem Scotus permittat plures notiones, quam quinque, declarabimus concluſione ſecunda. Nunc autem.

34 *Reſpond. 1. ad argum.* Ad hoc argumentum, ex Scoto ſiniſtrè allatum, reſpondeo primò explicando antecedens: Scotus ponit in Divinis ſex notiones abſolutè, nego antecedens; cum duplici ſupradicta moderatione, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Reſpondeo ſecundò negando antecedens, quo negato, evaneſcit cenſura à contrarijs in Scotum fulminata, vt de ſe patet. Et licèt hoc ſit pluſquam pro ſolutione ſufficiens, ad illam tamen addo: Authores prædictos procedere contra D. Thomam pro nobis adductum *numer.* 17. Vndè argumento vti non valent, quin ad illius ſolutionem ſint adſtricti, vtpotè, contra D. Thom.

Secundò. Deindè: hoc idem docuerunt plures Authores adverſarij; nam Rada, etſi oppoſitum noſtræ concluſioni ſentiens, tenet tamen *controverſ. 25. artic. 3.* quod opinio aſſerens, in Divinis ſex eſſe notiones, eſt in fide tutiſsima, quod eſſet falſum, ſi vt temeraria exiſtimaretur. Smiſing *citat. num.* 102. *in fine*, ait: Qui de maiori numero notionum ſentiret, non erraret in fide, imò nec in aliqua Theologica veritate, ſed ſolum opinaretur ſingularitèr, ob quam ſingularitatem nulla erroris, vel temeritatis nota dignus eſſet. Hoc ait, & oppoſitum noſtræ opinionis ſubſtinet. Omitto plurimos alios; quorum dictis convincitur: Bañez, Zumel, & Ruiz, temerariè locutos fuiſſe.

35 *Confirmat. ſolutio* Addo tertiò: nam qua ratione poteſt, vt temeraria imaginari opinio, quando fundamentum oppoſitę à ratione deſſumptum, nullius eſt momenti? Vt videbimus §. *vltimo.* Item: quando fundamentum oppoſitæ, ab authoritate deductum, nullo modo convincit? Vt oſtendimus *à num.* 21. & clarebit ex dicendis *vſquè ad finem huius §.* Item: quando nulla contrariorum ſolutio ad Scoti fundamentũ ſatisfacere poſsit, vt conſtabit ex dicendis §. 4. His accedunt, quæ Canarienſis, & Vaſquius in favorem doctrinæ Scoticæ dixerunt, & nos declaravimus *num.* 19. Conſtat igitur, ex omni capite prædictum argumentum per omnia deficere. Deniquè: dato, quod Scotus abſolutè poſſuiſſet ſex notiones in Divinis, nego, quod illius opinio eſſet cenſura temeritatis digna, quia à communi Scholaſticorum conſenſu recederet, cuius ratio eſt manifeſta: nam in hoc caſu Scotus, & omnis eius Schola (omittendo plures alienos, qui abſquè dubio ratione illius convicti, ſicut in pluribus alijs, eum eſſent ſecuti) ſtaret pro opinione aſſerente: ſex notiones eſſe in Divinis. Hac igitur Scola ſtante pro ſexta notione, vbi eſſet pro quinque tantum communis Scholaſticorum conſenſus? Hoc patet ex terminis, & ſolutio ad argumentum ex adductis cum Scoto *à num.* 31.

36 *Roboratur efficacitèr.*

Arguitur ſecundò contra tertiam partem concluſionis, & eſt replica contra doctrinam ex Scoto traditam:

37 *Arguit. 2. contra 3 p. concluſ.*

D. Augustinus dicit: esse quinque notiones; sed ex hoc infertur: non esse plures: ergo ex dicto Augustini infertur: in Divinis non esse plures notiones, quam quinque, quod est contra Scotum, cuius verba retulimus *num.* 32. Igitur contra sententiam Patrum est, asserere: in Divinis plures, quam quinque, esse notiones. Probatur minor: si essent in Divinis plures notiones, quam quinque, plures ponerentur ab Augustino; sed plures non ponuntur ab ipso Augustino: ergo infertur, non esse plures.

38 *Retorq. 1. argum.* Hoc argumentum multas patitur retorsiones, & ferè infinitas; cæterum aliis omissis, retorqueo primo, & ad propositum: D. Anselmus dicit: tres esse in Divinis notiones, vt diximus *num.* 32. ergo ex hoc infertur: non esse plures. *Secundò.* Secundò: Christus *in Evangelio Matth.* & Ioann. *in Canon. sua cap.* 1. dicunt: esse in Divinis tres notiones, scilicèt, Paternitatem, Filiationem, & processionem: ergo ex hoc infertur: non esse plures. *Tertiò.* Tertiò: D. Ambrosius dicit: esse in Divinis quatuor notiones, quia noluit vti hoc nomine *Ingenitum*, vt diximus *num.* 32. ergo ex hoc infertur: non esse plures, & consequentèr non esse in Divinis quinq̃ notiones, quod est contra factores argumenti. Respondeant ipsi, & erit solutio nostra.

39 *Respond. 1. ad argum.* Ego verò facilitèr iuxtà tradita ex Scoto respondeo primo ad argumentum ommissâ maiori (est enim falsa ex dictis *num.* 23.) negando minorem: quia etsi Augustinus dixisset: esse quinque notiones; si non dicit: non esse plures, vt re vera non dicit, colligitur quidem esse quinque, sed quod non sint sex, non colligitur, quia argumentum ab authoritate negativè non valet, vt patet ex dictis cũ Scoto, & ex retorsionibus adversus contrarios factis. *Secundò.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: D. Aug. dicit: esse quinque notiones, excludendo aliam notionem sibi notam, omitto maiorem; excludendo aliam notionem posteà noscibilem, nego maiorem; distinguoque minorem: infertur: non esse plures notiones ab Augustino notas, concedo minorem; posteà noscibiles, nego minorem, & distinguo similitèr consequens. Ad probationem minoris distinguo similitè maiorem; & constabit solutio, solvendo sequens argumentum.

Arguitur tertiò contra tertiam, & secundam partem conclusionis, & est replica contra solutionem datam: si sex notiones essent, hoc Patres aliquando dixissent; sed nullus est, qui hoc dicat: ergo asserere: sex esse notiones, erit contra sententiam Patrũ. Atqui hoc aliqua censura est dignũ: ergo asserere: sex esse notiones, erit contra sententiam Patrum, dignumque aliqua censura. Respondeo primò negando maiorem, quam negare debent omnes Scholastici; omnes nãque concedunt, esse quinque notiones; & tamen nullus Patrum vnquam dixit esse quinque notiones, sed hoc ex dictis ipsorum colligunt, vt animadversum manet *num.* 25.

40 *Arguit. 3. cõtra 2. & 3. p. cõclus.*

Respond. 1.

Respondeo secundò distinguendo maiorem: si sex notiones essent, hoc Patres dixissent, si Patribus esset notum, concedo maiorem; si illis notũ non erat, nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam; quia ex eo, quod Patres non dicant, sex esse notiones, quia illis hoc notũ non erat, nullo modo sequitur, esse contra sententiam Patrum, asserere: sex esse notiones, sed quod sequitur est: Patribus notam non fuisse sextam notionem, ideòque non dixerunt, esse sex.

41 *Respond. 2.*

Hæc solutio est omninò certa, eiusque certitudinem hoc manifestat exẽplum: nam D. Ambrosio (idem de D. Anselmo proportione servata iuxtà dicta *num* 38.) notum non fuit, Innascibilitatem esse notionem Patris; vndè si Ambrosius rogaretur, quot essent notiones in Divinis? Responderet, esse quatuor, scilicèt, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, Quæro nunc: est contra sententiam D. Ambrosij asserere, esse in Divinis quinque notiones? Neutiquam; alioquim omnes Theologi procederent contra sententiam D. Ambrosij, vtpotè, omnes assignant quinque notiones. Quod autem colligitur, est; D. Ambrosium loqui de notionibus sibi notis; an verò esse plures, posteris inquirendum reliquisse. Ita vniformitèr in præsenti: ex eo enim, quod Patres ponant quinque notiones, non sequitur, quod contra eorum sententiam sit, ponere sex, quia ipsi potuerunt quinque, quas cognoverunt; an

42 *Roboratur solutio exẽplo.*

verò eſſe plures, poſteris inquirendum reliquerunt.

43 *Dices cum Amico.* Dices cum Amico: falſum eſſe, quod tempore Anſelmi tres tantum notiones, & quatuor tempore Abroſij, fuerint cognitæ quoad rem, licèt illis non fuerint notę ſub proprijs nominibus, quod corroborat ex Magiſtro ſententiarum, qui *in* 1. *diſt.* 29. *in fine*, ſic ait: *Si verò quæritur, quid ſit illa notio, quam ibi notat principium? Nomen eius non habemus; ſed non eſt ipſa Paternitas, vel Filiatio: imò notio quædam, quæ Patris eſt, & Filij; quia ab æterno Pater, & Filius vnum principium eſt Spiritus Sancti.* Vbi conſtat, Spirationem activam eſſe notionem, etſi nullo nomine explicata ſit.

44 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò concedendo aſſumptum Amici, & ex ipſo dicta Scoti validantur; nam ſi ex tempore D. Ambroſij, & Anſelmi fuerunt quinque notiones cognitæ quoad rem, licèt non fuerint ſub proprijs nominibus expreſſæ, idem dicimus de alijs notionibus ſuprà quinque; ſcilicèt, fuiſſe cognitas quoad rem à Sanctis Patribus, etſi proprijs nominibus non exprimantur. *Reſpond. 2.* Reſpondeo ſecundò: negando aſſumptum Amici, cuius falſitatem ipſe demonſtrat authoritate Magiſtri, qua ſuum intentum probare connatur; nam ex Magiſtro conſtat, quod tempore Magiſtri notuit: Spirationem activam eſſe notionem, quod non negamus; non tamen, quod notuiſſet ex tempore Anſelmi, & Ambroſij, quod debebat probare, vt aliquid contra Scotum deduceret.

§. III.

Secunda concluſio ſtatuitur, & probatur.

45 *2. Concluſ.* SEcunda concluſio: *Stando ad rationem, nulla eſt ratio, quæ nos cogat ad aſſerendum: in Divinis quinque tantum eſſe notiones, & non plures.* Hæc eſt legitima mens Scoti *citat.* quem ſecuntur Authores *num.* 18. & 19. relati contra Doctores citati *num.* 17. defendentes: Inſpirabilitatem, & aliam quamcumque negationem in qualibet Divina perſona repertam (Innaſcibilitate excluſa) non eſſe notionē, ſtando adhuc ad rationem. Vndè ſi nos oſtendimus: nihil peculiare eſſe in Innaſcibilitate, quæ vt notio admittitur ab omnibus, quę non ſit in Inſpirabilitate, conſequens erit, quod ſtando ad rationem, nulla erit, quæ nos cogat ad aſſerendum: in Divinis quinque tantum eſſe notiones, quę eſt Scotica opinio.

46 *Probat. 2. cōcluſ. deſtruēdo fundam. adverſariorum.* Probatur itaquè primò concluſio, deſtruendo fundamentum contrariorum à ratione: ideò ſtando ad rationem (in hoc itaquè ſenſu dicenda intelligi debent, etſi illud non repetamus) Inſpirabilitas non eſſet in Divinis notio, quia eſt ſimplex negatio, & conſequenter dignitatem non dicat, quod requiritur ad rationem notionis, vt diximus *num.* 7. ſed quod ſit ſimplex negatio non tollit, quod ſit notio: ergo adverſariorum fundamētum nos non cogit ad aſſerendum: in Divinis quinque tantum eſſe notiones, & non plures. Maior, & conſequentia tenent. Minor autem probatur primò: ex eo, quod Inſpirabilitas ſit ſimplex negatio no ſequitur, quod non ſit notio: ergo quod Inſpirabilitas ſit ſimplex negatio nō tollit, quod ſit notio. *Prob. min. 1.* Probatur antecedens: Innaſcibilitas apud contrarios eſt ſimplex negatio, vt fatetur Ill. God. *tom.* 3. *in* 1. *part. diſput.* 86. *num.* 32. & ferè omnes adverſarij; ſed hoc non obſtante, Innaſcibilitas eſt notio apud omnes: ergo ex eo, quod Inſpirabilitas ſit ſimplex negatio, non ſequitur, quod non ſit notio.

47 *Probat. 2.* Probatur ſecundò dicta minor: quod Inſpirabilitas ſit ſimplex negatio, non tollit, quod ſit dignitas, dignitate ſufficiente ad rationem notionis: ergo idem quod anteà. Probatur antecedens primò: dignitas ſufficiens ad rationem notionis, vel eſt negatio indignitatis, vt nos aſſeruimus *num.* 7. vel circulocutivè, & à poſteriori dignitatem explicare, vt aſſerit Ill. God. *citat. num.* 32. ſed quod Inſpirabilitas ſit negatio, non tollit, quod neget indignitatem, nec quod circunlocutivè, & à poſteriori dignitatem explicet: ergo quod Inſpirabilitas ſit ſimplex negatio, non tollit, quod ſit dignitas, dignitate ſufficiente ad rationem notionis. Probatur ſecundò dictum antecedens, & ſimul confirmatur probatio: quod Innaſcibilitas ſit ſimplex negatio, non tollit, quod ſit dignitas, dignitate ſufficienti ad rationem notionis, vt tenent omnes: ergo ſimilitèr de Inſpirabilitate.

48 *Prob. 2. cōcluſ.* Probatur ſecundò concluſio, deſtruendo etiam fundamentum con-

trariorum ab authoritate: ideò in Divinis essent tantum quinque notiones, & non plures, quia plures ponere, esset contra communem sententiam Patrum; sed plures, quam quinque, ponere, non est contra communem sententiam Patrum: ergo fundamentum ab authoritate nos non cogit ad asserendum: in Divinis quinque tantum esse notiones, & non plures. Probatur minor primò: Patres nunquam dixerunt: non esse plures notiones, quam quinque, vt omnibus est in confesso: ergo ponere plures, quam quinque notiones, non est contra communem sententiam Patrum. Probatur secundò dicta minor: si plures notiones, quam quinque ponere, esset contra sententiam Patrum, ponere quinque notiones, esset contra sententiam D. Ambrosij, qui quatuor tantum notiones cognovit, vt diximus *num.* 42. Imò ponere quinque notiones, esset contra sententiam D. Anselmi, qui, vt diximus *num. citat.* adhuc Spirationem activam, vt notionem non cognovit; & deniquè, cum à principio solum essent in vsu tres notiones, vt cum Evãgelio, & Canonica Ioannis diximus *num.* 38. ponere quatuor notiones, esset contra sententiam Patrum illius temporis; atqui hoc est etiam apud adversarios falsum: ergo ponere plures, quam quinque notiones, non est contra communem sententiam Patrum.

49 *Probat. 3. cõclus. fundam. Scoti.*

Probatur tertiò conclusio fundamento Scoti: nulla ratio assignari potest, propter quam Innascibilitas sit notio, quæ sit exclusiva Inspirabilitatis: ergo nulla est ratio, quæ nos cogat ad asserendum: in Divinis quinque tantum esse notiones, & non plures. Probatur antecedens: nam si esse negationem, non obstat ad rationem notionis, & ideò Innascibilitas, non obstante, quod formalitèr considerata, sit negatio, inter notiones numeratur, poterunt ex hac parte notiones multiplicari; nam sicut in Patre est negatio omnis processionis, quę dicitur Innascibilitas, in Filio, & Patre est negatio processionis per voluntatem, quæ dicitur Inspirabilitas: ergo nulla ratio assignari potest, propter quam Innascibilitas sit notio, quæ sit exclusiva Inspirabilitatis. Hoc Scoticum fundamentum ita validum visum est, vt multum laborent Authores in explicanda, & reddenda ratione: cur Inspirabilitas non constituat distinctam notionem; benè verò Innascibilitas. Pro quo sit.

§. IV.

Responsiones adversariorum proponuntur, & refelluntur.

QVidam, vt refert Scotus *citat. in solutione ad* 3. respondent primò: disparitatem esse: quia Inspirabilitas non dicit aliquam perfectionem, & dignitatem, sicut dicit Innascibilitas; tamen hanc rationem optimè reijcit Scotus. Primò: quia supponit falsum in sententia Scoti, scilicèt, ad rationem notionis esse necessarium, dicere aliquam dignitatem, vel perfectionem. Secundò: quia dato, quod ad rationem notionis esset requisitum, dicere perfectionem, & dignitatem; non ideò admittenda esset inter notiones Innascibilitas, & reijcienda Inspirabilitas; nam sicut Innascibilitas dicitur perfectio personalis, non quia significet aliquid positivũ distinctum à Paternitate, & Spiratione, sed quia dicit negationem nascibilitatis ab alio, quæ nascibilitas in Patre imperfectio esset: ita pari ratione dicendum erit, Inspirabilitatem esse perfectionem personalem in Patre, & in Filio, quia etiam si non dicat aliquid positivum distinctum à Filiatione, & Paternitate; tamen dicit negationem processionis per voluntatem, quæ imperfectio esset in Patre, & in Filio.

50 *Respondent 1. alij.*

Reijcitur 1

Secundò.

Secundò respondent alij, vt refert idem Scotus: ideò Inspirabilitatem non poni sextam notionem, quia cum Innascibilitas dicat negationem omnis processionis ab alio, & Inspirabilitas negationem processionis per voluntatem, Inspirabilitas includitur in Innascibilitate, & consequentèr non distinguitur, nec ponitur in numero cum illa; nam benè infertur: est non productum: ergo est non Spiratum. Sed hanc rationem optimè refutat Scotus probando: Inspirabilitatem esse notionem distinctam ab Innascibilitate, & consequentèr esse ponendam in numero cum illa; quod hoc argumento demonstat: Innascibilitas est tantum in Patre, Inspirabilitas est in Patre, & in Filio: ergo Inspirabilitas non est Innascibilitas

51 *Alij respondent 2.*

Reijcitur.

Respondet tertiò Durandus *dist.*

52

Reſpondet Durandus, & Lorca.

26. *ſuper* 1. *quæſt.* 2. quem ſequitur Lorca *diſput.* 8. *quæſt.* 2. ideò Inſpirabilitatem non poni diſtinctam notionem, quia negatio Spirationis, quam ſignificat, ſufficienter explicatur per notionem Filiationis, vel Spirationis activæ; nam eſt negatio, quæ immediatè, & neceſſariò affirmationes illas conſequitur; eo enim ipſo, quod Filius eſt genitus, neceſſariò infertur, non eſſe Spiratum, quia eadem perſona non poteſt generari, & Spirari; & ſimilitèr: eo ipſo, quod Pater, & Filius Spirant Spiritum Sanctum, infertur neceſſariò non Spirari, quia eadem perſona non poteſt Spirare, & Spirari. Tamen iſti Authores immerito reijciunt à numero notionum Inſpirabilitatem, eo, quod negatio Spirationis, quam ſignificat, neceſſariò ſequitur ad Filiationem, vel ad Spirationem activam.

53 *Reijcitur* 1

Primò: quia aliud eſt, negationem Spirationis ſequi neceſſariò ad relationem Filiationis, vel ad relationem Spirationis, & aliud negationem Spirationis ſignificari, & explicari per Filiationem, & Spirationem. Licèt enim verum ſit, negationem Spirationis ſequi ad relationem Filiationis, vel ad relationem Spirationis, non ſecus, ac negatio irrationalitatis ſequitur ad eſſe rationale; tamen falſum eſt, negationem Spirationis ſignificari, & explicari immediatè per Filiationem, vel Spirationem activam; nam diverſus eſt conceptus obiectivus negationis Spirationis, à conceptibus obiectivis Spirationis activæ, vel Filiationis, cum iſti poſitivi ſint, & negativus ille; quod ſi negatio Spirationis habet diverſum conceptum obiectivum à conceptibus obiectivis Filiationis, & Spirationis activæ, erunt conſequentèr diverſæ notiones; nam notionem appellamus conceptum obiectivum proprietatis poſitivè, vel negativè, notificantis perſonas, vt proprias, & diſtinctas inter ſe.

Secundò.

Secundò: quia ſi ſufficit ad hoc, vt negatio Spirationis non ſit diverſa notio à Filiatione, vel Spiratione activa, quod neceſſariò inferatur ex illis, ſequeretur etiam, negationem proceſſionis ab alia, quam ſignificat Innaſcibilitas, non eſſe notionem diſtinctam à Paternitate, & Spiratione activa; ſiquidem ex eo, quod Pater eſt Pater, & Spirator, neceſſariò infertur in Divinis, Patrē à nullo procedere; nam ſi in Divinis ſolum ſunt duę proceſsiones, quarum Pater, & Spirator ſunt principia, & principiū omnis proceſsionis, neceſſariò debet eſſe improductus.

54 *Reſpondet Caietanus.*

Caietanus 1. *part. quæſt.* 32. *artic.* 3. reſpondet quartò: quod Ingenitum denotat tria, quæ ſoli Patri in Divinis conveniunt, notat enim primum: Patrem eſſe primum principium, primum enim principium optimè cognoſcitur per hoc, quod non eſt ab alio, Ingenitum autem ſignificat non eſſe ab alio. Secundò: proprium eſt Patri in Divinis ita eſſe Patrem, vt nullo modo ſit genitus, & ſic in Patre in Divinis hæc nomina ſunt connexa, Pater, & Ingenitus; at in humanis Pater eſt ſimul Pater, & genitus, ſivè eſt ab alio, vt Adam, qui licèt non fuerit propriè genitus, fuit tamen productus à Deo; in humanis ergo hæc nomina ſunt connexa, eſt ergo proprium ſolius Patris in Divinis non eſſe ab alio, quod ſignificatur per Ingenitum. Tertiò: Ingenitum commendat, & declarat vnitatem Divinæ naturæ, cum enim natura Divina ſit vna, & tamen in ea ſint plures perſonæ, aliqua illarum debet eſſe principium, & caput, iſtud autem caput, & principium ſignificatur per Ingenitum.

55

Vndè Div. Hilarius *lib. de Synodis*, ait: qui affirmat in Deo duos Innaſcibiles, affirmat etiam eſſe duos Deos: ergo Innaſcibile ſignificat primum principium, & caput naturæ Divinæ; ex his omnibus fit, inquit Caietanus, vt Ingenitum, licèt ſit negatio, tamen ponatur notio, & proprietas Patris; Inſpirabilitas autem eſt ſimplex negatio, nec aliquid proprium alicui perſonæ dicit, neque poteſt dici propria Filij in Divinis, licèt ei competat, quia etenim Filijs in humanis competit; omnis enim Filius humanus eſt inſpiratus, cum ergo inſpirabile ſit ſimplex negatio, & nullam notet proprietatē poſitivam, ingenitum autem notet primum principium in Patre, quod eſt tantæ dignitatis in Patre, quod Pater ob hoc dicitur maior Filio, & Filius in Evangelio ſolitus eſt, omnia referre in Patrem, & Eccleſia omnes ferè orationes ad Patrem dirigit, iure ponitur notio Patris, licèt ſit negatio, non autem Inſpirabilitas.

56

Hæc Caietani reſponſio eſt illa eadem, quam dedit noſter Rada *tom.*

Responsio hæc eadem est, ac respõsio Radæ.

1. *controvers.* 25. *artic.* 3. assignando disparitatem inter negationem Innascibilitatis, & Inspirabilitatis, aliarumque negationum; ait namque: quod Innascibilitas, etiam si sit negatio, habet rationem notionis propter tres rationes, quæ in illa, & non in alijs negationibus invenitur. Prima: quia apud nos Pater, & Ingenitum separata inveniuntur, quia nullus est Pater, qui sit Ingenitus, ideſt, non productus; sed omnes producti sunt ab alijs Patribus, vt Filij omnes Adami. Vel ab ipso Deo solo, vt Adam, & Eva. Et ideo in Patre Æterno præter Paternitatem ponitur notio Innascibilitatis, ad denotandum, quod Pater Æternus non producitur ab alio, sicut Patres creati. At verò apud nos nullus est Filius, qui Spiretur. Et ideò Inspirabilitas non est alia notio Filij: quia eo ipso, quod intelligitur esse Filius, intelligitur non Spirari.

Hoc ampliùs declaratur: memoria nostra, ideſt, intellectus cum specie, quæ ab Augustin. vocatur parens, repræsentat Patrem Æternum. Hæc non est ingenita, ideſt, improducta: nam intellectus producitur à Deo, species verò producitur à Deo, ab intellectu agente, & phantasmate. Vt ergo intelligamus, quod Pater Æternus, quem repręsentat memoria, non producitur ab alio, sicut memoria nostra producitur, ideò Sancti ad declarandum hoc vtuntur Innascibilitate. At verò verbum nostri intellectus, quod proles, & Filius memoriæ dicitur, non habet, quod sit Spiratum per voluntatem eo ipso, quod est Verbum. Et ideò in Filio Æterno, quem repræsentat, præter Filiationem non oportet ponere notionem Inspirabilitatis, quia eo ipso, quod est Filius, & Verbum, intelligitur non Spirari.

57 Secunda ratio est: ad magnam dignitatem Patris pertinet esse primum principium, ob quam causam Ecclesia Catholica magna ex parte ad ipsum orationes dirigit. Esse autem primum principium dicit negationẽ primi principij; nam primum principium est principium, quod non habet principium. Ad quam negationem notificandam Sancti Patres convenientèr vsi sunt notione Innascibilitatis. Tertia ratio est: quia si in Deo essent duæ personæ Innascibiles, ideſt, non productæ, eo ipso non esset vna natura Divina tantum, sed duæ, quia implicat eandem naturam numero esse in duobus suppositis absolutis: & ideo ad declarandam vnitatem Divinæ naturæ Sancti Patres docuerunt, Innascibilitatem esse propriam vni personæ, scilicèt, Patri.

Hæc est solutio, quam communitèr reijciunt Authores, in ipsamque parum consequentèr videtur Rada procedere; nam immediatè ante solutionem, hæc habet: observare oportet, quod omnis privatio, & negatio notificatur per positivum, quod negat, vt tenebrosum, & non lucidum notificatur per lucidum. Vndè colligitur, quod generalitèr loquendo, nulla negatio, aut privatio est proprie notio, quia ipsa non tàm notificat, quaàm notificatur per positivũ, quod negat; & ob hanc causam Inspirabilitas, quę dicit negationem, & privationem Spirationis, non est notio. Posteà autem ait: quod Innascibilitas, etiam si sit negatio, & privatio, habet rationem notionis, quod certè parum consequens apparet. Cœterum hoc omisso.

58 *Quædam in cõsequentia Radæ.*

59 Prima ratio illius reijcitur: ideò iuxta primam disparitatis rationem Inspirabilitas non est notio Filij, quia eo ipso, quod Filius intelligatur esse Filium, intelligitur non Spirari; sed eo ipso, quod Pater intelligatur esse Patrem, & Spiratorem, intelligitur Innascibilis: ergo Innascibilitas non est notio Patris. Probatur minor: ideò hoc ipso, quod Filius intelligatur esse Filium, intelligitur non Spirari, quia hoc ipso, quod intelligatur esse Filiũ, intelligitur habere esse per intellectum, cum quo non stat per voluntatẽ procedere; sed hoc ipso, quod Pater intelligatur esse Patrem, & Spiratorem, intelligitur, producere per intellectum, & voluntatem, cum quo non stat, Patrem produci, seu nascibilem esse: ergo eo ipso, quod Pater intelligatur esse Patrem, & Spiratorem, intelligitur Innascibilis.

1. ratio reijcitur.

60 Maior, & consequentia tenent. Minor est certa apud Theologos, vno ore confitentes: personam Divinam, quæ per intellectum producit, esse per intellectum improducibilem, & similitèr personam Divinam, quæ per voluntatem producit, esse per voluntatem improducibilem; atqui in Divinis alia productio repugnat, sivè

Prob. min.

dis-

diſtincta, ſivè eiuſdem rationis, vt cū omnibus Theologis oſtendimus *tom. 3. in 1. Sentent. diſput. 73.* ergo hoc ipſo, quod Pater intelligatur eſſe Patrem, & Spiratorem, intelligitur producere per intellectum, & voluntatem, cum quo non ſtat, Patrem produci, ſeu naſcibilem eſſe.

61 *Declaratur*

Declaratur hoc: quia ſi ſufficit, vt Inſpirabilitas non ſit notio diſtincta à Filiatione, quod Filius intelligatur non Spirari eo ipſo, quod intelligatur Filius, ſequitur, quod Innaſcibilitas non ſit notio diſtincta à Paternitate, & Spiratione activa: ergo eadem eſt de vtraque ratio, & allata à Rada, & Caietano ruit. Probatur ſequela: hoc ipſo, quod Pater intelligatur Pater, & Spirator, intelligitur, Patrem à nullo procedere: ergo ſi ſufficit, vt Inſpirabilitas non ſit notio diſtincta à Filiatione, quod Filius intelligatur non Spirari eo ipſo, quod intelligatur Filius, ſequitur, quod Innaſcibilitas non ſit notio diſtincta à Paternitate, & Spiratione activa. Probatur antecedens: in Divinis ſolum ſunt duæ proceſſiones, quarum Pater, & Spirator ſunt principia, & principium omnis proceſſionis; ſed quod in Divinis eſt principium omnis proceſſionis, hoc ipſo intelligitur, eſſe improductum, ſeu à nullo procedere, vt claret: ergo hoc ipſo, quod Pater intelligatur Pater, & Spirator, intelligitur Patrem à nullo procedere.

62 *2. ratio reijcitur.*

Secunda ratio diſparitatis reijcitur: non eſt ratio, cur ad magnam dignitatem Patris pertineat eſſe primum principium; & ad magnam dignitatem Patris, & Filij non pertineat Inſpirabilitas: ergo æqualitèr currunt Innaſcibilitas, & Inſpirabilitas, & conſequenter nulla eſt ſecunda ratio diſparitatis à Rada, & Caietano adducta. Antecedens probatur primò: quia ſicut naſcibilitas eſſet indignitas in Patre, ita etiam Spirabilitas eſſet in Patre indignitas: ergo non eſt ratio, cur ad magnam dignitatem Patris pertineat eſſe primum principium; & ad magnam dignitatem Patris, & Filij non pertineat Inſpirabilitas.

Prob. antecedens 1.

63 *Secundò.*

Secundò: Spirabilitas pertinet ad dignitatem Spiritus Sancti; alioquin Spiratio paſsiva non eſſet notio: ergo potiori iure Inſpirabilitas pertinebit ad dignitatem Patris, & Filij; nam ſi quod ſupponit principium proceſſionis pertinet ad dignitatem, potiori ratione pertinebit ad dignitatem, quod non habet tale principium: ergo idem, quod anteà. Tertiò probatur dictum antecedens: iuxtà Radam ad magnam dignitatem Patris pertinet eſſe primum principium in omni linea productionis: ergo ad aliquam dignitatem Filij pertinebit non habere principium in aliqua linea productionis; atqui Inſpirabilitas non habet principium in aliqua linea productionis, ſcilicèt, in linea Spirati: ergo idem, quod priùs.

Tertiò.

Tertia diſparitatis ratio non eſt ad rem: concedimus namque, quod in Divinis vnica tantum eſt perſona Innaſcibilis, ob quod Innaſcibilitas eſt propria Patris. Cœterum ex hoc argumentum ſumitur ad Inſpirabilitatem, & formatur contra Radam, & Caietanum hoc modo: quia in Divinis vnica tantum eſt perſona Innaſcibilis, Innaſcibilitas eſt propria Patris; ſed in Divinis duæ tantum ſunt perſonæ Inſpirabiles, ſcilicèt, Pater, & Filius: ergo Inſpirabilitas eſt propria Patris, & Filij: ergo ſi Innaſcibilitas, quia propria Patris, eſt notio illius; quia Inſpirabilitas eſt propria Patris, & Filij, erit vtriuſque notio: ergo æqualitèr currunt Innaſcibilitas, & Inſpirabilitas: ruit ergo tertia diſparitatis ratio.

64 *3. ratio reijcitur.*

Vltrà hanc triplicem diſparitatis rationem proſequitur Rada, alitèr reſpondendo, ſcilicèt, quod Filium non Spirari declaratur in hoc, quod Spirat, quia Spiritus Sanctus habet omnem rationem Spirati. Suppoſita enim fide, quod Spiritus Sanctus Spiratur, ipſa ratio naturalis docet, quod non ſunt duo Spirati in Deo; quia ſi ſunt duo Spirati, eadem ratione poſſunt eſſe infiniti, & ſi poſſunt, ſunt, vt eſt apud Theologos certum, & nos docuimus *tom. 3. in 1. Sentent. diſp. 73.* At verò, licèt in hoc, quod Pater generet, includatur, quod Pater non generetur, quia Filius genitus includit omnem rationem generati, tamen ratio naturalis non evidenter oſtendit (licèt probabiliter oſtendat) quod Pater non producatur ab alia perſona alio genere productionis. Et ideò ad oſtendendum, quod Pater nullo genere productionis producitur, Sancti vtuntur notione Innaſcibilitatis.

65 *Alitèr reſpondet Rada.*

Reijcitur etiam hæc ſolutio: nam iuxtà illam Spiritus Sanctus habet

66 *Reijcitur hæc ſolutio.*

omnem rationem Spirati, & Filius omnem rationem geniti: ergo ſicut ſuppoſita fide, quod Spiritus Sanctus Spiratur, ratio naturalis docet, quod non ſunt duo Spirati in Deo ob rationem traditam à Rada; ita, ſuppoſita fide, quod Filius generatur, & Spiritus Sanctus Spiratur, ratio naturalis docet, Patrem nec generari, nec Spirari. Hæc conſequentia eſt evidens; alioquin in Deo eſſent duo generati, vel duo Spirati contra fidem. Infero ampliùs: ergo ſuppoſita fide, quod Filius generatur, & Spiritus Sanctus Spiratur, ratio naturalis docet: Patrem non eſſe productum, vel eſſe Innaſcibilem, ſeu improductum. Probatur hæc conſequentia: omnis productio in Divinis eſt generatio, vel Spiratio; ſed iuxtà cõceſſa ſuppoſita fide, quod Filius generatur, & Spiritus Sanctus Spiratur, ratio naturalis docet, Patrem nec generari, nec Spirari: ergo ſuppoſita fide, quod Filius generatur, & Spiritus Sanctus Spiratur, ratio naturalis docet: Patrem non eſſe productum, vel eſſe Innaſcibilem, ſeu improductum.

67 *Vrgeo.* Infero deniquè: ergo ſicut Filium non Spirari declaratur in hoc, quod Spirat, quia Spiritus Sanctus habet omnem rationem Spirati; ita Patrem non Spirari declaratur in hoc, quod Spirat ob rationem datam: ergo Patrem non generari declaratur in hoc, quod generat, quia Filius habet omnem rationem geniti: ergo Patrem non produci per generationem, nec per Spirationem declaratur in hoc, quod Pater generat, & Spirat: ergo Patrem eſſe improductum, ſeu Innaſcibilem declaratur in hoc, quod generat, & Spirat. Hæc conſequentia eſt evidens ex antecedentibus, & conſtat ex eo, quod perſona, quæ in Divinis non producitur per generationem, vel Spirationem, eſt improducta; cum omnis productio in Divinis, vt ſuprà arguebam, & eſt de fide, vel ſit generatio, vel Spiratio. Suſſumo nunc; atqui iuxtà ſolutionem Radæ Inſpirabilitas non eſt notio Filij, quia declaratur in hoc, quod Spirat: ergo nec Innaſcibilitas erit notio Patris, quia declaratur in hoc, quod generat, & Spirat; ſed hoc eſt contra Authorem ſolutionis: ergo ruit illius ſolutio.

68 Quintò reſpondet Bazquez 1. *part. diſput.* 138. *cap.* 5. Ingenitum formaliter dicere negationem; materialiter verò ſignificare poſitivam aliquam dignitatem, ſcilicèt, plenitudinem fontanalem, & authoritatem vniverſalis principij: Vndè cum Ingenitum competat propriè Patri, neceſſe eſt, ei competere per aliquod poſitivum; illud poſitivum autem eſt Paternitas non præciſè, quia Paternitas non oſtendit Patrem eſſe abſolutè primam perſonam, ſed Paternitas ſub peculiari concepru primi originis, & principij, quod non addit particularem relationem realem, ſed rationis tantum; hoc probat varijs authoritatibus Sanctorum. *5. reſpond. Bazquez.*

Hæc tamen opinio reffellitur primò: nam iuxtà ſolutionem Bazquez Ingenitum formaliter dicit negationem, materialiter verò ſignificat poſſitivam aliquam dignitatem: ergo idem dici poteſt de Inſpirabilitate, cum eadem ſit ratio, nec à Bazquez aliqua aſsignetur diſparitas. Deindè: quod Inſpirabilitas dicat aliquam dignitatem, ſi Innaſcibilitas illam dicit, probatum manet per dicta *numer.* 47. Nec authoritates ab eo adductæ aliud probant, quam Ingenitum eſſe proprium Patris; non verò probant, ſignificare aliquid poſitivum proprium diſtinctum ab alijs proprietatibus; atqui etiam Inſpirabilitas eſt propria Patris, & Filij, quin ſignificet aliquid poſitivum proprium diſtinctum ab alijs proprietatibus: ergo eadem eſt de vtraque ratio, & conſequentèr ruit Baſquij reſponſio. 69 *Impugn.* 1.

Reffellitur ſecundò prædicta ſolutio Baſquij: Ingenitum iuxtà ipſum addit ſuprà Paternitatem relationem rationis: ergo idem dicere nos poſſemus de Inſpirabilitate, ſcilicèt, quod addat relationem rationis ſuprà Paternitatem, & Filiationem in Patre, & Filio: ergo non reddit diſparitatem. 70 *Impugn.* 2.

Reffellitur tertiò: Ingenitum addit ſuprà Paternitatem relationem rationis: ergo ſi ob hoc eſt notio Patris, omnis relatio rationis eſſet notio in Divinis perſonis. Atqui hoc eſt falſum: ergo ruit illius reſponſio. Antecedens eſt doctrina Bazquez. Conſequentia eſt legitima. Suſſumpta verò probatur primò: quia notiones ponuntur ad notificandum, quod in Divinis perſonis eſt ex parte rei; non per noſtrum modum concipiendi: ergo falſum eſt, quod omnis relatio rationis eſſet notio in Divinis perſonis. Et *Impugn.* 3. *Minor probat.* 1.

hæc

hæc ratio ait Faber *citat. num.* 5. hoc modo formata convincit.

71 *Probat.* 2. Probatur ſecundò eadem ſuſſumpta: nam ſi omnis relatio rationis eſſet notio in Divinis perſonis, negatio Spirationis paſſivæ, quam dicunt Pater, & Filius, negatio etiam Spirationis activæ, quam dicit Spiritus Sanctus; negatio generationis activæ, quam dicunt Filius, & Spiritus Sanctus; negatioque generationis paſſivæ, quam dicit Spiritus Sanctus, & aliæ, eſſent notiones in Divinis perſonis; atqui hoc eſt contra Bazquez: ergo falſum eſt, quod omnis relatio rationis ſit notio in Divinis perſonis. Maior patet; nam omnes prædictæ negationes addere ſaltim debent relationem rationis ſuprà proprietatem perſonalem illius perſonæ, in qua reperiuntur. Minor, & conſequentia tenent.

72 *6. reſpond. Suarius.* Sextò reſpondet Suarius 1. *part. tract.* 3. *lib.* 5. *cap.* 10. Ingenitum iure poni notionem, licèt ſit negatio, nec dicat aliquam dignitatem poſitivam, quia ad notionem non requiritur, quod dicat dignitatem poſitivam, ſed ſufficit eam notificare perſonam, & dignitatem, non aliquam partialem, ſed totalem eiuſdem perſonæ, & per negationem circunſcribere, hoc autem præſtat Ingenitum, quia ipſa ſimul cum Paternitate notificat totam dignitatem perſonæ Patris, eius conſtitutionem, & diſtinctionem ab alijs; Ingenitum enim ſignificat, perſonam Patris eſſe primam perſonam, Fontē Deitatis, ac habere per ſe perſonalitatem, vndè perfectè illa perſona per hanc notionem cognoſcitur; & ita licèt Ingenitum non dicat aliquam particularem dignitatem illius perſonæ, quia tamen illam totam perſonam notificat, hinc fit, eam iure notionem eſſe; Inſpirabilitas verò non eſt notio Filij, quia Filius ſufficientèr noſcitur per relationem poſitivam Filiationis, ſicut etiam Spiritus Sanctus per Spirationem paſſivam, & proindè illæ perſonæ non egent aliqua notione negativa ipſas notificante, & ſic iure ſolum Ingenitum notio negativa ponitur.

73 *Reſponſio hæc fabet opinion. Scoti.* Hæc Suarez reſponſio (loquor cum Fabro) vera eſt, ſed mihi videtur mirum in modum confirmare opinionem Scoti, à quo tamen profitetur ſe diſſentire; quoniam ſicuti Ingenitum ex ipſo non denotat aliquam proprietatem poſitivam in Patre, ſed diſtinctiùs, & clariùs notificat totam illam perſonam, ita ego dicam: Inſpirabilitatem, & Filiationem notificare diſtinctiùs, & clariùs totam perſonam Filij, quam ſola Filiatio; nam quis dubitat, quod perſona filij magis notificatur, cum explicatur per proprietatē poſitivam ſimul, ac negativam, vt cum dicimus: Secunda perſona eſt Filius, & eſt genitus, non autem Spiratus; quam cum dicimus ſolum, Secunda perſona eſt genita; nam illa negatio, *non eſt Spiratus*, declarat, productionē Filij eſſe diverſam à productione Spiritus Sancti; ideò tota perſona Filij diſtinctiùs explicatur ſimul per proprietatem poſitivam, & negativam, quam per poſitivam notionem tantū

74 *7. reſpond. Smiſing.* Reſpondet ſeptimò Smiſing *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 103. Inſpirabilitatem idcirco non eſſe peculiarem Patris, & Filij notionem, quia in Patre quidem Inſpirabilitas innoteſcit ſatis per Ingenitum, quod eſt negatio omnis productionis (ſic enim à Patribus vſurpatur hoc vocabulum) adeoque etiam eſt negatio productionis per Spirationem; in Filio autem Inſpirabilitas innoteſcit per generationem paſſivam perfectam, quæ non poteſt eſſe à principio Spirativo, ſeu voluntate.

75 *Impugnat.* Sed nec hęc ſolutio quadrat, ideòque reffellitur: ex hac ſolutione ſequitur, quod Innaſcibilitas non ſit peculiaris notio Patris; ſed hoc eſt contra Smiſing: ergo ruit eius ſolutio. Probatur maior: ideò iuxta hanc ſolutionem Inſpirabilitas non eſt peculiaris notio Patris, & Filij, quia in Patre innoteſcit ſatis per Ingenitum, & in Filio per generationem paſſivam; ſed Innaſcibilitas in Patre innoteſcit ſatis per eſſe Patrem, & Spiratorem (ſeu quod idem eſt, per generationem activam, & activam Spirationem): ergo ex ſolutione Smiſing ſequitur, quod Innaſcibilitas non ſit peculiaris notio Patris. Probatur minor primò: *Prob. min.* 1. ideò iuxta ſolutionem Inſpirabilitas in Patre innoteſcit ſatis per Ingenitū, quia Ingenitum eſt negatio omnis productionis; (nempè paſſivæ) ſed eſſe Patrem, & Spiratorem in Divinis dicit negationem omnis productionis paſſivæ: ergo Innaſcibilitas in Patre innoteſcit ſatis per eſſe Patrem, & Spiratorem. Maior, & conſequentia tenent. Probatur minor: in Divinis

om-

omnis productio passiva, vel est passiva generatio, vel Spiratio passiva; sed esse Patrem in Divinis dicit negationem generationis passivæ, & esse Spiratorem dicit negationem Spirationis passivæ: ergo esse Patrem, & Spiratorem in Divinis dicit negationem omnis productionis passivæ.

76 *Secundò.* Probatur secundò suprà posita minor: ideò iuxta solutionem Inspirabilitas in Filio innotescit per generationem passivam, quia passiva generatio non potest esse à principio Spirativo; sed Pater Divinus ratione Patris nequit esse à principio generativo, & ratione Spiratoris nequit esse à principio Spirativo: ergo esse Patrē & Spiratorem in Divinis excludit omnem passivam productionem. Atqui Innascibilitas nihil aliud est, quam exclusio omnis passivæ productionis: ergo Innascibilitas in Patre innotescit satis per esse Patrem, & Spiratorem. Maior est solutio ipsius Smising. Minor est certissima; alioquin in Divinis possent, & consequenter essent duo generati, & duo Spirati contra fidem. Consequentia est legitima. Sumpta est communis omnium doctrina, & consequentia infertur.

77 *Respondet Scotista quidam.* Vltrà has horum Authorum responsiones aliam, & quidem Subtilē, assignavit Scotista quidam in hoc tractatu, eamque fundat in regula illa ab Scoto tradita *in Report. in 1. dist. 28. quæst. 4. num. 5.* nempè, *quando vnum oppositorum est proprietas pertinens ad dignitatem, oppositum non pertinet ad dignitatem*, & è converso: *quando vnum oppositorum non pertinet ad dignitatem, suum oppositum pertinet ad dignitatem*; atqui procedere ab alio in communi sumptum non est dignitatis, imò indignitatis in creaturis: ergo suum oppositum, scilicèt, nullo modo procedere ab alio, sed esse à se, quod importatur per Innascibilitatē in Patre, erit dignitatis, & ratione dignitatis, quam importat, erit notio Patris. Hæc Scotus.

78 Ex qua regula cum ipso Scoto vlteriùs infert Scotista prædictus: ergo omnis negatio in vna persona Divina reperta, negans aliquam notionem, & dignitatem in alia inclusam, non est notio; nam oppositum, ad ipsam negatum, est notio, & dignitas, & quando vnum oppositorum est notio, & dignitas, nec dignitas, nec notio esse potest eius oppositum, ac proindè negatio Spirationis passivæ, quam dicunt Pater, & Filius, & dicitur *Inspirabilitas*, similitèrque negatio Spirationis activæ, quā dicit Spiritus Sanctus, & dicitur *Inspirativitas*, & similitèr negatio generationis activæ, quā dicunt Filius, & Spiritus Sanctus, & dicitur *Ingeneratio*; paritèrque negatio generationis passivæ, quam dicit Spiritus Sanctus, & dicitur *Ingenerabilitas*; istæ non sunt notiones ex regula dicta.

79 *Si in ipsum dicas.* Et si in ipsum opponas: ergo Innascibilitas non erit notio Patris, quia negat Filium nasci per generationem, quæ est dignitas, & notio Filij. *Respondet.* Respondet, vt ipse respondet Scotus *citat. num. 6.* Dicendum, quod Innascibilitas, prout opponitur processioni Filij per generationem, non est notio, vt concluſum est, nec importat dignitatem, quia sic convenit Spiritui Sancto, & non est notio Patris; sed si accipiatur, non solum vt negat Filium nasci per generationem, sed vt negat omnem modum essendi ab alio, sic est notio Patris, & importat dignitatem, quia suum oppositum non est notio, nec dignitas, scilicèt, esse ab alio in communi sumptum; imò est indignitatis in creaturis. Hoc ergo pacto sumitur Innascibilitas, cum eam Patris notionem, & essendi à se vocamus dignitatem.

80 Hæc est solutio, quam in nullo ex Scotistis (quem viderim) qui sua Scripta typis mandarunt, invenio; ipsam tamen maximè venerare debeo. Tum: quia est expressa Doctoris. Tum: quia ex illo desumpsit Scotista prædictus, quod alius non fecit. Tum denique: quia Scotistam prædictum titulis multis semper laudare debeo. Duo sufficiant declarare. Primum est: quia per trienium, per quem Theologiæ operam dedi, fuit vnus ex meis Magistris. Secundum est: quia in Scholis fuit semper plausibilis. & ita Sapientia, virtuteque singularis, vt Provincia mea, & illius charissima, grata laudibus, quas adquisivit per ipsum, illi, quantum potuit, laborum mercedē, & meritorum reddidit præmia, quin vsquè ad summum honorare desinerit. Hoc itaque sine adulationis nota, & absquè ponderatione aliqua de hoc viro (iam placente Deo, in pace requiescente) sine Scoti iniuria. & ve-

Solutio illius Scotistæ non placet.

nia

nia Magistri, solutio non placet, & ex regula ab ipso tradita.

81 *Impugnat. solutio.*

Sic oppono: vera non est regula illa, scilicèt, *Quando vnum oppositorum est proprietas pertinens ad dignitatem; oppositum non pertinet ad dignitatem;* & è conversò: *Quando vnum oppositorum non est pertinens ad dignitatem, suum oppositum pertinebit ad dignitatem*: ergo vera non est disparitas tradita. Consequentia infertur: nam disparitas tradita fundatur in illa regula; si ergo regula non est vera, vera nequit esse disparitas ex illa illata. Antecedens verò probatur: si regula illa esset vera, necessariò dicendum esset, quod Paternitas, & Filiatio (idemque de Spiratione activa, vel passiva) non esset in Divinis dignitas, nec notio; sed hoc est contra omnes Theologos, & contra Scotistam prædictum quinque notiones communitèr numeratas enumerantem: ergo vera non est regula illa. Probatur maior: iuxtà illā regulam quando vnum oppositorum est proprietas pertinens ad dignitatē, oppositum non pertinet ad dignitatem; sed Paternitas, & Filiatio sunt opposita (similitèrque activa, & passiva Spiratio) ergo iuxtà illam regulam aliquod illorū non pertinebit ad dignitatem: ergo si regula illa esset vera, necessariò dicendum esset, quod Paternitas, & Filiatio non essent in Divinis dignitas, nec notio.

82 *Si dicas.*

Si autem dicas: Paternitatem, & Filiationem (idemque de Spiratione activa, & passiva) esse quid positivū; regulam verò illam intelligendam esse de positivo, & negatione illius; ideòque prædictam replicam non valere. Contra primò: nam prædicta regula est absoluta, & generalis, vt appareat ex ipsa: ergo non valet responsio.

Contra 1.

Contra 2.

Secundò: quia vt Scotista prædictus disparitatem assignet inter Innascibilitatem, & Inspirabilitatem, contrahit regulam illam generalem ad negativum, & positivum, seu ad negationem, & positivum per illam negatū, vt claret ex eius responsione: ergo vt ego dicam, dispariratem esse nullam, contrahere possum regulam illam generalem ad positivum, & positivū Et certè in hoc nulla mihi apparet ratio in oppositum; ita enim rectè ex illa regula arguitur de negativo ad positivum, ac de positivo ad positivum, si positiva sunt opposita.

Contra tertio: dato, & non concesso, quod regula illa intelligatur de positivo, & negatione illius, adhuc prædicta regula non est vera: ergo in totum placere nequit disparitas data. Probatur antecedens: ex prædicta regula sequitur, quod Innascibilitas non sit notio, & dignitas Patris; sed Innascibilitas est negatio: ergo dato, quod regula illa intelligatur de positivo, & negatione illius, adhuc non est vera. Probatur maior: iuxta illam regulam omnis negatio in vna persona Divina reperta, negans aliquam notionem, & dignitatem in alia inclusam, non est notio, nec dignitas; sed Innascibilitas est negatio in Patre reperta, negans notionem, & dignitatem in Filio, & in Spiritu Sancto repertam: ergo ex prædicta regula sequitur, quod Innascibilitas non sit notio, & dignitas Patris. Probatur minor: Innascibilitas est negatio, negans omnem modum essendi ab alio; sed omnis modus essendi ab alio in Divini; est processio per generationem, & Spirationem, quorum primus est dignitas, & notio Filij, & secundus est notio, & dignitas Spiritus Sancti: ergo Innascibilitas est negatio in Patre reperta, negans notionem, & dignitatem in Filio, & in Spiritu Sancto repertam.

83 *Contra* 3.

Conta has tamen impugnationes opponi potest pro Scotista prædicto: nam impugnare doctrinam Scotistæ prædicti, est impugnare Scoti doctrinam; sed hoc nobis licitum nunquam potest esse: ergo nec licitum est, doctrinam prædicti Scotistæ impugnare. Minor, & consequentia tenent. Maior patet: quia doctrina Scotistæ prædicti est ipsa Scoti doctrina *citat. numer.* 77. ergo impugnare doctrinam Scotistæ prædicti, est doctrinā Scoti impugnare. Respondeo: certum esse, esse Scoti doctrinam; cœterum falsum est, Scotum ibi absolutè, & de propria sententia loqui. Hoc patet evidentèr: nam Scotus citatus *num.* 1. dubium ponit, scilicèt, quare Inspirabilitas non est communis notio Patri, & Filio? Ad quod *num.* 3. respondet dicendo: *Ad hoc etiam respondeo sicut responsum est de ista: ad tertium argumentum primæ quæstionis, qua quæritur: Vtrùm Ingenitū sit proprietas Patris? Tenendo igitur secundū communē opinionē, quod tantū sunt quinque notiones, potest dici, quod Inspirabilitas non est notio.* Verba sunt Scoti.

84 *Si opponas.*

Respondeo.

Ex

85 *Doctrina nostra Illustratur* 1

Ex quibus duo manifestè apparent, quę mirificè nostram doctrinam declarant, ob quod dixi *num.* 80. quod disparitas tradita à prædicto Scotista sine Scoti iniuria non placebat. Primum itaque est, Scotum propriam mentem declarare per ea, quæ dixerat *in Oxon. hic quæst. 2. ad 3. argum. 1. quæst.* Quod autem ibi expræsè teneat conclusionem à nobis posita, est manifestum, & constat ex eo, quod argumentum erat istud: *Si Innascibilitas esset proprietas Patris: ergo Inspirabilitas esset notio Patris, & Filij, & ita essent sex notiones, quod negatur communitèr.* Ad quod respondet concedendo consequentiam, & negando falsitatem consequentis, & non solum declarat qualitèr non sit inconveniens, ponere sex notiones, sed etiam obiectiones in contrarium solvit. Item hoc declarat *in Report.* Scholiastes per hæc verba: *Nec tamen est vllum periculum, si plures notiones admittas.* Deniquè: Scoti doctrina ductus Bargius *in Scotum hic*, posuit novem notiones neque hoc renuit concedere Faber, dummodo ad libitum non multiplicentur.

86 *Secundò.*

Secundum est: Scotum loqui supposita opinione communi de tantum quinque notionibus, in Divinis, vt patet ex illius verbis, ideòque non absolutè loquitur, sed ait duntaxat: *Potest dici*, quo modo loquendi non vtitur, quando propriam mentem declarat. In hac itaquè suppositione, quod sint tantum quinque notiones, visum fuit Scoto, illam rationem posse assignari pro disparitate inter Innascibilitatem, & Inspirabilitatem, vt illa, & non hæc, sit notio in Divinis; quod nobis non officit, quin potiùs, vt dixi, nostram doctrinam mirificè confirmat.

87 *Responsio Ill. Godoy.*

Vide *tom. 3. in 1. disput. 86. §. 3.*

Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disp. 86. num. 34.* solutionem adhibet nostræ suprà positæ probationi, quam proponere omitto, quia *tom. 3. in 1. Sent. disp. 86. §. 3. per totum*, illam propossui, & impugnavi, ibique videndum relinquo, quod ad Ill. Godoy attinet, vtpotè, ibi ex professo contra ipsum propugnatum est.

§. Vltimus.

Solvitur argumentum contrariorum.

88 *Arguunt contrarij.*

ADversarij omnes in vnum coincidunt argumentum contra nostram conclusionem secundã, quod tradit Smising *citat. num. 97.* & est in hunc modum: tot, & non plures, sunt ponendæ notiones in Divinis, quot requiruntur, & sufficiunt ad notificandum discrimen, processionemque personarum; sed quinque suprà relatę requiruntur, & sufficiunt: ergo quinque tantum notiones, & non plures, nec pauciores, dantur in Divinis. Cõsequentia tenet. Maior est certa, & ratio est, quia vt rectè ait D. Thomas *1. part. quæst. 32. artic. 2.* Hæretici coegerunt nos, vt ad tuendum Misterium Sanctissimæ Trinitatis, assignaremus certas personarum proprietates, quibus, & distingui personas, & vnam earum ab alia procedere, intelligamus; vt ita interrogantibus, quo personæ distinguantur, respondeamus, v. g. Paternitate, Filiatione, & quærentibus, quo procedat, v. g. prima à secunda, respondeamus, generatione: tot ergo, & non plures, sunt ponendæ notiones, quot requiruntur, & sufficiunt ad notificandum discrimen, processionemque personarum.

89

Quod autem requirantur illæ quinque notiones, vulgo à Doctoribus assignatæ, quod est prima pars minoris, probatum manet *numer. 11. 12. & 13.* vltra quod ampliùs declaratur: nam sine Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiva non potest innotescere distinctio trium personarum; cum hæ proprietates sint illarũ distinctivæ, illisq; conveniant cõditiones ad notionẽ requisitæ: ergo habent rationem notionũ in Divinis. Deindè: cum primæ, & secundæ personæ non solum competat ordo principij, & principiati inter se, sed etiam ordo principij ad tertiam personam, hic ordo non notificatur per Paternitatem, & Filiationem, cum non sit ordo, à quo alius per intellectum, sed per voluntatem: ergo necessaria est in Patre, & Filio alia notio præter Paternitatem, & Filiationem, notificans rationem principij à quo alius per voluntatem. Atqui hæc est activa Spiratio, cui etiam conveniunt conditiones ad notionem requisitæ: ergo necessariæ sunt quatuor notiones in Divinis. Deniquè: per has quatuor notiones nondum innotescit, vtrum in tribus Divinis suppositis sit status; an verò ab alio quartò supposito originem habeant: ergo necessaria est quinta notio Innascibilitatis

in Patre, per quam innoteſcat, Patrem omni principio carere, eſſeque primũ principium in Divinis, & ſic tria tantum eſſe ſuppoſita Divina: ergo quinque notiones requiruntur ad notificandum diſcrimen, proceſſionemque perſonarum.

90 2. *pars minor. prob.*

Quod verò quinque illę notiones ſufficiant, quod eſt ſecunda pars minoris, probatur excludendo neceſſitatem aliquorum proprietatum, quæ videri poſſent habere rationem notionis vltrà quinque prædictas: ſi aliquæ proprietates habere poſſent rationem notionis, maximè iſtæ, ſcilicèt, Inſpirabilitas, Inſpiratio, Ingenerativitas, Ingenerabilitas ſpecificè ſumpta, generatio activa, & generatio paſsiva; ſed nulla ex his poteſt habere rationem notionis: ergo quinque notiones ſuprà relatæ ſufficiunt ad notificandum diſcrimen, proceſſionemque perſonarum. Minorem probat Smiſing, ſolvendo argumenta, quibus probari poteſt: negationes prædictas eſſe notiones.

91 *Reſpondeo ad argum.*

Reſpondeo ad argumentum conceſſa maiori, negando minorem quoad ſecundam partem, ad cuius probationem nego etiam minorem, & ad probationem illius, quæ poſita eſt *numer.* 74. reſponſum manet per dicta *num.* 75. & 76. Nec alia indiget ſolutione. Per quod ſatis conſtat veritas Scoticæ opinionis.

92

His igitur ſtatutis circa numerum Divinarum notionum, adhuc reſtat ſcire, quæ ſit ratio, (ſuppoſita opinione de quinque tantum notionibus) vt alia præter quinque non detur? Hoc examinavit Scotus in Report. *citat.* & nos cum ipſo reſponſionem dedimus *tom. & diſput. citat. à num.* 44. *vſquè ad finem diſputationis.* Videantur ibi.

o)(o)(o

QUÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

An Verbum Divinum procedat ex cognitione Attributorum, & Perſonarum?

LAtè hanc difficultatem contra Ill. Godoy per tractavi *tom.* 3. *in* 1. *Sentent. diſput.* 89. ibique *num.* 11. contra Scotiſtas nobis adverſarios in hoc tomo diſputare promiſi, idque adimpleam, noſtram, & Scoti opinionem contra Magiſtrum ſpecialitèr propugnando. Vt autem ſolita claritate difficultas reſolvatur, & vera Scoti mens appareat, prioritatem, & poſterioritatem in Divinis repertam, à qua pendet maximè hæc quæſtio, declarare valdè neceſſariũ eſt.

§. I.

Prioritas, & poſterioritas, in Divinis reperta, declaratur.

Num. 1 *Gradus prioritatis, & poſterioritatis aſſignantur.*

INter gradus prioritatis, & poſterioritatis, qui cum Philoſopho *in Poſt prædicam. cap. de priori, & 5. Methaph. textu* 16. aſſignantur in Logica, præcipui ſunt prioritas, & poſterioritas dignitatis, vel perfectionis; prioritas, & poſterioritas durationis, ſeu temporis; prioritas, & poſterioritas naturæ; deniquè prioritas, & poſterioritas originis. Inter hos autem gradus fide certum eſt: prioritatem dignitatis, & durationis, non eſſe in Divinis, vt conſtat ex Symbolo D. Athanaſij: *Et in hac Trinitate nihil priùs aut poſteriùs, nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ, &c.* quomodo locuntur communitèr Patres contra Arrium, qui has prioritates poſſuit inter Divinas perſonas. Vndè ſolum remanet declarare prioritatem originis, & naturæ. Explicemus igitur has prioritates.

Prioritas dignitatis, & durationis nõ ſunt in Divinis.

2 *Prioritas originis explicatur.*

Prioritas originis apud Philoſophum coincidit cum prioritate cauſalitatis, quia in creatis nihil eſt prius origine, quod non ſit prius prioritate cauſalitatis. Cæterum quia datur productio abſque cauſalitate, ſeu imperfectione, & dependentia, quam cauſalitas includit, ideò Theologi præter prioritatem cauſalitatis, poſſuerunt prioritatem originis, quæ formalitèr conſiſtit in hoc: quod plura

sint inter se ordinata sic, *Quod vnum sit ab alio, tanquã à principio producente.*

3 *Prioritas originis est prioritas* à quo.

Hæc prioritas originis, vt præscindens à causalitate, dicitur formalitèr prioritas tantum *à quo*, quidquid dicat Faber. Ratio est: quia Scotus hanc prioritatem perpetuo explicavit per *à quo*, vt claret *ex* 1. *dist.* 12. *quæst.* 2. vbi ait: *Patrem priùs origine Filio spirare, & Filium posteriùs, quia Pater à se, Filius ab alio spirat.* Item: *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. ait: *Patrem priùs origine Filio intelligere lapidem, quia Pater à se, Filius ab alio intelligit.* Deindè: *quodlib.* 8. *litt. O.* ait: *Priùs origine causare, est causare à se, posteriùs, est causare ab alio.* Denique: expræsiùs *in* 1. *dist.* 10. *in fine*, vbi ait: *Distinguendo inter instantia originis, non distinguitur inter durationem, & durationem, sed tantum à quo quis sit.* Et *quodlib.* 4. §. *De primo*, ait: *Ordo autem originis non requirit, nisi quod hoc sit ab hoc.* Consistit ergo formalissimè prioritas originis in prioritate *à quo*.

4 *Dices cum Fabro.*

Dices cum Fabro *in* 1. *dist.* 25. *numer.* 21. Scotus ponit signa originis inter intellectum, & voluntatem, generationem, & Spirationem; sed nullum ex his est ab alio: ergo prioritas originis non consistit in prioritate *à quo*. Atqui quodlibet ex his est prius alio prioritate *in quo*: ergo prioritas originis explicatur per prioritatem *in quo*.

Respondeo.

Respondeo cum Rada 1. *part. controvers.* 5. Scotum aliquando per prioritatem originis intelligere prioritatẽ naturæ, & in hoc sensu ait: Intellectum origine præcedere voluntatem.

5 *Solutionem esse de mẽte Scoti, probatur.*

Et hanc solutionem esse de mente Scoti, probatur contra Fabrum: prioritas originis, vt à causalitate præscindens, de qua nunc loquimur, solum datur inter Divinas personas, vt constat ex eius diffinitione tradita *num.* 2. sed prioritatem personarum semper per prioritatem *à quo*, & nunquam per prioritatem *in quo* explicavit Scotus, vt constat ex *num.* 3. ergo prioritas originis, vt præscindens à causalitate, est prioritas tantum *à quo* iuxtà Scoti mentem. Prioritas verò originis, vt coincidit cum causalitate, formalitèr consistit in eo: *Quod vnum sit ab alio, tanquam à causa.* Vndè hæc prioritas dicitur *à quo*, & *in quo*, *A quo*, quia omnis effectus est originatus à causa, & ideò generatio viventium diffinitur: *est origo viventis à vivente. In quo*, quia omnis causa est prior effectu, saltim prioritate naturę, quę est prioritas *in quo*, vt nunc dicemus, prioritatẽ nature explicando.

6 *Prioritas naturæ variè explicatur.*

Prioritas naturæ variè à varijs explicatur. Primo igitur sumitur pro prioritate inconvertibilitatis, vt quãdo non convertitur subsistendi consequentia. Sic Scotus *in* 1. *dist.* 7. *in fine.* Et *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. quomodo omne superius est prius inferiore, quia à superiori ad inferius non valet consequentia, & quodcumque, cuius existentia non infert aliam; benè verò è contra, quomodo calor est prior igne; quia non valet: est calor: ergo est ignis; potest enim produci à Sole; benè verò è contra: est ignis: ergo est calor. Secundo sumitur prioritas naturæ pro prioritate independentiæ, seu naturalis præsuppositionis, quæ duplex est: Prima datur inter ea, quæ conveniunt alicui tertio, inter quę, quod primò convenit tertio, est prius prioritate naturalis præsuppositionis, & hoc modo genus est prius differentia respectu speciei; privatio est prior forma respectu materiæ. Secunda datur inter aliqua inter se comparata, quatenus entitas vnius necessariò præsupponitur ad entitatem alterius.

7 *Triplex adhuc acceptio prioritatis naturæ.*

Hæc prioritas est triplex. Prima est, quæ præsupponitur vt causa alterius per phisicam efficientiam, quomodo ait Scotus *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *litt. E.* causa est prior effectu, quę prioritas coincidit ex Scoto cum prioritate causalitatis. Secunda est; quę præsupponitur, vt causa alterius per methaphisicam efficientiam, & hoc modo est quæcumque radix prior radicato. Tertia est: quæ præsupponitur necessariò ad aliud absquè eo, quod sit causa phisica, vel methaphisica illius, quomodo intellectus est prior voluntate, & intellectio est volitione prior. Vndè prioritas naturæ, si sumitur pro prioritate inconvertibilitatis, & phisicæ causalitatis, optimè explicatur per hoc: quod vnum possit esse sine alio, & non è contra; nam ratione huius prioritatis quodlibet superius potest esse sine inferiori, & quælibet causa phisica sine effectu; licèt non è contra. Si verò sumatur quocumque ex alijs modis, explicari debet per solam præsuppositionem vnius ab alio, sicque cessat con-

troversia inter Scotistas circa explicationem illius.

8 *Prioritates naturæ ad duas acceptiones reducuntur.*

Omnes istæ acceptiones prioritatis naturæ reduci possunt, claritatis gratia, ad duas tantum in genere. Prima est prioritas essendi. Secunda intelligendi. Prima explicatur per habitudinem *in quo* essendi, ita, vt illud dicatur priùs natura, quod licèt sit actu simul cum alio, tamen quantum est ex se, potest esse sine illo, licèt non è contra; & hoc modo sunt natura priora, quæ diximus *num. anteced.* Ex hoc patet: quod hæc prioritas versatur inter extrema realitèr distincta; quia separatio possibilis est signum sufficiens talis distinctionis ex dictis *tom. 1. in 1. Sent. disp. 5. num. 44.* Declaratio huius prioritatis naturæ in essendo est Arist. *5. Methaph. cap. 2. textu 16.* vbi ait: Priora natura esse illa, quæ possiunt esse sine alijs, non verò alia sine ipsis; ideòque dixit 7. *Methaph. cap. 1.* Substantiâ esse accidentibus natura priorem, quia hæc separari potest ab hoc, & illo accidente; non verò è contra.

9 *Prioritas naturæ intelligẽdi declaratur.*

Secunda prioritas, scilicèt, intelligendi, explicatur per habitudinem *in quo* intelligendi, ita, vt illud dicatur hoc modo priùs, quod licèt in nullo instanti durationis possit existere sine alio, potest tamen concipi vt existens, non concepto alio vt existente, & hoc modo subiectum dicitur prius natura passione, intellectus voluntate, & quodcumque præsupositum necessariò ad aliud; nam omne tale potest præcisivè concipi vt exitens, non cõcepto alio vt existente. Ex hoc patet: quod hæc prioritas versatur inter extrema formalitèr distincta, vt apud nos distinguntur subiectum, & passio, intellectus, & voluntas.

10 *Prioritas originis, & naturæ sũt à parte rei.*

Istæ autem prioritates originis, & naturæ sunt prioritates à parte rei, vt tenet Scotus *in 1. dist. 1. quæst. 1. litt. H.* cum quo omnes Scotistæ. Ratio est: nam ordo prioritatis, seu prioritas fundatur in distinctione: ergo qualis fuerit distinctio prioris, & posterioris, talis erit prioritas, & posterioritas; atqui priora, & posteriora, tam origine, quàm natura, sunt à parte rei distincta: ergo tàm prioritas originis, quàm naturæ, sunt prioritates à parte rei. Antecedens est certum; nam omninò repugnat, quod idem sit prius, & posterius. Consequentia infertur, & probatur rationibus pro contradictione, & distinctione traditis *tom. 1. in 1. Sentent. disp. 5. num. 217. & 218.* Sumpta claret: nam priora, & posteriora origine sunt realia simpliciter, & realiter distincta; sunt enim producens, & productum modo explicato *num. 2.* Priora, & posteriora natura sunt formalitates à parte rei distinctæ. Cõsequentia est legitima. Vndè prioritas, quæ fuerit inter extrema ratione distincta, erit rationis.

11 *Dices 1.*

Dices primò: si hæc instantia sunt realia, indivisibile temporis, quod est instans, erit divisibile per instantia naturæ, & originis: ergo haberet partes, quod est falsum: ergo prioritates naturæ, & originis non sunt prioritates à parte rei. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: erit divisibile in instantia naturæ, & originis, concedo antecedens; in instantia temporis, nego antecedens, & distinguo consequens: ergo haberet partes, quæ sint instantia naturæ, & originis, concedo consequentiam; temporis, nego consequentiam, & etiam illatam: quia inconveniens solum esset in eo, quod esset divisibile in instantia temporis.

12 *Dices 2.*

Dices secundò: vnum est prius natura alio, quod potest concipi, alio nõ concepto: ergo hæc prioritas est per intellectum, & rationis. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: vnum est prius alio, quod potest concipi alio non concepto, & ideò est prius, quia sic concipitur, nego antecedens; & non ideò est prius, quia sic concipitur, concedo antecedens, & nego cõsequentiam. Itaquè: hæc prioritas dicit in recto entitatem vnius independentis quoad existentiam ab alio, & non è contra; & in obliquo nostrum modum concipiendi; vndè non ideò est prius, quia sic concipitur; sed quia independens est quoad existentiam ab alio, & non è contra.

13 *Prioritas naturæ est maior prioritate originis.*

Ex his autem prioritatibus prioritas naturæ est maior prioritate originis. Probatur: pura originis prioritas importat solum habitudinem *à quo*; prioritas verò naturæ, quæcumque sit, importat habitudinem *in quo*; sed prioritas *in quo* est maior prioritate *à quo*: ergo ex prioritatibus prædictis prioritas naturæ est maior prioritate originis. Confirmatur: quæ sunt priora, & posteriora origine sunt simul natura: ergo. Probatur antecedens: quæ sunt priora, & posteriora origi-

ne, sunt correlativa; sed correlativa sunt simul natura: ergo quæ sunt priora, & posteriora origine sunt simul natura.

14 *Si queras.* *Respondeo.*

Si autem quæras: An prioritas naturæ coincidat cum prioritate temporis? Respondeo negativè, & probatur: prioritas temporis dicit habitudinem *in quo* actualem, ita, vt prius existat in aliquo instanti, in quo non existat posterius; sed prioritas naturę, sivè essendi, sivè intelligendi, non dicit hanc habitudinem: ergo prioritas naturæ non coincidit cum prioritate temporis. Minor pro prioritate naturæ essendi constat ex *num.* 8. ideòque habitudo, quam dicit hæc prioritas, non est actualis, modo, quo explicatur in prioritate temporis; sed potentialis, vel aptitudinalis modo, quo explicata manet *num.* 8. Minor verò pro prioritate intelligendi ex *num.* 9. claret. Vndè prioritas naturæ est minor prioritate temporis, & maior originis.

15 *Inter Divinas personas datur prioritas, & posterioritas originis, vt à causalitate præscindit.*

Explicatis iam originis, & naturæ prioritatibus, duo restant declaranda. Primum est: quæ sint extrema, inter quæ datur prioritas, & posterioritas originis? Secundum est: quæ sint extrema, inter quæ datur prioritas, & posterioritas naturæ? Circa primum dicendum est, quod inter Divinas personas producentes, & productas datur prioritas, & posterioritas originis, vt à causalitate præscindit. Sic Scotus *in* 3. quem præter suos, sequuntur plures *citat.* à Mastrio. Est contra Thomistas, & licèt sit tantum discrepantia in modo loquendi, quod Scotus propriùs loquatur, authoritate, & rationibus ostendam.

16 *Probat. authorit.* *D. Augusti.* *Origines.* *Ricard. Vict.* *Hug. Vict.* *Damasc.* *Basil.*

Probatur primò authoritate: nam Augustin. *lib. de Triplici habitaculo propè finem*, & *lib. de Gaudijs electorum*, ait: *Pater non præcedit Filium tempore, sed origine.* Origines *homilia* 2. *in Ioann.* sic: *Præcedit Pater Verbum, non natura, sed causa*, vbi Græcorum more accipit causam pro principio. Ricard. Victor. *lib.* 5. *de Trinitate, cap.* 7. sic: *Quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter.* Hugo Victor. 6. *de Trinit. cap.* 6. sic: *Prius, & posterius hoc loco intelligi volumus, non temporis successione, sed ordine naturæ, vel originis.* Damasc. *lib.* 1. *de Fide, cap.* 9. sic: *Patrem esse maiorem, & superiorem Filio, non natura, sed causalitate, idest, origine.* Sic loquitur Basilius *lib.* 3. *contra Eunomium.* Et D. Epiphan. & Nacianzenus *citat.* à D. Thoma *Opusc. contra errores Græcorum, cap.* 2. & 9. Sic etiam locuntur denique.

D. Epiph. *Nacianz.*

17 *Respondet Caietanus.* *Contra.*

Respondet Caietanus: Patres intelligi de prioritate secundum nostrũ modum concipiendi; non verò ex natura rei. Contra: nam Basilius *lib.* 1. *contra Eunomium non longè à fine*, loquens de prioritate Divinarum personarum, ait: *Quonam igitur pacto rationem habet, ordinem in ijs negare, in quibus est prius, & posterius, non positione nostra, sed naturali quadam consecutione*: ergo locuntur Patres de prioritate ex natura rei, & consequentèr ruit solutio Caietani.

18 *Probat. 1. ratione.*

Probatur ratione. Primò: inter Divinas personas datur iuxtà Thomistas realis ordo originis ex natura rei, & non per intellectum; alioquim promiscuè quælibet persona dici posset prima, secunda, vel tertia: ergo & prioritas originis ex natura rei. Probatur consequentia primò ex August. *lib. de Civit. Dei* 18. dicente: *Prius, & posteriùs talem habent habitudinem ad ordinem, sicut par, & impar ad numerum*; sed nequit esse numerus, quin sit par, vel impar: ergo nequit esse ordo, quin sit prius, & posterius; sed inter Divinas personas datur iuxtà Thomistas realis ordo originis ex natura rei, & non per intellectum: ergo & prioritas originis ex natura rei. Probatur secundò: primum ex suo conceptu præcedit secundum eo modo, quo est primum: ergo si datur primũ, & secundum origine à parte rei, dabitur à parte rei prius, & posterius; sed inter Divinas personas datur realis ordo originis ex natura rei iuxtà Thomistas: ergo & prioritas originis ex natura rei. Probatur tertiò: ordo, vt ordo, est plurium dispositio secundũ priùs, & posteriùs; sed inter Divinas personas datur iuxtà Thomistas realis ordo originis ex natura rei, & non per intellectum: ergo & prioritas originis ex natura rei.

19 *Probat. 2. ratione.*

Probatur secundò: vbicumque non est omnimoda simultas, ibi necessariò est priùs, & posteriùs; quia priùs, & posteriùs, & simul, sunt contradictoria ex Philosopho; sed vbi est ordo realis originis non est omnimoda simultas: ergo ibi est priùs, & posteriùs. Atqui inter Divinas personas datur iuxtà Thomistas realis ordo originis

ex natura rei,& non per intellectum: ergo & prioritas originis ex natura rei. Probatur minor ſyllogiſmi: relatio omnimodæ æquiparantiæ nequit eſſe inter extrema diſquiparantiæ;ſed vbi eſt ordo realis originis, ibi ſunt extrema diſquiparantiæ, ſcilicèt,producens, & productum: ergo ibi non eſt omnimoda ſimultas, quæ neceſſariò requirit extrema omnimodę ęquiparantiæ.

20 *Probat. 3.* Probatur deniquè: principium,vt principium, etſi non ſit cauſa, nequit concipi ſine aliqua prioritate; ſed inter Divinas perſonas verè à parte rei datur principium, ſcilicèt,Pater:ergo nequit concipi ſine aliqua prioritate; atqui non prioritate durationis, nec naturæ: ergo originis: ergo idem, quod priùs. Probatur maior: privatio eſt principium, & non cauſa; ſed apud omnes eſt generatione prior: ergo principium, vt principium, etſi non ſit cauſa, nequit concipi ſine aliqua prioritate. *Confirmat.* Confirmatur: producens eſt prius producto ex terminis; ſed non duratione, vel natura: ergo originis.Ex his probationibus impugnata manet reſponſio Thomiſtarum dicentium: prioritatem, & poſterioritatem inter Divinas perſonas eſſe tantum per intellectum.

21 *Arguit. 1.* Arguitur primò: Patres, & Concilia negant prioritatem, & poſterioritatem inter Divinas perſonas: ergo inter perſonasDivinas non datur prioritas,& poſterioritas originis.*Reſpondeo.* Reſpondeo: Patres,& Concilia loqui de prioritate,&poſterioritate durationis,quę importat inæqualitatem ſubſtantiæ contra Arrium, quod non eſt contra nos. *Dices.* Dices: Patres,& Concilia negare abſolutè prioritatem, & poſterioritatem: ergo omnem negant. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiam; quia quando priùs, & poſteriùs abſolutè profertur ſine addito, vel reſtrictione, ſtat pro principaliori ſignificato, & analogato, quod eſt priùs duratione, & hoc eſt, quod negatur à Patribus,& Concilijs; non verò ab illis negatur cum hoc addito *originis*, imò ab ipſis declaratur,vt conſtat ex *n.* 16.

22 *Arguit. 2. ex Durand.* Arguitur ſecundò ex Durando: Pater ratione eſſentiæ non eſt prior origine Filio; ſed nec eſt prior ratione relationis: ergo inter Patrem,& Filium non datur prioritas, & poſterioritas originis. Atqui Pater eſt perſona producens, & Filius eſt perſona producta:ergo inter perſonas producentes,& productas non datur prioritas, & poſterioritas originis. Probatur minor: relationes ſunt ſimul natura: ergo Pater non eſt prior origine Filio ratione relationis. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando minorem, ad probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia prioritas minor ſtat cum ſimultate maioris, cum ergo prioritas originis ſit minor prioritate naturæ, cum ſimultate naturæ ſtabit prioritas originis. Solutio claret in prioritate naturæ, quę quia minor, ſtat cum ſimultate temporis. Ita Scotus *in* 1. *diſt.*28. *quæſt.*3. *& in* 4. *diſt.*13. *quæſt.*1. *numer.*24.

23 *Dices.* Dices:repugnat prioritas extra intellectum inter illa, quæ ſunt ſimul in intellectu; ſed perſonæ Divinæ ſunt ſimul in intellectu: ergo repugnat prioritas extrà intellectum inter Divinas perſonas. Atqui iuxtà à nobis dicta *num.*10.prioritas originis eſt extrà intellectum, vtpotè, à parte rei: ergo repugnat prioritas originis inter Divinas perſonas. Probatur minor: perſonæ Divinæ ſunt correlativæ;ſed correlativa ſunt ſimul cognitione:ergo perſonæ Divinæ ſunt ſimul in intellectu.*Reſpond.*1. Reſpondeo primo diſtinguẽdo maiorem: repugnat prioritas extrà intellectum inter illa, quæ ſunt ſimul in intellectu, ſimultate determinante ipſa obiecta, cõcedo maiorem; determinante actum intelligendi, vt tranſijt ſuper obiecta,nego maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem,& nego conſequentiam. Sic Scotus *in* 4. *citat.*

Itaquè eſſe ſimul in intellectu ſtat dupliciter. Primò: ita,vt ſimultas determinet obiecta, quæ intelliguntur. Secundò: vt determinet actum intelligendi, vt tranſit ſuprà obiecta. Vel aliij terminis: Primò: vt ſimultas dicat modum obiectorum ſecundum ſe. Secundò: vt dicat modum obiectorum, vt intelliguntur. Primo modo eſt vera prædicta maior. Secundò verò modo eſt falſa; quia licèt obiecta petant ſimul cointelligi;non propter hoc tollitur ab ipſis prioritas, quæ eis convenit ſecundum ſe, vt eſt prioritas originis.

24 *Reſpond.*2. Reſpondeo ſecundò omittendo maiorem, & diſtinguendo minorem: perſonæ Divinæ ſub munere referendi ſunt ſimul in intellectu, concedo

minorem; sub munere constituentis, nego minorem, & consequentiam. Divina igitur relatio habet munus constituendi, & referendi. Sub munere constituendi constituit personam, in esse suppositi, & sic ponit prioritatem in producente respectu producti. Sub munere referendi ponit inter extrema simultatem cognitionis, eo quod sint correlativa. Quando ergo dicimus, quod Pater est prior Filio, non ratione essentiæ, sed ratione relationis, loquimur de relatione sub munere constituentis; non verò referentis. Ita Scotus *in 4. citat.*

25 *Arguit. 3. ex Aureolo.* Arguitur tertiò ex Aureolo: signa originis ab Scoto posita sunt signa *in quibus*; sed Pater in nullo signo est prior Filio: ergo Pater non est prior origine Filio, & consequenter nostra, & Scoti doctrina ruit. Probatur maior: Scotus ait: Patrem esse in primo signo, Filium in secundo, & Spiritum Sanctum in tertio: ergo signa originis posita ab Scoto sunt signa *in quibus*. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem, vt constat ex *num.* 3. Ad probationem dico: Scotum loqui iuxtà consuetam explicationem ab ipso datam de signis originis, in quo sensu Patrem esse in primo signo, idem est, ac Patrem esse à se, & non ab alio, & similiter de Filio, & Spiritu Sancto, quæ solum sunt signa *à quibus*.

26 *Arguit. 4. ex alijs.* Arguitur quartò ex alijs: si Pater esset prior origine Filio, Filius non esset in primo signo originis; sed hoc est falsum: ergo Pater non est prior origine Filio. *Respond. 1.* Respondeo primo distinguendo maiorem: Filius non esset in primo signo, id est, non esset à se, concedo maiorem; alio modo, nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. *Secundò.* Respondeo secundo negando suppositum maioris; quia signa originis non sunt signa *in quibus*, sed *à quibus*, vt diximus *num.* 3. & 13. Vnde ad argumenta similia semper negabis suppositum.

27 *Inter Divina prædicata nõ datur prioritas naturæ essendi.* Circa secundum verò, scilicet, quæ sint extrema, inter quæ detur prioritas, & posterioritas naturæ? Dicendum est primo: quod inter nulla Divina prædicata datur prioritas naturæ essendi. *Probatur.* Probatur: illud est sic prius, quod potest esse sine posteriori, licet non è contra, vt diximus *num.* 8. sed nullum prædicatum Divinum potest esse sine alio, vt claret: ergo inter nulla prædicata Divina datur prioritas naturæ essendi. Confirmatur: hæc prioritas datur inter realiter distincta ex dictis *num. citat.* sed hoc abest à Divinis prædicatis: ergo, &c.

28 *Dices.* Dices: inter Divina prædicata datur prioritas inconvertibilitatis, seu substinendi consequentia; sed hæc prioritas pertinet ad prioritatem naturæ essendi ex *num.* 8. ergo inter Divina prædicata datur prioritas naturę essendi. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: prioritas inconvertibilitatis secundum se, concedo maiorem; ratione materiæ, subdistinguo: sufficiẽtis ad prioritatem naturæ essendi, nego maiorem; insufficientis, concedo maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Itaque prioritas inconvertibilitatis secũcum se est tantum logica, & in prædicando; ratione materiæ est talis, qualia sunt extrema, inter quæ datur. Cũ ergo prædicata Divina non sic se habeant, vt vnum possit esse sine alio, non sunt materia sufficiens, vt inter illa accipiat nomen prioritatis naturę essendi.

29 *Inter Divina prædicata datur prioritas naturæ intelligendi.* Dicendum est secundò: inter Divina prædicata datur prioritas naturę intelligendi, quæ appellatur ordo naturalis præsuppositionis. Prædicata autem, quæ hac gaudent prioritate sunt essentialia respectu notionalium; absoluta respectu relativorum; inter absoluta vero, communiora respectu minus communium; intellectus respectu voluntatis; intellectio respectu volitionis; vterquè actus ad intra respectu eorundem ad extrà; & vniversaliter, quæcumque prædicata Divina, quæ alijs præsupponuntur. Sic Scotus *quodlib.* 1. & alibi frequenter. *Probat. 1.* Probaturque primò: vbi est ordo cũ distinctione ex natura rei, ibi est prius, & posterius ex natura rei; sed inter Divina prędicata datur prædictus ordo; essentia enim prior est attributis: ergo inter Divina prædicata datur prius, & posterius ex natura rei. Atqui non prioritate temporis, nec originis iuxtà omnes: ergo prioritate naturę; sed non prioritate naturæ essendi ex *num.* 27. ergo inter Divina prædicata datur prioritas naturæ intelligendi.

30 *Probat. 2.* Probatur secundò: ibi est prioritas naturæ intelligendi, vbi vnum potest concipi pręcisivè vt existens, non concepto alio vt existente; sed plura

Di-

Divina prædicata poſſunt ſic concipi: ergo inter Divina prædicata datur prioritas naturæ intelligendi. Maior conſtat ex *num.* 9. Minor probatur: quando vnum præſupponitur neceſſariò ad aliud, poteſt concipi præciſiuè vt exiſtens, non concepto alio, vt exiſtente; ſed inter Divina prædicata plura neceſſario præſupponũtur alijs: ergo plura Divina prædicata poſſunt concipi præciſiuè, vt exiſtentia, non conceptis alijs, vt exiſtentibus. Maior patet: nam quando vnum præſupponitur neceſſario ad aliud, cognitio, vt terminata ad ipſum, non neceſſariò debet terminari ad aliud. Minor claret: nam Eſſentia præſuponitur attributis, vtpote, radix illorum. Imò vnũ attributum alio, vt intellectus voluntati, intellectio volitioni, & ſic de alijs, quæ ab eadem eſſentia ordinatè procedunt abſquè emanatione vnius ab alio; nam hoc ipſo, quod ordinatè procedunt, vnum præſupponitur alteri. Conſequentia eſt legitima.

31 *Dices.* Dices: prioritas naturæ eſſentiæ reſpectu attributorũ poteſt dici prioritas originis: ergo inter Divina prædicata non datur prioritas naturæ intelligendi. Probatur antecedens: eſſentia eſt à ſe, & non ab alio; attributa verò non ſunt à ſe, ſed ab alio; ſed hæc eſt prioritas originis: ergo prioritas naturæ eſſentiæ reſpectu attributorum poteſt dici prioritas originis. *Reſpond.* 1. Reſpondeo primò negando antecedens, ad probrt'onem diſtinguo maiorem: attributa ſunt ab alio per phiſicam productionem, nego maiorem; per emanationem, concedo maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequentiam. *Reſpond.* 2. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo antecedens: prioritas naturæ eſſentiæ reſpectu attributorum poteſt dici prioritas originis ſecundum quid, omitto antecedens; ſimplicitèr, nego antecedens; nam prioritas originis riguroſè reperitur ſolum inter producens, & productum; ex quo ad probationem diſtinguo minorem: eſſe à ſe, & non ab alio, eſt prioritas originis ſecundum quid, vel ſimplicitèr, concedo minorem; ſimplicitèr præciſè, nego minorem, & conſequentiam ob rationẽ datam. Alijs terminis: poteſt dici prioritas originis non pura, nec propriè dicta, omitto antecedens; pura, & propriè dicta, nego antecedens, & conſequentiam. Prioritas namque originis non pura, nec propriè dicta, eſt, quæ coincidit cum alia prioritate, vt contingit inter eſſentiam, & attributa. Pura verò, & propriè dicta, eſt, quæ omnem aliam prioritatem excludit, & hæc ſolum inter producens, & productum reperitur; & ex hoc diſtinguo ſimilitèr probationem. *Reſpond.* 3. Reſpondeo tertiò negando antecedens, ad cuius probationem diſtinguo maiorem: attributa ſunt ab alio, à quo realitèr diſtinguntur, nego maiorem; cum quo realitèr identificantur, concedo maiorem; diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequentiam; nam prioritas, & poſterioritas originis reperiuntur inter extrema realitèr diſtincta. Ex his habes triplicem differentiam inter prioritatem originis, & naturæ. Vltrà quod.

32 *Reſpond.* 4. Reſpondeo propriùs ad argumentum, negando antecedens, ad probationem, concedo maiorem, omitto minorem, & nego ſuppoſitum conſequentis; ſupponit namque, quod eſſentia ſit prior natura attributis, quia eſt radix illorum, quod eſt falſum; alioquin intellectus non eſſet natura prior voluntate; ſed ratio, qua eſt prior, eſt, quia neceſſario præſupponitur ad illa. Vndè licèt eſſe radicem in eſſentia ſit ratio præſuppoſitionis; non tamen eſſe radicem eſt ratio præſuppoſitionis, vt ſic, vt claret de intellectu, & voluntate. Cum ergo prioritas naturæ ſumatur ex præſuppoſitione, eſſentia, non quia radix, ſed quia præſupponitur, eſt natura prior attributis.

33 *3. ſigna in Divinis.* Vltrà hæc tamen Scotus *quodlib.* 14. *§. Hic intelligendum eſt, & in 2. diſt.* 1. *quæſt.* 1. ponit in Divinis tria ſigna naturæ. In primo eſt eſſentia, & natura Divina abſquè relationibus, & perſonis. In ſecundo ſunt productiones, & hic eſt primus ordo originis ad intra. In tertio eſt ſecundus ordo originis ad extrà. Vndè eſſentia Divina eſt prior prioritate naturæ iam explicata, quam perſonæ; & perſonæ ſunt eadẽ prioritate priores, quam quodlibet obiectum creatum, ſivè poſſibile, ſivè futurum; quarè priùs debet intelligi, intellectum movere ad cognitionem Eſſentiæ, quam ad cognitionem perſonarum, & priùs ad cognitionem perſonarum, quam ad cognitionem creaturarum.

34 Declarat denique Scotus *in 2. cit.* quomodo personæ Diuinæ se habeãt circa productionem creaturarum in esse intelligibili; constituitque in illo tertio instanti naturæ, qui est secundus ordo originis ad extrà, alium ordinem origis, non verum, & propriũ, vt est primus positus in secundo instanti naturæ, sed secundùm quid, aliquomodo correspondentem primo ordini. Dicit ergo, quod Pater priùs origine intelligit lapidem, quam Filius, quia Pater intelligit à se; Filius verò non à se, sed à Patre, & similitèr de vtroque respectu Spiritus Sancti. Vndè in cognitione creaturarũ, v. g. lapidis, est quidàm ordo originis inter Diuinas personas, non simplicitèr, quia personæ per illum ordinem non producuntur; sed secundum quid, quatenus, scilicèt, Filius habet à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, habere notitiam lapidis.

35 Exemplum ponit Scotus in creaturis. Sortes originatur à Platone per se secundum humanitatem, originatur etiam ab eodem secundum risibilitatem. Primus ordo est ordo originis simplicitèr, quia dat esse simplicitèr, & primum esse. Secundus ordo est quasi secundum quid; nam ex eo, quod Sortes dat Platoni humanitatem in primo instanti, dat risibilitatem in secũdo, quia risibilitas humanitatem concomitatur. At si Sortes, & Plato priùs haberent humanitatem, & posteà risibilitas produceretur, Sortes, & Plato causarent simul risibilitatẽ; cum hoc tamen ordine, quod Plato priùs origine, quam Sortes, quia Sortes haberet, illam causare à Platone. Sic similitèr in præsenti: licèt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul concurrant ad productionem lapidis in esse intelligibilis, priùs origine Pater, quam Filius, & vterque priùs, quam Spiritus Sanctus, ad productionem concurrunt.

Vndè in tertio instanti naturæ, quod est secundus ordo originis ad extrà possumus ponere tria signa. In primo Pater producit lapidem in esse intelligibili, quia illum producit à se. Filius in secundo signo, quia non à se sed à Patre. Spiritus Sanctus in tertio signo, quia illum producit ab vtroq; & hoc pacto possumus dicere, quod Pater priùs origine intelligit lapidem, quam Filius, scilicèt, quia intelligit à se, Filius non à se, sed à Patre; Filius etiam priùs origine intelligit eundem lapidem, quam Spiritus Sanctus, quia Spiritus Sanctus non à se intelligit, sed ab vtroque.

36 *Objicit Scotus.* Objicit tamen Scotus contra hanc doctrinam: nam iuxtà dicta Pater priùs origine producit lapidem in esse cognito, quam Filius illum producat; hoc autem videtur falsum, quia tunc sequitur, quod vel Filius non producat lapidem, vel quod idem bis producatur, vel saltẽ sequitur, ipsum produci, postquam intelligitur esse productum à Patre. *Respondet Scotus.* Respondet Scotus: non valere consequentias istas: quoniam ibi priùs, & posteriùs, sivè illa signa originis, non denotant aliqua instantia temporis, vel naturæ, in quibus sint productiones diversæ; sed denotant diversa signa originis, quę sunt in eodem instanti naturæ, & denotant non diversas productiones lapidis, sed eandem, diverso tamen modo ab illis personis provenientem; provenit à Patre à se, a Filio à Patre, à Spiritu Sancto ab vtraque, & ideò non sequitur, bis produci, quia non sunt diversa instantia naturæ, neque diversæ productiones.

37 *Alia obiectio ex Scoto* Dices: licèt sit vnicum instans naræ, tamen sunt plura signa originis, in quorum primo Pater producit, non Filius, In secundo autem Filius, & in tertio Spiritus Sanctus: ergo in primo signo originis præintelligitur esse productus à Patre, & consequentèr non potest produci à Filio, quia actus ille videtur esse adæquatus Patri, sicut Filius non potest producere alium Filium, quia vis generativa, vt in Patre, habet terminum adæquatum. *Respondet ipse.* Respondet ipsemet Scotus, negando consequentiam; ad probationẽ respondet: non esse parem rationem de originatione, & productione facta in primo ordine originis, & de originatione, & productione facta in secundo ordine originis; nam in primo ordine est productio simplicitèr personarũ, quia in primo signo Pater est à se, in secundo realitèr, & verè producit Filium, in tertio vterque Spiritum Sanctum; at in secundo ordine est originatio, non simplicitèr, sed secundum quid, ideſt, non est ordo in productionibus simplicitèr, sed est ordo in modo producendi idem, quia est vnica productio lapidis à tribus, sed est ordo in modo, quo ad illam produc-

tio-

tionem concurrunt, quia Pater à se, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque; & ideò Pater in primo signo, Filius in secundo, Spiritus Sanctus in tertio, producunt lapidem.

38 *Alia obiectio ex Scoto.*

Sed adhuc obijcit Scotus: licèt primus ordo originis sit ordo simpliciter, & secundus sit ordo secundum quid, tamen videtur ratio manere in suo robore, & in productione secundum quid; nam si lapis est productus à Patre, non videtur, posse produci à Verbo, quoniam semper stat illa ratio, nimirum, quod vis generativa habet in Patre terminum adæquatū, si enim illa ratio est vera in productione simpliciter, etiam erit vera in productione ista secundum quid, & sic lapis productus à Patre secundum quid, non poterit produci à Filio secundum quid.

39 *Respondet Scotus.*

Respondet Scotus: rationem, propter quam Filius non potest generare, non esse illam solam, quia, scilicèt, memoria, vt in Patre, habet terminū adæquatum; sed oportet addere, quia ipsum Verbum non est producibile ab eo, cui communicatur principium producendi, nimirum, à se ipso. Et rursus, quia non potest præcedere terminum adæquatum productum, nimirum se ipsum.

40

Et fundamentum huius doctrinæ est: quia illa propositio communis: potentia habens terminum adæquatum priùs origine, quam sit in alio, cui communicatur, non est illi principium producendi, non est vera, sic nudè accepta; sed debet addi, dummodo illud, cui communicatur, non possit præcedere terminū illum adæquatum, vel terminus ille adæquatus non sit producibilis ab eo, cui communicatur illud principium, quæ duæ conditiones reperiuntur in Verbo; etenim non est producibile ab eo, cui à Patre communicatur memoria, quia tunc esset Verbum producibile à Verbo; nec est aptum natum præcedere terminum adæquatum, scilicèt, Verbum, quia præcederet se ipsum, quæ omnia sunt absurda; at loquendo de obiecto secundario, illud, cui communicatur principium producendi creaturas in esse intelligibili, quod sunt Filius, & Spiritus Sanctus, & potest præcedere terminum productum, scilicèt, lapidem in esse intelligibili, & lapis est producibilis ab illis personis, quibus communicatur hoc principium: ergo licèt Pater priùs origine producat; non tamen obstat, quin etiam Filius, & Spiritus Sanctus producant, nec tamen bis producitur, vt dictum est ad superiorem dubitationem.

§. II.

Sensus difficultatis aperitur, & referuntur sententiæ.

41

SVb alijs terminis hæc solet proponi difficultas, scilicèt, An Verbum procedat ex cognitione omniū, quæ formalitèr in Deo reperiuntur, & hæc de Verbo difficultas, eadem est (proportione servata) de Spiritu Sancto, nempè, An Spiritus Sanctus ex amore omnium, quæ sunt formalitèr in Deo procedat; resolutio namque vnius est vtriusque resolutio. Sed quia in Scholis de Verbo proponitur quæstio, de Verbo illam proponimus, & vtrumque amplectuntur dicenda.

42 *Duplex modus exagitandi difficult.*

Hęc itaquè difficultas sic proposita (relicto modo, quo in eius disputatione vtuntur Thomistæ, de quo diximus *tom. 3. in 1. Sentent. disp. 89. numer. 4*) duplicitèr eam exagitant Scotistæ. Primò ita, vt ly *ex* dicat duntaxat simplicem præsuppositionē cognitionis ad productionem Verbi, quo in sensu præsentem difficultatem instituit Mastrius *in 1. disp. 7. quæst. 2. numer. 57.* Vndè in hoc sensu inquirere: An Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ formalitèr reperiuntur in Deo? Idem est, ac inquirere: an cognitio omnium, que formalitèr in Deo reperiuntur, præcedat productionem Verbi prioritate naturæ intelligendi?

Primus.

Mastrius.

43 *Hic modus est insufficiens.*

Hic tamen modus à Mastrio propositus insufficiens est ad hanc exagitandam quæstionem. Et ratio mihi evidens est: nam quæstio in sensu à Mastrio declarato est destructiva quęstionis propositæ: ergo insufficiens est ad hanc exagitandam quæstionem. Probatur antecedens: quæstio proposita æquè quærit de cognitione personarum, ac de cognitione attributorum; sed quæstio in sensu à Mastrio declarato est destructiva huius quæstionis: ergo quæstio in sensu à Mastrio declarato est destructiva quæstionis propositæ. Consequentia est legitima. Maior est apud omnes certa, constatque ex titulo, quo Mastrius

eam

eam proponit, & singulariter id expræsit de attributis,& personis *n.*57.

44 *Prob. min.* Minor verò probatur: In sensu à Mastrio declarato non est locus quæstioni de cognitione attributorum: ergo quæstio in sensu à Mastrio declarato est destructiva huius quæstionis. Probatur antecedens: sensus quæstionis à Mastrio declaratus, est ita, vt ly *ex* dicat duntaxat simplicem præsuppositionem cognitionis ad productionem Verbi; atqui nullus, saltim Scotista, dubitare valet simplicem præsuppositionē cognitionis ad productionem Verbi: ergo in sensu à Mastrio declarato non est locus quæstioni de cognitione attributorū. Maior, & consequentia tenent. Minor autem plenè,& planè docetur ab Scoto *quodlib.*1.*§. De secundo*, dicente: Essentialia esse priora notionalibus, ideò que in Divinis attributa esse priora relationibus, quod cum Magistro nos diximus *num.*29. idque propugnat ipse Mastrius *in* 1.*disp.*2.*quæst.*3.*n.*129.

45 *Secundus modus exagitandi quæst.* Ob hoc igitur aliter ab alijs sensus præsentis difficultatis declaratur, dicendo: quod Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ formaliter reperiuntur in Deo, duobus modis potest intelligi. Primò: ita, vt ex cognitione omnium illorum specificativè procedat. Secundò: ita, vt procedat ex cognitione omnium reduplicativè. Qui sensus magis ab alijs declaratur, dicendo: duobus modis posse intelligi, Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ formaliter sunt in Deo. Primò: concomitanter, & quasi per accidens. Secundo: per se,& vt ex obiectis adeò necessarijs ex parte principij, vt si per impossibile Pater non intelligeret omnia, quæ formaliter sunt in Deo, non produceret Verbum Divinum, etiam si essentiam Divinam, & omnia illius attributa cognosceret.

46 Et quidem in primò sensu non procedit præsens difficultas; est enim manifestum, Verbum saltim concomitanter procedere ex cognitione omnium, quæ formaliter reperiuntur in Deo. Et ratio est: quia cum in re,& de facto cognitio, ex qua procedit Verbum, terminetur ad omnia, quæ formaliter sunt in Deo in eo instanti æternitatis, in quo est generatio Filij; necessariò cognitio omnium, quę formaliter sunt in Deo, data hypothesi, quod per se non concurrat ad generationem Filij; illam saltim concomitabitur. Solum igitur in secundo sensu procedit præsens difficultas, & sensus illius est: Vtrum Verbum Divinum procedat ex cognitione omniū, quæ formaliter sunt in Deo, tanquam ex quodam per se, & quarto modo necessario? *Verus sensus quæstionis.*

47 Hic itaquè est sensus, in quo præsens difficultas disputari debet. Et ratio est. Primò: nam cum de ratione Verbi sit exprimere ea, quæ latebant in mente proferentis Verbum, ex obiectis latentibus, & fœcundantibus mentem Patris, consequentèrque illā constituentibus, quasi in actu primo potentem Verbum producere, colligendum est, quę sint obiecta, quæ Divinum Verbum manifestat, & exprimit ex vi suæ productionis, & hæc sunt obiecta, ex quibus per se Verbum procedit. Secundò: nam cum Verbum iuxtà August.15. *de Trinit.cap.*7. & 10. procedat ex memoria fœcunda Patris, quæ nihil aliud est, quam intellectus fœcundatus Divina essentia, quæ per modum speciei representat se ipsam, attributa, & relationes, vt docet Scotus *in* 1.*dist.*2.*quæst.*7. quod in opinione Scoti quæri debet, est: An Verbum procedat per se ex intellectu, vt his omnibus fœcundato? Vel an fœcunditas aliquorum solum concomitanter se habeat?

48 Et certè hunc esse, & debere esse sensum quæstionis præsentis, vltrà rationes datas,& vltrà hoc, quod id docent Scotistæ plures,& docere debent omnes illi, qui concedentes cum Magistro,& veritate: cognitionem attributorum præcedere productionem Verbi, negant tamen, Verbum procedere per se in quarto modo ex cognitione attributorum, vt est per se notum; Thomistæ etiam in hoc sensu quæstionem disputant, vt pro omnibus dixit,& sufficit Ill. Godoy. qui pro declaratione huius sensus advertit *tom.*3.*in* 1.*part.disput.*89.*num.*5. id per se in quarto modo ad alicuius productionem concurrere, quod per se exigitur, vt illius principium. Id autem non per se quarto modo perfectis se habere, quod licèt vel sit idem cum principio formaliter, vel identicè, tamen à termino non petitur, vt eius principium, sicut personarum Trinitas, etsi per se comparetur ad

Deum

Deum vnum in eſſe entitativo, non tamen eſt per ſe neceſſaria in quarto modo ad creaturarum productionẽ; quia per ſe non petunt pro ſui principio Deum, vt Trinum, ſed tantum, vt vnum. Debemus igitur in ſenſu prædicto quæſtionem diſputare, ne Thomiſtæ in vno, & nos in alio ſenſu difficultatem reſolvamus.

49 Vndè quærere: An Verbum per ſe procedat ex cognitione omnium, quæ formaliter in Deo reperiuntur? Idem eſt, ac inquirere: An Verbum procedat ex memoria fęcunda Patris, repræſentante per modum ſpeciei omnia, quæ ſunt formaliter in Deo? Vel an omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, ſint obiecta neceſſaria in quarto modo dicendi per ſe, fęcundantia intellectum Patris ad productionem Verbi? Vel an Verbum ex vi ſuæ productionis exprimat omnia, quæ ſunt formaliter in Deo? Vel an omnia, quę ſunt formaliter in Deo, ita neceſſariò cognoſcantur ante productionem Verbi, vt ſi per impoſsibile Pater non intelligeret illa omnia, non produceret Verbum Divinum? Vel deniquè: an (dato, & non conceſſo, quod Verbum procedat per cognitionem, ſivè tanquam per principium *quo*, ſivè tanquam per actionem, vt locuntur Thomiſtæ, contra quos oppoſitum ſtatuimus *tom. 3. in 1. Sentent. diſp. 72.*) Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo? Quocumque enim ex his modis Verbum ex aliquo procedere, eſt procedere ex cognitione illius per ſe, & quarto modo neceſſariò; & alio quocumque modo procedere, eſt tantum concomitantèr, & quaſi per accidens ex illo procedere.

50 Iuxta quam doctrinam ſupponendum eſt in præſenti, quod licèt attributa præcedant productionem Verbi; Verbum tamen non procedit ex cognitione attributorum per ſe, & vt ex obiectis in quarto modo neceſſarijs, ſed ad ſummum procedere ex cognitione illorum, tanquam quid naturaliter pręſuppoſitum. Primum, ſcilicèt, quod attributa præcedant productionem Verbi, patet: nam vt diximus *numer. 29.* abſoluta ſunt priora notionalibus prioritate naturæ intelligendi; ſed attributa ſunt abſoluta, & Verbi productio eſt notionalis: ergo attributa præcedunt productionem Verbi. Ex hocque claret tertium, ſcilicèt, Verbum procedere ex cognitione attributorum, tanquam quid naturaliter præſuppoſitum; nam Verbum procedere ex cognitione alicuius, vt quid naturaliter præſuppoſitum, nihil aliud eſt, quam naturaliter præſupponi ad productionem Verbi; ſed attributa iuxta dicta ſunt quid naturaliter præſuppoſitum ad productionẽ Verbi: ergo Verbum procedit ex cognitione attributorum, tanquam quid naturaliter præſuppoſitum. Secundum verò patebit ex dicendis in diſcurſu quæſtionis.

In qua triplex verſatur ſententia. Prima defendit: Verbum procedere ex cognitione attributorum, & perſonarum, ly *ex* dicente tantum ſimplicem præſuppoſitionem. Et hic eſt ſenſus improprius quæſtionis. Sic aliqui Scotiſtæ, nempè, Vulpes *diſput. 66. de Trinitate, artic. 6.* Herrera *diſput. 15. quæſt. 3.* Scherius *diſput. 6. quæſt. 11.* Sghemma *de Deo Vno, & Trino, tit. 16. quæſt. 6.* Et *tit. 18. quæſt. vltim.* Smiſing *de Deo Trino, diſput. 3. quæſt. 5.* Et cum illis Maſtrius *in 1. diſput. 7. quæſt. 2.* Secunda ſententia aſſerit: Verbum ex cognitione attributorum, & perſonarum procedere, non ſolum vt ly *ex* dicit ſimplicem præſuppoſitionem; ſed etiam per ſe in quarto modo. Et hic eſt proprius ſenſus quæſtionis. Ita Thomiſtæ omnes. Tertia ſententia eſt vtrique oppoſita. Sic Antiquiores Scotiſtæ, ſcilicèt, Baſolius, Tataretus, Viguerius, & ex Recentioribus quam plures, vt Rada *1. part. controverſ. 11. concl. 4.* Faber *in 1. diſt. 1. quæſt. 2.* Brancaſius *tom. 2. de Deo Trino, lib. 3. diſput. 2. quæſt. 7.* Pontius *diſput. 10. quæſt. 2.* Et alij plurimi. Hanc opinionem declarabimus, quæſtionem in vtroque ſenſu examinando. Pro quo ſit.

51 *1. Sentent.* *Vulpes.* *Herrera.* *Scherius.* *Sghemma.* *Smiſing.* *Maſtrius.*

2. Sentent. *Thomiſtæ.*

3. Sentent. *Baſolius.* *Tataretus.* *Vigerius.* *Rada.* *Faber.* *Brancaſius* *Pontius.*

§. III.

In ſenſu proprio reſolvitur quæſtio.

52 *Concluſio.* COnclusio: *Verbum per ſe in quarto modo nec ex cognitione attributorum, nec ex cognitione perſonarum procedit.* Hæc concluſio à nobis ſtatuitur, quia licèt pro attributis expræſsè in Scoto, non tàm appareat, quàm pro perſonis, ad vtrumque plura loca deſerviunt, & eadem eſt ratio pro attributis, & perſonis. Probatur itaque primò ex Scoto *in 1. diſt. 1. quæſt. 2. §. Ad* *Probat. 1. ex Scoto.*

solutionem quæstionis, vbi ait: *Pater priùs origine, quam generet Filium, est perfectè beatus*, quod magnificè explanat pro nostra conclusione his verbis: *In illo priori habet obiectum perfectè beatificans: non videtur autè in illo priori habere essentiam communicatam tribus, vt obiectum, sed vt essentiam absolutè, vel essentiam, vt est in vna persona præcisè.* Ex quibus verbis manifestè infertur: solam Essentiæ cognitionem supponi ad processionem Verbi: ergo nec ex cognitione attributorum, nec ex cognitione personarum Verbum procedit.

53 *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius *citat. num.* 71. ex allato Scoti testimonio potiùs oppositum colligi; nam ibi Scotus concedit, Patrem in primo signo originis se ipsum cognoscere perfectissimè, & comprehensivè, etiam sub ratione Patris: ergo eodem actu, re, & ratione cognoscit quoque Filium, quoniam correlativa secundum Philosophum sunt simul cognitione: ergo etiam pro eodem signo potest cognoscere, & diligere Spiritum Sanctum, atque ita de facto cognoscit, & diligit, cum in æternis sit idem esse, & posse; neque Doctor ibi docuit vnquam, Patrem in primo signo non cognoscere essentiam, vt in tribus, sed solum docet, nò esse de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificans Patrem, esse in tribus, quod facile deducitur ex ratione, quâ adducit; hoc enim probat, quia Pater nullam perfectionem absolutam, qualis est beatitudo, accipit à Filio, & Spiritu Sancto, qua ratione sanè non probatur, Patrem in primo signo originis non cognoscere essentiam, vt in tribus, sed solum cognitionem eius non esse beatificam, eo, quod sit essentiæ, vt in tribus, sed eo, quod sit essentiæ absolutè, licèt de facto pro quocumque signo ad essentiam terminetur, vt in tribus.

54 *Impugn. 1. solutio* Impugnatur primò solutio Mastrij: Scotus *citat.* vult, Patrem in primo signo cognoscere essentiam, vt non communicatam tribus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: Scotus vult, Patrem priùs origine, quam generet Filium, esse perfectè beatum; sed essentia, vt non communicata tribus, est obiectum essentiale beatitudinis: ergo Scotus vult, Patrem in primo signo cognoscere essentiam, vt non communicatam tribus. Probatur secundò: Scotus vult, Patrem in primo signo cognoscere essentiam, vt est obiectum essentiale beatitudinis; sed essentia, vt non communicata tribus, est tale obiectum: ergo idem, quod anteà. Probatur tertiò: Scotus vult, Patrem in primo signo cognoscere essentiam, vt est obiectum primarium; sed essentia, vt est obiectum primarium, non est essentia, vt communicata tribus: ergo idem, quod priùs. Consequentia est legitima. Minor apud Scotistas certissima; nam essentia pro priori ad communicationem tribus personis, est obiectum primarium. Maior autem est Scoti *citat.* qui *in fine §.* assignat rationem his verbis: *Quia personæ habent rationem obiecti, quasi secundarij.* Probatur quartò: Scotus *citat.* vult: *Patrem in illo priori habere* solum *essentiam absolutè*, vel *essentiam, vt est in vna persona præcisè*, quæ sunt Scoti verba: ergo Scotus vult, Patrem in primo signo cognoscere essentiam, vt non communicatam tribus.

55 *Impugn. 2.* Ex quo efficacitèr (meo videri) impugnatur secundò Mastrij solutio: si Scotus *citat.* docet: Essentiam esse in tribus, non esse de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificans Patrem (vt ait Mastrius) Scotus *citat.* docet: Essentiam esse in vna persona, esse de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificans Patrem; sed hoc est contra Scotum, & omnes Scotistas asserentes: solam essentiam esse obiectum beatitudinis: ergo solutio Mastrij est contra Scotum, & se ipsum, & consequentèr nulla. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur: ideò Scotus vult iuxtà Mastrium, quod sola essentiæ cognitio sit beatificans, quia Scotus *citat.* loquendo de obiecto beatificante, ait: *Sed vt Essentiam absolutè*; atqui etiam ait Scotus: *Vel Essentiam, vt est in vna persona præcisè*: ergo si Scotus *citat.* docet: Essentiam esse in tribus, non esse de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificans Patrem; Scotus *citat.* docet: Essentiam esse in vna persona, esse de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificans Patrem.

56 *Impugn. 3.* Impugnatur tertiò: ideò iuxtà Mastrium prædictus Scoti locus non probat: Verbum non procedere ex cognitione personarum; quia Pater cognoscendo se sub ratione Patris in primo signo originis, vt docet Scotus

loco *citat.* per hęc verba: *Vel Eſſentiam, vt eſt in vna perſona præciſè*, cognoſcit pro eodem ſigno Filium, & Spiritum Sanctum: ergo cognitio Patris, Filij, & Spiritus Sancti non præſupponitur prioritate naturæ ad proceſsionem Verbi. Hæc conſequentia eſt notoria. Primò: quia alioquim Pater pro eodem ſigno non cognoſceret perſonas, quod eſt contra ſolutionem Maſtrij. Secundò: quia cognitio Spiritus Sancti nequit præſupponi prioritate naturæ ad proceſsionem Verbi; alioquim & Spiritus Sanctus hac prioritate prę ſupponeretur, quod eſt contra fidem.

57 Infero nunc: ergo prædictus Scoti locus probat: Verbum non procedere ex cognitione perſonarum. Probatur conſequentia: prædictus Scoti locus iuxtà Maſtrium probat, quod cognitio perſonarum ſit pro eodem ſigno originis: ergo probat, quod cognitio perſonarum non prę ſupponatur prioritate naturæ ad proceſsionem Verbi: ergo prædictus Scoti locus probat: Verbum non procedere ex cognitione perſonarum. Probatur hæc conſequentia: vt prædictus Scoti locus probet, quod Verbum non procedat ex cognitione perſonarum, ſufficit, quod probet, quod cognitio perſonarum non præſupponatur prioritate naturę ad proceſsionem Verbi; atqui iuxtà Maſtrium prædictus Scoti locus probat: quod cognitio perſonarum non præſupponatur prioritate naturæ ad proceſsionem Verbi: ergo prædictus Scoti locus probat: Verbum non procedere ex cognitione perſonarum. Conſequentia eſt legitima. Minor eſt ſolutio Maſtrij. Maior autem eſt doctrina ipſius, ſenſum quæſtionis explicando, vt diximus *num.* 42.

58 *Impugn. 4.* Impugnatur quartò: nam dato, & non conceſſo, Patrem in illo priori cognoſcere Eſſentiam, communicatam tribus, quamque cognitionem præcedere prioritate naturæ intelligendi proceſsionem Verbi, adhuc non probatur: Verbum procedere ex cognitione perſonarum, modo, quo quæſtio examinatur: ergo ex prædicto Scoti teſtimonio non colligitur oppoſitum noſtræ concluſioni, quod eſt contra ſolutionem Maſtrij. Conſequentia eſt certa. Antecedens verò probatur: ad hoc, vt Verbum procedat ex cognitione perſonarum modo, quo examinatur quæſtio, cognitio perſonarum deberet exigi per ſe, vt principium productionis Verbi; ſed dato, & non conceſſo, Patrem in illo priori cognoſcere Eſſentiam, communicatam tribus, quamque cognitionem præcedere prioritate naturæ intelligendi proceſsionem Verbi, cognitio perſonarum non exigeretur per ſe, vt principium productionis Verbi: ergo dato, & non conceſſo, Patrem in illo priori cognoſcere eſſentiam, communicatam tribus, quamque cognitionem præcedere prioritate naturæ intelligendi proceſsionem Verbi, adhuc non probatur: Verbum procedere ex cognitione perſonarum, modo, quo quæſtio examinatur. Conſequentia eſt legitima. Maior patet ex dictis *num.* 48. Minor conſtabit ex probatione noſtræ concluſionis.

59 *Probat. 2. concluſ. ex Scoto.* Probatur ſecundò concluſio ex Scoto *in 2. diſt. 1. quæſt. 1. §. Sed contra*, vbi docet: tantum prę ſupponi ad productionem Verbi, cognitionem obiecti primi, quod eſt eſſentia. Vbi etiã ſignificat, perſonas non pertinere ad primarium obiectum intellectus Divini. Vndè ait, *ꝟ. Similitèr: Priùs ergo naturaliter, quam intellectus, & voluntas Divina habeant, vel reſpiciant aliquod aliud obiectum ſecundarium, habetur completa ratio productionis perſonarum Divinarum; & per conſequens illæ perſonæ priùs producuntur, quam aliquod aliud obiectum præſentetur; & multo magis priùs, quam aliquod obiectum cauſetur*: ergo perſonæ Divinæ non producuntur ex præſuppoſita cognitione alterius obiecti, prę ter primum, quod eſt Eſſentia.

60 *Reſpondet Maſtrius.* Reſpondet Maſtrius *citat. num.* 71. quod nullo modo loquitur ibi Doctor de ordine inter cognitionem, dilectionemque perſonarum, ac earundem proceſsiones, ſed ſolum agit de ordine inter obiectum primarium, & ſecundarium, per quod obiectum ſecundarium ibi præcipuè intelligit creaturam, vt notat Smiſing *num.* 268. quia loquitur de obiecto ſecundario, quod per actum potentiæ fieri poteſt in eſſe obiectivo, & produci in eſſe cognito, & volito, ſed ſolæ creaturæ poſſunt in tali eſſe produci, vt hoc præcedit eſſe reale exiſtentiæ creaturæ, non autem Divinæ perſonę, atque ideò vt loquitur ibi Doctor de obiecto ſecundario, Divinas perſonas

non comprehendit sub eo, sed potiùs sub obiecto primario.

61 *Reijcitur 1*

Hæc tamen Mastrij solutio ex littera textus Scoti reijcitur primò: Scotus vocat obiectum secundarium, non solum creaturas, sed etiam personas: ergo ruit solutio Mastrij. Probatur antecedens: Scotus *citat. §. Ad solutionem*, hæc habet: *Primum obiectum intellectus Divini, & voluntatis Divinæ est sola Essentia Divina, & omnia alia sunt tantum secundaria obiecta.* Et postea addit: *Intellectus Divinus habens essentiam, obiectum sibi præsens, non tantum est potentia operativa circa illud, sed etiam potentia productiva notitiæ adæquatæ illi intellectui*: ergo Scotus vocat obiectum secundarium, non solum creaturas, sed etiam personas.

62 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundò solutio Mastrij ex alijs Scoti testimonijs: nam solam Essentiam Divinam, vt ab attributis; & personis distinctam, esse obiectum primarium (loquor de obiecto terminativo, de quo duntaxat potest dici esse primarium, vt supposuimus *tom. 1. in 1. Sentent. disput. 25. num. 32. & 33.*) est Scoti doctrina *quæst. 3. Prologi, §. Contra istos.* Et *in Report. in 1. dist. 35. quæst. 2.* Et *in 1. dist. 13. §. Ad argument. & Ad aliud de potentijs*, vbi ait: *Nulla enim perfectio, quasi radicata in ipsa Essentia Divina, est primo beatificativa intellectus, vel voluntatis Divinæ, sed ipsa Essentia Divina sub omnimoda prima ratione, vt, scilicèt, est fundamentum omnis perfectionis in Divinis*: ruit ergo Mastrij explicatio.

63 *Reijcitur 3*

Reijcitur tertiò prædicta Mastrij solutio: nam nihil certius in Scoto videtur, quam quod Divinæ relationes non sint obiectum primarium Divini intellectus: ergo Scotus in nostra probatione allatus, vocat obiectum secundarium, non solum creaturas, sed etiam personas, & consequentèr ruit Mastrij solutio Probatur antecedens: nihil certius in Scoto videtur, quam quod obiectum primarium Divini intellectus sit formalitèr infinitum, & perfectum, vt docet Doctor *Collatione 20.* sed nihil certius in Scoto videtur, quam quod Divinæ relationes non sint formalitèr infinitę, & perfectæ ex eodem Scoto *quodlib. 5. §. de 2. artic.* ergo nihil certius in Scoto videtur, quam quod Divinæ relationes non sint obiectum primarium Divini intellectus.

64 *Reijcitur 4*

Reijcitur quartò Mastrij solutio: sola essentia Divina, ab attributis, & personis distincta, est obiectum motivum Divinæ cognitionis, & primarium terminativum: ergo attributa, & personæ sunt obiecta terminativa secundaria: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione attributorum, & personarum, sed solum concomitantèr, & quasi per accidens. Antecedens est Scoti locis *citat.* & omnium Scotistarum pro personis, & etiam pro attributis, Ill. Merinero excepto. Est etiã plurium Thomistarum, vt Caietanus *1. part. quæst. 12. artic. 8.* Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disput. 25. num. 72.* cum alijs ab ipso citatis. Est etiam plurium Patrum Societatis, vt Suarez, Bazquez, Granadus, Alarcon, & alij, cum quibus omnibus hanc opinionem propugnavimus *tom. & disput. citat. §. 5. vsque ad finem disput.* Prima consequentia est legitima. Secunda autem probatur: ex cognitione illius obiecti Verbum procedit per se, à quo specificatur Patris cognitio; sed hæc à solo primario obiecto specificatur: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione attributorum, & personarum, sed solum concomitantèr, & quasi per accidens.

65 *Respondet Mastrius.*

Hanc replicam sibi obiecit Mastrius *num. 72.* cuius responsionem ad litteram transcribo: *Respondeo* (inquit) *an relationes, & attributa pertineant ad obiectum primarium, vel secundarium Divini intellectus, est quæstio de modo loquendi; nam si obiectum primarium Divini intellectus omnia illa appellare velimus, quæ ex natura rei sunt formalitèr in Deo, & cum Divina Essentia identificantur, ita sanè, & relationes, & attributa ad obiectum primarium spectare dici debent, & solæ creaturæ ad obiectum secundarium; at si obiectum primarium dicatur illud, quod ex se vim habet repræsentandi omnia Divino intellectui, & est illius primo motivum, vt in argumento sumi videtur, in hoc sensu sola Essentia propriè dicitur obiectum primarium Divini intellectus, aliæ verò formalitates in Deo existentes, sivè absolutæ, sivè relativæ, ad obiectum secundarium spectabunt. Et ratio est: quia Essentia Divina ob infinitam vim repræsentandi, non modò creaturas, sed etiam suas proprietates repræsentare potest: ergo cadunt sub intellectum Divinum virtute Essentiæ, & non immediatè, quod est esse secundarium biectum Divini intellectus.*

Ve-

66 *Verum tamen, quia creaturæ non sunt à parte rei formaliter in Deo, vt attributa, & relationes, atque ideò ex vi cognitionis essentiæ formaliter non attinguntur à Divino intellectu, vt illa; hinc est, quod creaturæ simpliciter, & absolutè dicuntur obiectum secundarium Divini intellectus, relationes verò, & attributa dicuntur obiectum quasi secundarium. Qua formula loquendi sæpius vtuntur Scotus, & Scotistæ; hoc autem permisso pro illius assumpti declaratione.*

67 *Dico* (prosequitur Mastrius) *argumentum in primis æquè probare, quod Verbum non procedit ex cognitione attributorum, quoniam neque ista ad obiectum primarium Divini intellectus in rigore spectare dicuntur, quod si de obiecto primario minus rigurosè loquamur, vt nempè, sub ipso comprehendantur quæcumque sunt ex natura rei formaliter in Deo, tunc ad obiectum primarium æquè spectabunt relationes, ac attributa, atque adeò ex notitia omnium, quæ formaliter sunt in Deo procedit Verbum.*

68 *Deniquè: cum infertur ex illo antecedente, Verbum non procedere primario, & per se ex cognitione personarum, sed solum secundario, & concomitanter; si hoc ita intelligatur, vt re vera videtur in argumento intelligi, quod cognitio earum, nec sit principium formale* quo *processionis Verbi, neque ipsa actio productiva, hoc planè gratis concedimus, nedum de cognitione personarum, sed etiam ipsius essentiæ; nam eius quoque cognitionem negamus esse principium formale* quo *processionis Verbi, aut actionem ipsam productivam, vt constat ex dictis ab initio quæstionis* numer. 57. *vndè etiam in hoc sensu concedimus solum secundario, & concomitanter Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo, quatenus in Patre eorum omnium cognitio præcedit Verbi productionem modo explicato, non quidem per modum principij, sed veluti cuiusdam conditionis necessariò præsuppositæ.*

69 Tota hæc Mastrij responsio ad formam reddacta, reducitur (retorsione de attributis suppositа) ad distinguendum sic antecedens: sola Essentia est obiectum primarium Divinæ cognitionis, sumpto obiecto primario pro eo, quod ex se vim habet repræsentandi omnia Divino intellectui, estque illius motivum, concedo antecedens; sumpto obiecto primario pro omnibus illis, quę ex natura rei sunt formaliter in Deo, & cum illo identificantur, nego antecedens; & distinguet similiter primum consequens. Secundū verò sic distinguet: ergo Verbum non procedit per se ex cognitione attributorum, & personarum, si ly *ex* dicat præsuppositionem cognitionis per modum principij *quo*, vel actionis productivæ respectu Verbi, concedo consequentiam; si ly *ex* dicat præsuppositionem cognitionis per modum cuiusdam conditionis necessariò præsuppositæ, nego consequentiam.

Formalizatur responsio.

Hæc tamen Mastrij solutio reffellitur primò: solutio Mastrij est omnino voluntaria: ergo ruit. Probatur antecedens: velle appellare obiectum primarium Divini intellectus omnia illa, quæ ex natura rei sunt formaliter in Deo, & cum Divina Essentia identificantur, est omnino voluntarium; sed hæc est Mastrij solutio: ergo est omnino voluntaria. Minor cum consequentia tenet. Pro probatione autē maioris, quęro à Mastrio: in quo Scoti testimonio hanc doctrinam de obiecto primario Divini intellectus invenit, vel ex quo Doctoris loco illam deduxit? In nullo certè, & ex nullo. Iterum quæro: in quo Scotista illam vidit? In nullo. Et si hoc negat, Scotū citet, & Scotistam nominet: ergo velle appellare obiectum primarium Divini intellectus omnia illa, quæ ex natura rei sunt formaliter in Deo, & cum Divina Essentia identificantur, est omnino voluntarium. Et certè hoc expræsit Mastrius per ly *vellimus*, in sua solutione positum.

70 *Impugn.* 1.

Reffellitur secundò: solutio Mastrij est sibi contradictoria: ergo nulla etiam apud ipsum. Probatur antecedens: appellare obiectum primarium Divini intellectus omnia illa, quæ ex natura rei sunt formaliter in Deo, & cum Divina Essentia identificantur, est Mastrij solutio; sed hoc est sibi cōtradictorium: ergo solutio Mastrij est sibi contradictoria. Probatur minor: est contradictorium cum hoc, scilicèt, quod Essentia Divina sola sit tale obiectum; attributa verò, & relationes sint obiecta secundaria simpliciter; atqui vtrunque docet Mastrius: ergo sibi contradicit. Consequentia est legitima. Maior evidens. Minor verò pro prima parte est Mastrij solutio.

71 *Impugn.* 2.

Pro secunda autem constat evidenter: nam Mastrius *in* 1. *disp.* 2. *quæst.*

2. *pars minor constat ex ipso.*

1. *num.* 102. respondendo ad quandam replicam, hæc habet: *Quare dicendum cum Scoto in* 1. *distinct.* 1. *quæst.* 2. *litt. D. Vnum tantum esse obiectum primarium Divini intellectus, nempè, Divinam Essentiam; hæc namque tantum est quasi motiva, & primario terminativa Divinæ intellectionis; attributa verò, & relationes esse obiecta veluti secundaria, & secundario terminativa.* Et comparationem faciendo de attributis, & personalitatibus in creaturis in ratione obiecti secundarij Divini intellectus, concludit Mastrius his verbis: *Attributa verò, & relationes habent esse reale, & actuale ex natura rei in Divina Essentia, & ideò prioritate naturæ, vel rationis comparatione Divini intellectus dicuntur habere prius esse cognoscibile, quam cognitum; & quatenus sunt ibi secundum hoc esse secundario terminant actum Divini intellectus, ideòque dicuntur habere rationem obiecti secundarij simpliciter.* Docet igitur Mastrius, quod sola Essentia Divina est obiectum primarium Divini intellectus; attributa verò, & relationes obiecta secundaria simpliciter, quod est sibi in præsenti contradicere.

72 *Impugn.* 2. Tertiò refellitur solutio Mastrij, aliam contra ipsum contradictionem probando: attributa, & relationes iuxtà solutionem Mastrij sunt obiectum primarium Divini intellectus: ergo Verbum per se in quarto modo necessariò procedit ex cognitione attributorum, & personarum. Atqui hoc est contra Mastrium, vt claret ex eius solutione, & opinione illius, vt dictũ est *num.* 51. ergo sibi, & suæ opinioni contradicit solutio. Probatur prima consequentia, in qua est tota difficultas: Verbum per se in quarto modo necessariò procedit ex cognitione obiecti primarij intellectus Divini; atqui attributa, & relationes, iuxtà solutionem Mastrij sunt obiectum primariũ Divini intellectus: ergo Verbum per se in quarto modo necessariò procedit ex cognitione attributorũ, & personarum. Consequentia est legitima. Minor est solutio Mastrij. Maior autem est omnium Theologorum, nullo excepto.

73 Ex his patet: solutionem à Mastrio datam ad secundum consequens, vltrà hoc, quod est sibi contradictoria, non esse ad rem. Primò: quia nos non loquimur de cognitione attributorum, & personarum, vt ly *ex* dicit præsuppositionem cognitionis per modum principij *quo*, vel actionis productivæ respectu Verbi; in hoc enim sensu verum est apud omnes Scotistas, Verbum non procedere adhuc ex cognitione ipsius Essentiæ ob dicta *num.* 49. Secundò: quia quod concedit Mastrius de cognitione, si se haberet per modum principij *quo*, concedere tenetur de memoria fæcũda Patris, quæ est principium *quo* processionis Verbi, & de omnibus alijs modis, quibus disputatur quæstio, & de quibus diximus *num.* 49. Deniquè: retorsio, quam Mastrius facit de attributis, tàm longè abest, vt nostram infirmet opinionem, quod est nostræ conclusionis probatio.

74 *Probat.* 3. *concluſ. ex Scoto.* Probatur tertiò conclusio ex Scoto *in* 1. *dist.* 32. *quæst.* 2. §. *Ad vltimum dico*, *num.* 14. dicente: Spiritus autem Sanctus ex vi principationis suæ neq; primo, nec concomitantèr est amor creaturæ, quia creatura tantum contingentèr amatur à Deo; licèt autem ex vi productionis suę primo sit amor Essentiæ; tamen concomitantèr potest dici amor Filij, quia illæ personæ sunt in natura primo *amata ex necessitate illius naturæ.* Nihil clariùs pro nostra conclusione. Nec video, quid possit in Scoti opinione responderi.

§. IV.

Ratione probatur conclusio, & argumentis occurritur.

75 *Probatur concluſ. ratione.* PRobatur conclusio hac ratione: illud est obiectum necessarium in quarto modo ad productionem Verbi, quo posito, & secluso quocũque alio, producitur Verbum infinitum; sed posita Essentia, vel intellecta in intellectu Patris in ratione intelligibilis, præcisis attributis, & relationibus, ponitur sufficiens principium, vt Verbum infinitum evadat: ergo attributa, & relationes non sunt obiecta necessaria in quarto modo ad productionem Verbi. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur: posita, vel intellecta essentia in intellectu Patris in ratione intelligibilis, præcisis attributis, & relationibus, ponitur principium formalitèr, & radicalitèr infinitum, quod est pellagus, & radix omnium perfectionũ; atqui principium formalitèr, & radicalitèr infinitum, quod est pellagus, & radix omnium perfectionum, est prin-

ci-

cipium sufficiens, vt Verbum infinitum evadat: ergo posita Essentia, vel intellecta in intellectu Patris in ratione intelligibilis, præcisis attributis, & relationibus, ponitur sufficiens principium, vt Verbum infinitum evadat.

76 *Respondeb. pro adversarijs.*

Respondebis pro adversarijs: quod Verbum, quod præcisis attributis procedet, non esset ita perfectum, ac si procederet ex Essentia, & attributis simul; nam talia attributa dicunt perfectionem distincta formaliter à perfectione Essentiæ, quam non habent personalitates, propter quod illas excludit Scotus ab obiecto beatifico, & primario. *Contra.* Contra: quia omnem illam perfectionem, quam dicunt attributa, habet Essentia eminentissimo modo; siquidem est radix, & pellagus omniū illarum perfectionum, & illa attributa habent suas perfectiones ab essentia: ergo Verbum, quod ex Essentia præcisè evadit, ita infinitè perfectum est, ac si oriretur etiam ex attributis.

Differentia inter attributa, & relationes.

Vndè adhuc tenendo hanc opinionem de attributis, est inter attributa, & relationes notoria disparitas in ordine ad processionem Verbi: nam Verbum nec procedit ex cognitione personarum per se, vt ex obiectis in quarto modo necessarijs, nec procedit ex cognitione illarum, tanquam quid naturaliter præsuppositū; at Verbum, licèt non procedat ex cognitione attributorum per se, & vt ex obiectis in quarto modo necessarijs; procedit tamen ex cognitione illorum, tanquam quid naturaliter præsuppositum.

Dices.

Dices tamen pro adversarijs: iuxtà hanc nostram doctrinam Verbum, nec ex cognitione personarum, nec ex cognitione attributorum procedit per se, & vt ex obiectis in quarto modo necessarijs: ergo tàm ex cognitione attributorum, quàm ex cognitione personarum procedit Verbum concomitantèr duntaxat: ergo nulla est differentia inter attributa, & personas in ordine ad processionem Verbi, quod falsum esse, videtur manifestè; asserimus namque, Verbum procedere ex cognitione attributorum, tanquam quid naturaliter præsuppositum, quod de cognitione personarum negamus.

Respondeo.

Respondeo itaquè concesso antecedenti, distinguendo primum consequens: ergo tàm ex cognitione attributorum, quàm ex cognitione personarum procedit Verbum concomitantèr duntaxat, & pro eodem signo, nego consequentiam; & pro diverso signo, concedo consequentiam. Distinguoque secundum consequens: ergo nulla est differentia inter attributa, & personas in ordine ad processionem Verbi per se, & vt ex obiectis in quarto modo necessarijs, concedo consequentiam; in ordine ad processionem Verbi concomitantèr, subdistinguo: in linea concomitantiæ absolute, concedo consequentiam; in magis, & minus lineæ concomitantiæ, nego consequentiā. Itaquè licèt Verbum procedat solum concomitantèr absolutè, tam ex cognitione personarum, quàm ex cognitione attributorum; est differentia inter vtramque cognitionem; nam ex cognitione personarum procedit concomitanter pro nunc solum æternitatis; ex cognitione verò attributorum procedit concomitantèr, non solum pro nunc æternitatis, sed etiam pro illo signo naturæ, in quo attributorum cognitio præsupponitur ad productiones personarum, quam prioritatem non habet cognitio personarum ad productiones earum.

77 *Argumenta soluta manent.*

Contra nostram conclusionem in proprio quæstionis sensu statuta, plura obijciunt Thomistæ, præsertim Ill. Godoy, quæ soluta manent *tom. 3. in 1. Sent. disp. 89.* Mastrius verò nihil contra ipsam obijcit, quia quæstionē in sensu improprio disputavit. Sed vt videatur omnimoda veritas illius, advertendum est: quod nunquam dixit Scotus, quod cognitio attributorum, & personarū sit ita necessaria ad productionem Verbi, quod si per impossibile Pater ea non intelligeret, non produceret Verbum, quod erat necessarium, vt ex cognitione attributorum, & personarum per se in quarto modo procederet. Vndè per Scoti loca à Mastrio adducta solum probari potest: cognitionem personarum præcedere productionem Verbi, quod non est contra nostram supra positam conclusionem, vt de attributis dictū est *num. 50.* sed quia est contra Scoti mentem, & veritatem, illa declarabimus, quæstionem in sensu Mastrij examinando. Sit ergo.

NOTA.

§. V.

In sensu Mastrij resolvitur quæstio.

78 2. Conclus. SEcunda conclusio: *Verbum non procedit præsuppositivè ex cognitione personarum; benè verò ex cognitione attributorum.* Hæc conclusio pro secunda parte est omnium Scotistarũ, probataque manet per dicta *n.* 50. Quoad primam verò, in qua stat præsens difficultas, est contra Mastrium, & alios Scotistas, tum antiquiores, quos sequitur ipse; tum Recentiores eum sequentes; habet tamen conclusio plures Scotistas illam propugnantes, qui pro vtraque opinione relati sunt *numer.* 51. Hæc conclusio à nobis statuitur, vtpotè, Magistro conformior, vt pater ex dictis §. 3. vbi Scoti testimonia sibi fabentia declaravimus, & expossuimus, solutionesque Mastrij, aut expositiones impugnavimus. Hic deserviant pro veritate conclusionis, & quæ in oppositum Mastrius adducit, genuinæ Scoti menti exponemus, dum Mastrij argumenta solvamus.

79 Probat. 1. ex Scoto. Sed vltrà dicta testimonia, probatur primò ex Scoto, (& propriùs ad hunc quæstionis sensum) *quodlib.* 14. §. *Hic intelligendum est.* Et *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. vbi in eodem signo naturæ ponit personas, vt dictum est *num.* 33. Probat. 2. ex Scoto. Secundò ex eodem *in disputationibus Collat. disp.* 27. *num.* 2. ℣. *Aliter ostenditur idem*, vbi de productione Verbi loquens, ait: Et est alia productio, quę non dicit aliquam mutationem, nec per quam capitur esse post non esse, vel post nihil; sed tantum capitur esse de esse: *Tunc videtur, quod sic est dare signum originis, in quo est Pater, non Filius; quod non est, nisi esse in priori originis Essentiam in Patre, quæ in Filio non est in illo priori; non tamen essentiam non esse sub Filiatione, quia semper actualissimè est sub Filiatione; sed posteriùs origine habet Filiationem à se, quod stat cum hoc, quod actualissimè habet Filiationem: Ideò non est dare signum naturæ, in quo Pater fit, vel intelligit non existente Filio, vel non intelligente; sed tantum Pater intelligit priùs origine: ergo licèt essentia sit priùs sub non filiatione, non tamen in priori signo naturæ*: ergo iuxtà Scotum personæ non præsupponuntur nec in esse, nec in cognosci aliqua prioritate naturæ ad processionem Verbi: ergo Verbũ non procedit præsuppositivè ex cognitione personarum. Efficatia huius rationis declarabitur in discursu quæstionis. Tertiò ex eodem *in* 2. *citat.* §. *Quantũ ad* 2. *artic.* ℣. *Sed contra istud, num.* 12. dicente: *Non tantum Pater novit creaturas formaliter, sed etiam novit Filiũ formaliter: igitur si de omnibus, vt notis Patri, gignitur Verbum, de Verbo, vt noto Patri, gignitur Verbum, & ita Verbum gignitur de Verbo.* Hanc consequentiam infert Scotus ex antecedenti, quod erat Henrici, ponentis idæas practicas in intellectu Paterno ante productionem Filij. Ex quo satis constat nostra conclusio. Probat. 3. ex Scoto.

80 Probat. 2. conclus. ratione specialiter de Verbo. Ratione probatur conclusio secundò specialiter de Verbo: si Verbum procederet ex cognitione personarũ præsuppositivè, procederet ex cognitione intuitiva personarum præsuppositivè: ergo procederet ex cognitione intuitiva sui præsuppositivè: ergo Verbum ante sui productionem esset existens. Atqui implicatorium omnino est, quod aliquid sibi ipsi præsupponatur existens: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Antecedens conceditur à Mastrio *num.* 68. asserente: Verbum procedere ex cognitione intuitiva personarum, ad illas in se ipsis existentes terminata. Prima consequentia est legitima. Secunda autem probatur: cognitio intuitiva terminatur ad obiectum existens; sed Verbum iuxtà Mastrium procedit ex cognitione intuitiva sui præsuppositivè: ergo Verbũ ante sui productionẽ est existens.

81 Probationẽ adducit Rada sub alia forma. Hanc rationem adducit Rada *cit.* sub hac forma: Personæ Divinæ in se ipsis non præsupponuntur ad productionem Verbi: ergo neque cognitio intuitiva earum in se ipsis. Antecedens est evidens, primò: quia tunc Verbum Divinum sibi ipsi præsupponeretur, & existeret ante sui productionem; vel saltem absquè vlla repugnantia posset præintelligi, vt actu existens ante sui productionem. Secundò: quia Spiritus Sanctus necessariò sequitur ad productionem Verbi: ergo non potest esse, aut supponi pro priori ad productionem Verbi. Probatur illa consequentia: nam si cognitio intuitiva ad personas in se ipsis terminata præsupponitur ad Verbi productionem, necesse est, quod personæ ipsæ in se, & secundum proprias substantias, præsupponantur eidem

pro-

productioni, sine quibus in se ipsis talis cognitio præsupposita subsistere nequit.

82 *Respondet Mastrius.* Respondet Mastrius *citat. num.* 68. hoc argumentum apertam continere fallaciam, quia ex prioritate originis, & *à quo* infert prioritatem durationis, & *in quo*; siquidem ex eo, quod Pater præcedat origine Filium, & Spiritum Sanctum, inferre non posse, vt origine priorem, intueri Filium, & Spiritũ Sanctum origine posteriores; quo discursu manifestè supponitur, Filium, & Spiritum Sanctum non existere in eo signo, in quo est Pater, quod est manifestè falsum, quia vt sæpè repetitum est ex Doctore, signa originis tantum indicant *à quo quis sit*, cum omnimoda simultate essendi, & absquè vlla successione in existendo: vndè Pater prior origine Filio, & Spiritu Sancto, in ratione essendi, aut existendi non est prior; nec sic præsupponitur Pater ad Filium, & Spiritum Sanctum, sed solum, quia isti sunt ab alio, & non è contra.

83 *In forma respond. 1.* Vndè in forma duplicitèr valet respondere. Primò concesso antecedenti cum prima consequentia, negando secundam, ad cuius probationem concessis præmissis, negando consequentiam ob prædictam fallatiam, & ratio est: quia licèt Filius non possit cognosci, quin in se sit, Pater cognoscit Filiũ pro priori ad ipsum, non quidem ante quam sit Filius, vt vult argumentum, sed pro priori originis, ideſt, cognoscit, se generare Filium in se existentem. *Secundò.* Secundò distinguendo probationem dictam: cognitio intuitiva terminatur ad obiectũ existens pro signo priori durationis ad cognitionem, nego maiorem; pro eodem signo durationis, in quo est cognitio, concedo maiorem, & concessa minori, negatur consequentia.

84 *Ad argum. sub forma à Rada adductum.* Ad argumentum sub forma, qua Rada illud adducit, respondet concesso antecedenti, negando consequentiam cum eius probatione; quia aliud est loqui de esse, aut existentia Verbi, & Spiritus Sancti, & aliud de cognitione eorum; siquidem esse eorum in ipsis est, & ad ipsos spectat; & ideò prior ipsis esse nequit, nec prioritate originis; aliàs respectu ipsorum, & in se ipsis, essent, & non essent à se ipsis producti; cognitio autem eorum non spectat ad ipsos, sed ad Patrem priorem origine, prout est principium totius fœcunditatis ad intrà: vndè sicut Pater dicitur prior Verbo, & Spiritu Sancto, quia à se ipso, & isti ab illo, etsi omnes sint simul; similitèr cognitio, prout ad illum spectat, in illo signo prioritatis dicetur prior origine Filio, & Spiritu Sancto, etsi attingat illos simul cum Patre existentes in se ipsis.

85 *Si instes cõtra Mastrium.* Si verò instes contra Mastrium: in signo, in quo datur cognitio intuitiva Verbi, Verbum est productum, & etiã Spiritus Sanctus: ergo non producitur ex ipsius, & Spiritus Sancti præsupposita cognitione. *Respondet.* Distinguere valet consequens: ex ipsius, & Spiritus Sancti præsupposita cognitione, prioritate durationis, concedit consequentiã; prioritate originis, negat consequentiam; quia in hac præcognitione ly *præ* nõ significat, nisi quod in Patre ly *prius origine*; & cum data simultate omnimoda in tribus personis, Pater est prior, eo signo, & eo modo, quo est prior, ipsius cognitio est præcognitio, seu cognitio præsupposita: vnde quãdo Filius producitur, iam est Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, quia omnes sunt simul, omni simultate essendi; licèt detur prioritas, & posterioritas originis inter illos, quia vnus est ab alio, & non iste ab illo.

86 *Si amplius instes.* Si amplius instes contra ipsum: Verbum non præsupponitur existens ante sui productionem per te: ergo neque præsupponit in Patre cognitionem sui existentis ante sui productionem, & consequentèr ex tali cognitione non procedit. *Respondet.* Respondet negando consequentiam; ratio est: quia Verbũ respectu sui ipsius nec habet prioritatem *à quo*, nec *in quo*, ideò nullatenus potest præsupponi existens ante sui productionem; cœterum Verbũ respectu Patris cognoscentis, habet saltim posterioritatem *à quo*, ac proindè, vt posterius posterioritate *à quo* præsupponit tali prioritate in Patre cognitionem sui, vt existentis, quod nihil aliud est, quam quod in eodem instanti agnoscat Pater Filium; & Filius Patrem; ast Pater non habet à Filio talem cognitionem; benè verò Filius à Patre.

87 *Si adhuc replices.* Si denique contra ipsum replices: nullum est signum, in quo sit Verbũ, in quo non sit cognitio Patris: ergo Verbum non præsupponit cognitio-

nem Patris: ergo Verbum non procedit presuppositivè ex cognitione, quia Verbum procedere ex cognitione Patris præsuppositivè, est, præsupponere cognitionem Patris. *Respondet.* Respondere potest distinguendo primũ consequens: Verbum non præsupponit cognitionem Patris, presuppositione, & prioritate durationis, concedit cõsequentiam; præsuppositione, & prioritate *à quo*, negat consequentiam.

88 Ad hoc itaquè, claritatis gratia, redducitur lata Mastrij solutio, & maioris gratia claritatis, tota solutio Mastrij redducitur ad hoc: quod sicut Pater est prior origine Filio, quia est à se, & non à Filio; ita prioritate originis cognoscit Filium intuitivè in se ipso, ante quam sit, non pro priori durationis, quia sunt simul in omni signo durationis; sed pro priori originis, quia Pater cognoscit Filium à se, & non à Filio. Et hæc est (ait Mastrius *num.* 69.) vera, & legitima suæ conclusionis intelligentia.

89 Fateor, hanc Mastrij solutionem verissimam claudere doctrinã in opinione Scoti; certissimum enim est apud Doctorem, Patrem priùs origine cognoscere intuitivè Filium, quia Pater à se, & non à Filio cognoscit. Sed etiam fateor: prædictam Mastrij solutionem, nec esse ad rem, nec tollere efficatiam nostræ probationis; manet namque in suo robore inconveniens ab Scoto deductum, scilicèt, quod si Verbum procederet ex cognitione sui, Verbum esset existens ante sui productionem. Et quia in huius declaratione tota contra Mastrium difficultas consistit, & veritas nostræ conclusionis.

90 *Impugn. 1. solutio Mastrij.* Impugnatur primò Mastrij solutiò: omnis cognitio intuitiva non producens obiectum, seu quæ practica non est, supponit suum obiectum existens; atqui illud non supponit existens pro prioritate *à quo* originis: ergo illud supponit existens pro aliqua prioritate *in quo* sivè durationis, sivè naturæ, & de hac, vel in essendo, vel in intelligendo. Consequentia est legitima. Maior claret in omni cognitione intuitiva non productiva obiecti, vel quæ practica, seu quasi practica non sit; hæc enim, vtpotè, obiectum non faciens, obiectum existens supponit, sicut è contra de cognitione practica, vel quasi practica, quæ obiectum existens nõ supponit, vtpotè, ipsũ faciens.

Minor verò patet: nam prioritas *à quo* originis solum datur inter producens, & productum, vt tenet Mastrius *in* 1. *disput.* 2. *quæst.* 3. *artic.* 1. & nos diximus §. 1. quod non reperitur inter prædictam cognitionem intuivam, & obiectum illius; alioquim cognitio, & non dictio, esset principiũ *quo* productionis Verbi, quod est contra Mastrium, & omnes Scotistas Magistrum sequentes, de quo diximus *tom.* 3. *in* 1. *Sentent. disput.* 72. Sussummo nunc: atqui si Verbum procedit ex cognitione sui, procedit ex cognitione intuitiva, quæ non est productiva sui: ergo supponit Verbum existens: ergo si Verbum procedit ex cognitione sui, Verbum erit existens ante sui productionem, quod est inconveniens deductum. Sussumpta pro vtraque parte conceditur à Mastrio, ex qua vtraque consequentia est legitimè illata. 91 *Prob. min.*

92 *Impugn. 2.* Impugnatur secundò Mastrij solutio: quod Verbum præsuponat cognitionem Patris præsuppositione, & prioritate *à quo*, non sufficit, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè, aliquod debet esse signũ, in quo sit cognitio Patris, in quo non sit Verbum; sed nullum est signum, in quo sit cognitio Patris, in quo non sit Verbum: ergo quod Verbum presupponat cognitionem Patris præsuppositione, & prioritate *à quo*, non sufficit, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè. Consequentia tenet. Minor patet: quia si aliquod esset signũ, in quo esset cognitio Patris, in quo non esset Verbũ, esset aliquod signum in quo esset Pater, in quo non esset Filius, & consequentèr Pater, non solum præsuppositione, & prioritate *à quo*, sed etiam *in quo* esset prior Filio, quod est omnino falsum. Maior verò probatur: vt Verbum procedat ex cognitione Essentiæ, & attributorum præsuppositivè, aliquod debet esse signum *in quo* sint Essentia, & attributa, in quo non sit Verbum: ergo paritèr. Consequentia est paritate certa. Antecedens verissimum est, & probabitur probatione sequenti contra Mastrium. *Probatur antecedens 1.*

Probatur secundò suprà positum 93

an-

Secundò. antecedens : vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè, requiritur, quod Pater ſit Verbo prior, prioritate naturæ : ergo idem quod anteà. Conſequentia patet: nam prioritas naturæ, quæcumque ſit, eſt prioritas *in quo*. Antecedens verò eſt doctrina Maſtrij *num.* 57. ſenſum quæſtionis explicando, vt diximus *num.* 42. & amplius declaratur, verba Maſtrij declarando. Maſtrius enim *num. citat.* ſic ait : *Senſus ergo quæſtionis eſt, vt ly ex dicit ſimplicem præſuppoſitionem vnius ad aliud, vt v.g. cognitionis, & amoris creaturarum ad proceſsionem Divinarum perſonarum, vt ſenſus ſit, an cognitio Eſſentiæ, attributorum, perſonarum, & omnium poſsibilium, ac futurorum, præſupponantur ordine naturæ proceſsioni Verbi, & amor eorundem proceſsioni Spiritus Sancti, loquendo de ordine, & prioritate naturæ modo explicato, diſp. 2. quæſt. 3.* Nihil pro nobis clarius, & nihil contra Maſtrium efficatius.

94 *Probat.* 3. Probatur tertiò ſuprà poſitum antecedens: ſi quod Verbum præſupponat cognitionem Patris, præſuppoſitione, & prioritate *à quo*, ſufficeret, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè, Verbum non poſſet procedere ex cognitione Spiritus Sancti præſuppoſitivè ; atqui hoc eſt contra Maſtrium tenentem : Verbum procedere ex cognitione Spiritus Sancti præſuppoſitivè: ergo idem, quod priùs. Probatur maior: ideò iuxtà ſolutionem Maſtrij Verbum procedit ex cognitione Patris præſuppoſitivè, quia cognitio Patris eſt prior origine Filio ; ſed cognitio Spiritus Sancti nequit eſſe prior origine Filio: ergo. Probatur minor: ideò cognitio Patris eſt prior origine Filio iuxtà Maſtrium, quia Pater eſt prior origine Filio ; ſed Spiritus Sanctus nequit eſſe prior origine Filio; alioquim non Spiritus Sanctus à Filio, ſed Filius ab Spiritu Sancto procederet, quod eſt contra Fidem: ergo cognitio Spiritus Sancti nequit eſſe prior origine Filio.

95 *Probat.* 4. Probatur quartò dictum antecedens : ſi quod Verbum præſupponat cognitionem Patris præſuppoſitione, & prioritate *à quo*, ſufficeret, vt Verbum procederet ex cognitione Patris præſuppoſitivè, nullus Scotiſta negaret, Verbum ex cognitione Patris procedere præſuppoſitivè ; ſed plures, & graviſſimi ſunt Scotiſtæ hoc negantes: ergo idem, quod priùs. Probatur maior: nullus Scotiſta negavit, cognitionem Patris eſſe priorem origine Filio: ergo. Probatur antecedens primò : ideò iuxtà ſolutionem Maſtrij cognitio Patris eſt prior origne Filio, quia Pater eſt prior origine Filio ; ſed nullus Scotiſta negavit, quod Pater ſit prior origine Filio : ergo nullus Scotiſta negavit, cognitionem Patris eſſe priorem origine Filio. Secundò: ideò iuxtà datam ſolutionem cognitio Patris eſt prior origine Filio, quia Pater cognoſcit Filium à ſe, & non a Filio; ſed nullus Scotiſta negavit, nec negare valet, quod Pater à ſe, & non à Filio, Filium cognoſcit: ergo, &c.

96 *Impugn.* 3. *ſolutio.* Impugnatur tertiò allata ſolutio: ratio, quæ datur in ſolutione, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè, probat: Verbum non procedere ex cognitione ſui præſuppoſitivè; ſed hoc eſt contra Maſtrium aſſerentem: Verbum procedere præſuppoſitivè ex cognitione trium Perſonarum, & conſequentèr ex cognitione ſui: ergo ruit ſolutio. Probatur maior: ratio, quæ datur in ſolutione, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè, eſt, quia cognitio Patris eſt prior origine Filio ; ſed cognitio Filij non eſt prior origine Filio : ergo ratio, quæ datur in ſolutione, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè, probat: Verbum non procedere ex cognitione ſui præſuppoſitivè. Probatur minor: nam comparando cognitionem, & Filiationem in ordine ad tertium, ſcilicèt, Verbum, cognitio non eſt prior Filiatione ; in Verbo namque quo pacto poteſt eſſe aliquid prius ipſa Filiatione, quæ eſt eius conſtitutiva ratio? Alioquim in Verbo, priùs quam eſſet Verbum, eſſet aliquid, quod implicat: ergo cognitio Filij non eſt prior origine Filio.

97 *Impugn.* 4. Impugnatur quartò Maſtrij ſolutio : prioritas *à quo* originis, poſsita à Maſtrio in ſolutione, inutilis eſt, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè : ergo inutilis, & non ad rem eſt illius ſolutio. Probatur antecedens : prioritas *à quo* originis, poſsita à Maſtrio in ſolutione, eſt prioritas originis ſecundum quid; ſed prioriaas originis ſecundum quid inutilis eſt, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præſuppoſitivè: er-

go prioritas *à quo* originis, posita à Mastrio in solutione, inutilis est, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè. Consequentia est legitima. Maior est apud Scotistas evidens, & clarer primò ex dictis *num.* 34. & 35. Secundò: quia prioritas *à quo* originis simpliciter solum datur inter producens, & productum, vt diximus *num.* 15. & *seqq.* & est à Mastrio concessum.

98 *Prob. min.* Minor autem probatur: si prioritas originis secundum quid non esset inutilis, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè, Verbum procederet ex cognitione possibilium, & futurorum præsuppositivè; sed hoc est contra Mastrium, & omnes Scotistas: ergo prioritas originis secundum quid inutilis est, vt Verbũ procedat ex cognitione Patris præsuppositivè. Probatur maior: eadem prioritate originis secundum quid, qua Pater cognoscit Verbum, cognoscit possibilia, & futura: ergo si prioritas originis secundum quid inutilis non esset, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè, Verbum procederet ex cognitione possibiliũ, & futurorum præsuppositivè. Probatur antecedens: Pater cum simultate durationis, seu æternitatis, & priùs prioritate originis secundum quid, cognoscit Verbum; sed cum simultate durationis, seu æternitatis, & priùs prioritate originis secundum quid, cognoscit Pater possibilia, & futura: ergo eadem prioritate originis secundum quid, qua Pater cognoscit Verbum, cognoscit possibilia, & futura. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Mastrij, & omnium Scotistarũ. Minor pro prima parte est apud omnes certa; alioquim Pater non cognoscert ab æterno possibilia, & futura. Quoad secundam constat primò: nam Pater cognoscit possibilia, & futura non ab alio, sed à se: ergo priùs prioritate originis secundum quid, quam Filius, & Spiritus Sanctus. Secundò constat ex dictis *num.* 34.

99 *Respondet Mastrius.* Ob hoc ergo inconveniens apud Scotum manifestum, respondere valet Mastrius doctrina ab ipso tradita *num.* 68. & 69. quod Pater, non solum in eodem signo durationis, seu æternitatis, sed etiam in eodem signo naturæ, cognoscit personas intuitivè, in quo naturæ signo non cognoscit possibilia, & futura, sed in alio posteriori; vndè etsi Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè; nequit tamen procedere ex cognitione possibilium, & futurorum præsuppositivè, quia signum essendi Verbi, & illud cognoscendi, præsupponitur ad esse, & cognosci possibilium, & futurorum. Et certè hæc est Scoti doctrina à nobis declarata *num.* 33. Sed licèt hac doctrina optimè salvetur inconveniens deductum, scilicèt, quod Verbum procederet ex cognitione possibilium, & futurorum; nunquam salvatur inconveniens, quod Verbum, scilicèt, procedat ex cognitione sui, & personarum; manet namque in sua efficacia, tum, nostra probatio; tum etiam triplex suprà posita contra solutionem impugnatio. *Responsio non salvat inconveniẽs.*

Impugnat. Vltrà quod vrgeo contra Mastriũ: ergo Verbũ non procedit ex cognitione personarũ præsuppositivè. Probatur consequentia: ideò Verbum iuxtà Mastriũ non procedit præsuppositivè ex cognitione possibilium, & futurorũ, quia signum essendi Verbi, & illud cognoscendi, præsupponitur ad esse, & cognosci possibilium, & futurorũ; atqui iuxtà Scotum, & Mastrium signum essendi, & cognoscendi personarum, non præsupponitur ad signum essendi Verbi, & illud cognoscendi; sunt enim in eodem signo naturæ, in eoque cognoscuntur ex dictis *num.* 33 ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè.

100 *Aliter valet respondere.* Aliter etiam ad salvandas omnes nostras impugnationes valet Mastrius respondere doctrina ab ipso adducta *num. citat.* nempè, quod Verbum procedit ex cognitione sui, & personarũ præsuppositivè, præsuppositione, & prioritate, non solum *à quo*, comparando ipsas personas inter se; verum etiam præsuppositione, & prioritate *in quo*, non durationis, sed naturæ tantum, non prioritate in essendo, sed solum in intelligendo, & hoc, comparando essentialia, & notionalia inter se. Qua doctrina videtur occurrere ad supradictas impugnationes, quæ aliquam naturæ prioritatem requirunt.

101 Et ratio est: quia cum inter Patrem, & Filium detur prioritas *à quo*, quæ est prioritas originis; non verò prioritas *in quo*, quæ est durationis, & naturæ; ideò cognitio Patris præsupponitur ad Filium præsuppositione,

&

& prioritate *à quo*, & originis; neutiquam tamen prioritate *in quo*, durationis, seu naturæ. Cæterum cum essentialia sint priora notionalibus, non prioritate naturæ essendi; benè verò intelligendi, quatenus possunt adæquatè concipi essentialia, sine notionalibus; secus è contra; ideò comparando essentialia, & notionalia inter se, notionalia præsupponunt essentialia, præsuppositione, & prioritate naturæ *in quo* intelligendi; ac per indè adhuc in ipso Verbo Divino prior est cognitio, quam Filiatio, comparando illa inter se; secus verò comparando illa in ordine ad tertium, scilicèt, Verbum: nam in Verbo, quo pacto potest esse aliquid prius ipsa filiatione, quæ est eius constitutiva ratio? Alioquim in Verbo prius quam esset Verbum, esset aliquid, quod implicat.

102 Sed hac solutione inspecta, dicere valeo, quod Mastrius incidit in Scilam, cupiens vitare Charipdim; nam ad evitandum, quod Verbum non procedat ex cognitione personarum præsuppositivè, quod nostræ impugnationes prętendunt, incidit in inconveniens, quod Verbum procedat præsuppositivè ex cognitione creaturarum, non solum possibilium, & futurarum, sed etiam actualium. Ad quod manifestè ostendendum. Sic.

103 *Insugo contra Mastrium.* Contra Mastrium insurgo: cognitio, qua Pater cognoscit creaturas omnes, gaudet eadem prioritate originis, & naturæ respectu personarum, qua respectu illarum gaudet cognitio, qua Pater cognoscit personas: ergo prioritas convincens: Verbum procedere ex cognitione personarum præsuppositivè, convincit etiam: Verbum procedere ex cognitione omnium creaturarum præsuppositivè. Consequentia est legitima; alioquim non esset eadem prioritas. Antecedens verò probatur: cognitio, qua Pater cognoscit personas, est prior ad illas prioritate originis, comparatione facta inter illas, & prioritate naturę *in quo* intelligendi, comparando essentialia, & notionalia inter se; atqui cognitio, qua Pater cognoscit omnes creaturas, gaudet his prioritatibus respectu personarum: ergo cognitio, qua Pater cognoscit creaturas omnes, gaudet eadem prioritate originis, & naturæ, respectu personarum, qua respectu illarum gaudet cognitio, qua Pater cognoscit personas. Consequentia est certa. Maior est Mastrij doctrina.

104 *Prob. min.* Minor probatur pro prioritate originis: ideo cognitio, qua Pater cognoscit personas, est prior ad illas prioritate originis, comparatione facta inter illas, quia Pater cognoscit personas à se, & non ab alio iuxtà Mastrium *num.* 69. sed Pater cognoscit à se, & non ab alio, omnes creaturas: ergo cognitio, qua Pater cognoscit omnes creaturas, gaudet eadem prioritate originis respectu personarum, facta comparatione inter personas. Pro prioritate naturæ *in quo* intelligendi probatur: ideo cognitio, qua Pater cognoscit personas, est prior prioritate naturæ *in quo* intelligendi, comparando essentialia, & notionalia inter se, quia essentialia sunt hac prioritate notionalibus priora; sed cognitio, qua Pater cognoscit omnes creaturas, est essentialis, vt fatentur omnes, & ipse Mastrius; est namque communis toti Trinitati: ergo cognitio, qua Pater cognoscit omnes creaturas, gaudet eadem prioritate naturæ *in quo* intelligendi respectu personarum, comparando essentialia, & notionalia inter se.

105 *NOTA.* Hoc itaque iam ad hominem ostenso contra Mastrium, advertendum est: illius doctrinam in falsa niti intelligentia, & fallatiam, quam non habet probatio nostra, suam habere solutionem; transit enim de essentialibus in se, & absolutè, ad essentialia connotativè, vel denominativè ad personas. Itaque quando dicimus: essentialia sunt priora notionalibus prioritate naturæ *in quo* intelligendi, loquimur de essentialibus entitativè, in se, vel absolutè; non verò de essentialibus denominativè, vel connotativè ad notionalia, seu terminativè ad creaturas, quod patebit per sequentes retorsiones.

106 *Retorq. 1. cõtra Mastrium.* Retorqueo primò contra Mastrium: cognitio, qua Pater cognoscit creaturas, est essentialis: ergo est prior prioritate naturæ *in quo* intelligendi Verbo: ergo Verbum procedit ex cognitione creaturarum præsuppositivè. Antecedens cum prima consequentia patet ex dictis *num.* 104. Secunda autem demonstratur: ideo Verbum procedit ex cognitione attributorũ præsuppositivè, quia attributorum cog-

nitio est prior Verbo prioritate naturæ *in quo* intelligendi; sed cognitio, qua Pater cognoscit creaturas, est prior Verbo prioritate naturæ *in quo* intelligendi, vt est concessum: ergo Verbum procedit ex cognitione creaturarum præsuppositivè. Item: vrgeo contra Mastrium: cognitio creaturarum est essentialis: ergo est prior prioritate naturę *in quo* intelligendi tribus personis. Consequentia est ad hominem contra Mastrium, & falsitas illius est notoria apud ipsum, & claret ex dictis cum Scoto *num.* 33.

107 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò: cognitio, qua Pater cognoscit Filium, est essentialis: ergo est prior Filio prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Pater, & Filius non sunt simul natura, & cognitione, contra Mastrium, & omnes. *Retorq.* 3. Retorqueo tertiò: potentia proxima productiva Filij est entitativè essentialis: ergo est prior Filio, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo & ipse Pater est tali prioritate Filio prior, quod est contra omnes. Antecedens est Scoti, & omnium Scotistarum, vt claret ex dictis *tom.* 3. *in* 1. *Sentent. disput.* 72. §. 5. & 6. Prima consequentia est manifesta. Secunda autem ostenditur: potentia proxima productiva Filij denotat relationem Paternitatis, vel illam connotat ex dictis *tom. & disput. citat.* ergo si est prior Filio prioritate naturæ *in quo* intelligendi, etiam relatio erit sic prior, & consequentèr ipse Pater.

108 Ex hac triplici retorsione evidentèr apparet doctrina à nobis tradita *num.* 105. de intelligentia illius maximæ: *Essentialia sunt priora notionalibus, prioritate naturæ in quo intelligendi.* Si enim entitativè, in se, vel absolutè considerentur, vera est absquè dubio maxima apud Scotistas; si verò considerentur denominativè, seu connotativè ad notionalia, vel terminativè ad creaturas, falsa est, vt claret ex allatis retorsionibus, & pluribus alijs, quas contra Mastrium efformare poteram; & ratio est: quia considerati denominativè, connotativè, & terminativè, solum gaudent prioritate illorum, quæ denominant, connotant, & ad quæ terminantur, vt patet etiam ex eisdem retortionibus.

109 *Prioritas* Vltrà hæc tamen (omissa prioritate *à quo*, cuius insufficientia demonstrata manet per dicta *à num.* 90. *vsquè ad* 99.) prioritas *in quo* à Mastrio assignata in solutione reijcitur primò: prioritas *in quo* à Mastrio assignata insufficiens est, vt procedat Verbum ex cognitione personarum præsuppositivè: ergo ruit. Probatur antecedens: prioritas *in quo* à Mastrio assignata, est prioritas solum in cognitione reperta respectu personarum; sed hæc prioritas insufficiens est, vt procedat Verbum ex cognitione personarum præsuppositivè: ergo, &c. Probatur minor: prioritas *in quo* necessariò requisita, vt Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè, est prioritas in ipsis personis reperta; sed prioritas *in quo* à Mastrio assignata, est prioritas solum in cognitione reperta respectu personarum: ergo insufficiens est, vt Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè. Probatur maior: prioritas *in quo* necessariò requisita, vt Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè, est prioritas reperta in obiectis cognitis; sed vt Verbum procedat ex cognitione personarum, personæ sunt obiecta cognita: ergo prioritas *in quo* necessario requisita, vt Verbum procedat ex cognitione personarũ præsuppositivè, est prioritas in ipsis personis reperta. Consequentia est legitima. Minor evidens.

in quo *reijcitur* 1.

110 *Maior cõstat* 1. Maior verò, in qua poterat esse difficultas, clarior luce videtur in sensu quæstionis à Mastrio proposito. Primò: nam Mastrius *num.* 57. sic proponit quæstionem: *Sensus igitur quæstionis est: vt ly ex dicit simplicem præsuppositionem vnius ad aliud.* Vel vt alij dicunt, vt Antonius Perez, qũi Mastrium sequens, sic proponit quæstionem *tom.* 2. *de Deo Trino, disput.* 5. *sect.* 3. *num.* 46. *Sed tantum inquirimus ea, quæ præcedunt cognita ad generationem Verbi per modum simplicis præsuppositionis vnius ad aliud.* Atquì luce clarius est, quod de obiectis cognitis quæratur: ergo luce clarius est, veram esse maiorem prædictã. *Secundò.* Secundò: quia si quæstio esset de prioritate solum in cognitione reperta, comparando essentialia, & notionalia inter se, nulla esset quæstio, quia nullus Scotista negavit, nec negare valet, quod cognitio, vtpotè, essentialis, gaudeat prioritate prædicta respectu personarum, vtpotè, notionalium: ergo vera est suprà posita maior.

Reij-

111 *Reijcitur 2.*

Reijcitur secundò: prioritas *in quo* à Mastrio assignata, solum in cognitione respectu personarum reperitur; sed hæc prioritas insufficiens est, vt Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè: ergo insufficiens est Mastrij solutio. Probatur minor: ex prioritate *in quo* necessariò reperta in cognitione attributorum, vt ex horum cognitione Verbum procedat præsuppositivè, deducenda est prioritas *in quo* necessaria in cognitione personarum, vt ex harum cognitione præsuppositivè Verbum procedat; atqui prioritas *in quo* necessariò reperta in cognitione attributorum, vt ex horum cognitione Verbum procedat præsuppositivè, est prioritas non solum in cognitione reperta, sed etiam in ipsis attributis: ergo prioritas *in quo* à Mastrio assignata, & solum in cognitione respectu personarum reperta, insufficiens est, vt Verbum ex cognitione personarum procedat præsuppositivè.

112 *Reijcitur 3.*

Reijcitur tertiò: si prioritas *in quo* à Mastrio assignata, esset sufficiens, vt Verbum procederet ex cognitione personarum præsuppositivè, hæc necessariò secuntur. Primò: quod inquirere: An Verbum procedat præsuppositivè ex cognitione personarum, idem sit, ac inquirere: An Verbum procedat præsuppositivè ex cognitione, vt patet, & est plusquam falsum ex dictis *num.* 110. Secundò: quod idem esset inquirere: An Verbum procedat præsuppositivè ex cognitione possibilium, & futurorum, ac inquirere: An Verbum procedat præsuppositivè ex cognitione, & ex hoc sequeretur: Verbum procedere præsuppositivè ex cognitione illarum creaturarū, quod est plusquam falsum apud Mastrium.

§. VI.

Probatur conclusio de Spiritu Sancto.

113 PRobata iam specialitèr de Verbo conclusione; de Spiritu Sancto docuit Scotus *in* 1. *dist.* 10. *in fine*, vbi hæc habet: *Oportet Essentiam Divinam, cuius amor spiratur, esse præcognitam Patri, & Filio, ad hoc, vt spirent, sed non oportet Spiritum Sanctum, qui est amor spiratus, esse præcognitum Patri, & Filio.* Et ratione probatur tertiò specialitèr de ipso: si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè, procederet ex cognitione intuitiva illius præsuppositivè: ergo Spiritus Sanctus esset existens ante sui productionem. Atqui repugnat, quod Spiritus Sanctus sit existens ante sui productionem: ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Antecedens conceditur à Mastrio *num.* 68. Consequentia probatur: cognitio intuitiva terminatur ad obiectum existens; sed Verbum iuxtà Mastrium procedit ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti præsuppositivè: ergo Spiritus Sanctus esset existens ante sui productionem.

Probat. 3. concluſ.

114 *Responsiones Mastrij impugnatæ manent.*

Ad hanc de Spiritu Sancto probationem eodem modo, eisdemque terminis respondet Mastrius, ac ad probationem de Verbo; vndè eodem modo, eisdemque terminis, quibus Mastrij solutionem de Verbo impugnavimus, hanc de Spiritu Sancto reijcimus. Proposui tamen probationem de Spiritu Sancto, quia Antonius Perez, doctrinæ Mastrij sectator, specialem de illo novit difficultatem, quam *tom.* 2. *citat. num.* 115. sic proponit.

115 Pater generans Filium, non est formalitèr spirans Spiritum Sanctum, imò pro posteriori spirat simul cum Filio: ergo pro illo priori originis, non potest sic præsupponi cognitio intuitiva Spiritus Sancti in se ipso. Solutionem ipsius videamus, & impugnemus.

116 *Respond. 1. Ant. Perez.*

Ipse namque *citat.* ad clariorem solutionem notat ex Doctore *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Quantum ad hoc, numer.* 13. quod duo ordines prioritatis, & posterioritatis intelliguntur in Divinis: scilicèt, *Ordo naturæ, & ordo originis, qui sunt alterius rationis; & in quocumque gradu vnius ordinis*, nempè naturæ, *potest totus alius ordo assignari.* Et ponit exemplum in creatura; additq; *Simplicitèr tamen in Divinis, ordo naturæ primus est, ita, quod simplicitèr procedendo, in primo instanti naturæ debet assignari totus ordo originis*: ergo omnes personæ sunt in eodem primo instanti naturæ, vt ibi explicat Doctor, & *inferius num.* 14. v. *Stando igitur.*

117 Ait enim: *Stando igitur præcisè in primo instanti naturæ, comparando Essentiam Divinam ad intellectum, & voluntatem, habetur totus ordo originis primus; quia scilicèt, duæ personæ perfectæ originantur, & tota perfectio Divinarum personarum ad intra in intellectu Divino,*

& voluntate, habetur in primo instanti naturæ. Deindè subiungit secundum instans naturæ in ordine ad obiecta secundaria, scilicèt ad creaturas, quæ non sunt actu intelligibiles, nempè, positivè secundum se, quia sic sunt nihil reale positivum, & fiunt actu intelligibiles positivè per intellectū Divinum, à quo accipiunt primum esse positivum.

118 Secundum hanc doctrinam (prosequitur ipse *num.* 117.) Spiritus Sanctus est in eodem primo instanti naturæ simul cum Patre, & Filio; sed quæ sunt simul natura sunt simul cognitione: ergo pro illo signo originis, quo est generatio activa, est simul Spiratio activa, & passiva, licèt ab vtroque, & paritèr à Patre intuitivè cognita: ergo posterioritas originis in Spiritu Sancto, cum non sit naturæ, neque aliquatenus successiva, non impedit quo minus cognoscatur pro illo priori, in quo iam est secundum se, licèt ab alio; in quo tantum consistit posterioritas originis. Vndè, quāvis Pater, vt generans Filium, non Spiret Spiritum Sanctum, sed pro posteriori originis; tamen cum in eodem instanti naturæ, & cognitionis spiret, nihil obstat, vt non cognoscat intuitivè Spiritum Sanctum in se ipso existentem, pro illo priori, in quo iam est, etsi ab vtroque. Et hæc est prima solutio, quam dederat ad probationem de Verbo *numer.* 114. terminis duntaxat mutatis.

119 *Respond. 2.* Secundò respondet *num.* 124. concesso antecedenti, negando consequētiam, quia aliud est loqui de esse, aut existentia Verbi, & Spiritus Sancti, & aliud de cognitione eorum; siquidem esse eorum in ipsis est, & ad ipsos spectat; & ideò prior ipsis esse nequit, nec prioritate originis; aliàs respectu ipsorum, & in se ipsis, essent, & non essent à se ipsis producti; cognitio autē eorum non spectat ad ipsos, sed ad Patrem priorem origine, prout est principium totius fœcunditatis ad intra. Vndè, sicut Pater dicitur prior Verbo, & Spiritu Sancto, quia à se ipso, & isti ab illo, etsi omnes sint simul; similiter cognitio, prout ad illum spectat in illo signo prioritatis, dicetur prior origine Filio, & Spiritu Sancto, etsi attingat illos simul cum Patre existentes in se ipsis.

120 Vtraque hæc solutio eadem omnino est cum solutione Mastrij ad nostram probationem de Verbo; nam prima est eadem omnino cum respōsione Mastrij, quam adduximus *num.* 99. Ex qua patet, Antonium Perez deceptum fuisse, dicendo, vt dicit *numer.* 118. Mastrium reduxisse cognitionem intuitivā Patris pro illo priori ad instans durationis, seu æternitatis tantummodo. Secunda solutio eadem in terminis est, cum solutione, quam ex doctrina Mastrij tradidimus *num.* 84. imò tam eadem, quod ex ipso Antonio Perez illam transcripsi, quia doctrinam Mastrij ad formam reduxit. Vndè nec respectu Spiritus Sancti videtur maior difficultas, nec nos alijs impugnationibus vltrà datas indigemus. *Solutiones impugnatæ manent.*

121 *Impugnat. prima solutio.* Hoc tamen non obstante, contra Antonium Perez progredior, & prima illius solutio reijcitur: Spiritus Sanctus est posterior respectu Filij, non solum origine, sed posterioritate naturæ: ergo Pater non potest producere Verbum ex præsuppositā cognitione Spiritus Sancti. Probatur antecedens: Verbum est actus, seu terminus intellectus; & Spiritus Sanctus est actus, seu terminus voluntatis; sed intellectus est prior natura, quam voluntas: ergo & actus, seu termini illarum potentiarum. Deindè: Spiritus Sanctus est posterior origine respectu Spirationis producentis ipsum: ergo respectu Verbi, prout producitur à Patre, est posterior natura.

122 *Respondet ipse.* Hanc impugnationem sibi fecit Author prædictus *num.* 120. ad ipsamque respondet *num.* 121. distinguendo antecedens: sed etiam posterioritate naturæ, quoad esse, negat; quoad nostrum intelligi, concedit; & negat consequentiam. Ad probationem concedit maiorem, & distinguit minorem: intellectus est prior natura, prioritate essendi *in quo*, negat minorem; de hac enim agit Philosophus 5. *Methaph.* dum ait, illa dici priora, prioritate naturæ, quæcumque possunt esse sine alijs; non autem alia sine ipsis; est prior natura, prioritate intelligendi *in quo*, respectu nostri modi concipiendi cū fundamento in re, cōcedit minorem; & similitèr distinguit consequens.

123 Ad intelligentiam notat *num.* 122. quod prioritas naturæ potest triplicitèr considerari. Primò: in essendo, prout nuperrimè Aristoteles, & hæc da-

datur inter ſubſtantiam, & accidentia ſibi congenita, quia illa ſine iſtis poteſt eſſe, non autem iſta ſine ſubſtantia. Secundo: in intelligendo cum maximo fundamento in re, ſcilicèt, diſtinctionis formalis ex natura rei; & hęc datur inter Eſſentiam, & proprietates, & inter intellectum, & voluntatem; quia licèt eſſentia non poſsit eſſe ſine proprietatibus, aut attributis, neque attributa ſine eſſentia, aut vnum ſine alio, hoc tamen non impedit, vt attenta ſua natura quidditativa, & mutua diſtinctione formali ex natura rei, concipiamus vnum ſine alio, & intellectum operari priùs, quam voluntas; hæc autem prioritas non eſt in eſſendo, ita vt pro aliquo ſigno ſecundum eſſe a parte rei, valeat dici verè (præcipuè in Divinis) eſt natura, & non eſt intellectus; ſivè eſt intellectus, & non eſt voluntas. Tertio in intelligendo cum aliquo fundamento in re, non tamen maximo, ſeu diſtinctionis ex natura rei: vt quando concipimus eſſentialia in Divinis cum aliquo prædicato notionali in ordine ad aliquod munus, ad quod non eſt neceſſe, concipere correlatum; quo ſenſu dixit Doctor *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Patrem eſſe perfectè beatum, ante quam generet Filium; etſi per actualem generationem Filij conſtituatur in eſſe Patris, quia munus, ſeu actus beatitudinis non venit à Filiatione, ſed à prędicato eſſentiali præſuppoſito Filiationi.

124 Secunda prioritas naturæ convenit Verbo reſpectu Spiritus Sancti, quæ tantum eſt prioritas in intelligēdo apud noſtrum modum cognoſcendi; in eſſendo autem nulla eſt prioritas, niſi tantum originis, quæ ſolum ſignificat vnum prædicatum dimanare ab alio, ſeu vnam perſonam originari ex alia. Per quod Patet ad ſecundum, quod inſtabatur; ſcilicèt, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: eſt poſterior natura in eſſendo, negat; in intelligendo cum maximo fundamento in re, concedit. Verum eſt, quod reſpectu Spiratoris tantum eſt poſterior origine, & nullatenus natura, nec in intelligendo cum aliquo fundamento in re; quia adhuc apud noſtrum conceptum, qui Spiratorem dicit, Spiritum Sanctum denotat; ſed ex hoc tantum ſequitur, quod reſpectu Verbi ſit poſterior natura in intelligendo: omnia autem ſunt ſimul in eſſendo: ergo pro illo priori cognoſcit Pater intuitivè omnia ad intra, quia omnia ſunt pro illo priori, licèt poſteriora origine ſint à Patre.

Hæc eſt ſolutio, quam non dedit Maſtrius, & conſequentèr huius Authoris ſpecialis; ſed verum fatendo, nec intellectus quieſcit, nec auribus placet; diſſonum mihi videtur, audire: Filium eſſe priorem Spiritu Sancto, prioritate naturæ *in quo* intelligēdi. Primò quia à nullo Theologorum vſquè adhuc audivi, nec in aliquo vidi. Secundo: quia ſi Thomiſtæ nolunt audire prioritatem originis inter Divinas perſonas, quomodo audient prioritatem naturæ *in quo* intelligendi, quæ prioritate originis eſt maior? Tertio: quia expræſsè eſt contra Scotum, qui *quodlib.* 14 §. *Hic intelligendum eſt*, & *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. aſsignans tria ſigna naturæ *in quo* intelligendi, in primo ponit Eſſentiam Divinam abſquè perſonis, & in ſecundo ponit perſonas, vt dictum eſt *num.* 33. Si ergo perſonæ ſunt in eodem ſigno naturæ *in quo* intelligendi, quomodo Filius erit hac prioritate Spiritu Sancto prior, & Spiritus Sanctus poſterior? Deniquè in hac doctrina ſibi prædictus Author manifeſtè contradicit ad ab ipſo dicta *num.* 116. 117. & 118. quę à nobis tranſcripta ſunt *num.* 116. 117. & 118. Et clariùs Scoto ab ipſo *citat. num.* 76. & ſibi ipſi *num.* 77. cuius inconſequentiam declarabimus ad hominem contra ipſum *num.* 181.

125 *Solutio non placet.*

Hoc itaquè nunquam conceſſo, & in ſua probabilitate relicto, ſolutione admiſſa, ſic contra prędictum Authorem arguo. Primo: Filius per te eſt prior Spiritu Sancto, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum ex cognitione Spiritus Sancti non procedit præſuppoſitivè. Probatur conſequentia: prius prioritate naturæ *in quo* intelligendi non procedit præſuppoſitivè ex cognitione poſterioris; ſed Filius per te eſt prior Spiritu Sancto, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præſuppoſitivè. Probatur maior: Verbum non procedit ex cognitione poſsibilium præſuppoſitivè; ſed ad hoc ſufficeret, quod Verbum eſſet poſsibilibus prius, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo prius prioritate natu-

126 *Arguo* 1. *contra Anton. Perez.*

ræ *in quo* intelligendi non procedit præsuppositivè ex cognitione posterioris.

127 *Arguo 2.* Arguo secundò: Filius per te est prior Spiritu Sancto prioritate naturę *in quo* intelligendi: ergo Filius potest concipi, vt existens, non concepto Spiritu Sancto, vt existente: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Prima consequentia est certa, & constat ex dictis *num.* 9. Secunda verò probatur: id, quod potest concipi vt existens, alio, vt existente, non concepto, non procedit ex cognitione illius præsuppositivè; sed iuxta concessa Filius potest concipi, vt existens, non concepto Spiritu Sancto, vt existente: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè.

128 *Arguo 3.* Arguo tertiò: Filius per te est prior Spiritu Sancto, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Filius præsupponitur necessariò ad Spiritum Sanctum. Hæc consequentia claret ex dictis *num.* 30. & etiam patet ex eo, quod hoc est proprium prioritatis naturæ *in quo* intelligendi. Infero nunc: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti prę suppositivè. Probatur hæc consequentia: id, quod necessariò præsupponitur ad aliud, nō procedit ex cognitione illius; sed iuxtà concessa Filius præsupponitur necessariò ad Spiritum Sanctum: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Maior est certa, & probatur primò: quando vnū præsupponitur necessariò ad aliud, cognitio, vt terminata ad ipsum, non necessariò debet terminari ad aliud: ergo. Secundò: quia potiùs id, ex cuius cognitione aliquid procedit præsuppositivè, debet necessariò præsupponi, quam id, quod procedit: ergo quod necessariò præsupponitur ad aliud, non procedit ex cognitione illius.

129 *Arguo 4.* Arguo quarto: Filius per te est prior Spiritu Sancto prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Probatur consequentia: Filium procedere ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè, est, cognitionem Spiritus Sancti præsupponi processioni Verbi præsuppositione, & prioritate naturæ *in quo* intelligendi; atqui cognitionem Spiritus Sancti præsupponi processioni Verbi præsuppositione, & prioritate naturæ *in quo* intelligendi, repugnat, semel concesso, quod Filius sit prior Spiritu Sancto prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo cum hoc sit concessum, Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Authoris contra quē arguo, qui *n.* 46. Mastrium sequendo, sic explicat sensum quæstionis: *Tantum inquirimus ea, quæ præcedunt cognita ad generationem Verbi per modum simplicis præsuppositionis vnius ad aliud*, ex quo minor patet evidentèr.

130 *Arguo 5.* Arguo quintò: Filius per te est prior Spiritu Sancto prioritate naturę *in quo* intelligendi: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Probatur consequentia. Primò: ideò Verbum procedit ex cognitione attributorum præsuppositivè, quia attributa sunt priora Verbo, prioritate naturæ *in quo* intelligendi; sed Spiritus Sanctus non est prior Filio, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, quin potiùs è contra per te: ergo Filius non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Probatur secundò dicta consequentia: etsi per impossibile attributa haberent esse per veram, & realem efficientiam, attributa non procederent ex cognitione personarum prę suppositivè: ergo nec Filius de facto procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè. Antecedens est certum, quia semper attributa prioritate naturæ *in quo* intelligendi præsupponerentur ad personas. Consequentia probatur: ideò etsi attributa haberent esse per veram, & realem efficientiā, non procederent ex cognitione personarum præsuppositivè, quia adhuc attributa essent priora personis, prioritate naturæ *in quo* intelligendi; sed Filius per te est prior Spiritu Sancto, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Filius de facto non procedit ex cognitione Spiritus Sancti præsuppositivè.

131 Hoc argumentum ex attributis deductum (& idem est, si de Divina Essentiæ formetur) vrgentissimè confirmat quadruplex prius contra prædictum Authorem, nec in eis attributa nominavi, ne toties repeterētur. Imò validissimè etiam confirmat omnia

dic-

dicta contra Mastrium *à num.* 103. *vsquè ad* 113. Notentur attentè, & omnis Mastrij doctrina in hac quæstione nulla videbitur.

§. VII.

Probatur conclusio rationibus specialibus, præcludentibus evasiones Mastrij.

132 *Probat. 4. concluſ. ratione à priori.*

EX his itaquè quartò probatur conclusio ratione à priori: vnum v.g. A. procedere præsuppositivè ex cognitione alterius, nempè, B. est B. præsupponi cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem A. ergo Verbum procedere ex cognitione personarum præsuppositivè, est, personas præsupponi cognitas prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Atqui personæ non præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Antecedens est opinio Mastrij, & Scotistarum, nobis contrariorum, vt diximus *num.* 93. & 110. Consequentia est legitima.

133 *Suſſumpta probat. 1.*

Suſſumpta probatur. Primò: priùs est, rem esse, quam cognosci; (loquor de cognitione intuitiva, quia contra Mastrium procedo) sed personæ quoad esse non præsupponuntur, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo nec præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Consequentia est legitima. Maior patet ex terminis. Minor est certa; alioquim Verbum præsupponeretur existens ante sui productionem, & Spiritus Sanctus præcederet existentiam Verbi, quorum vtrumq̃ est falsum. Probatur secundò: Personæ quoad esse, & cognosci, sunt in eodem signo naturæ, vt cum Scoto diximus *num.* 33. ergo idem, quod antea. Tertiò: nihil potest præsupponi cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem alicuius, quin pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem illius, sit cognitum; sed personæ non sunt cognitæ pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem Verbi: ergo idem, quod priùs. Consequentia optimè infertur. Maior est per se nota. Minor patet: nam pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem Verbi, Essentia solum Divina, & eius attributa cognoscuntur, vt cum Scoto diximus *numer.* 33.

Secundò.

Tertiò.

134 *Quartò.*

Probatur quartò suprà posita sussumpta: personas præsupponi cognitas, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, est, esse personarum præsupponi, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi; sed esse personarum non præsupponitur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, vt prima sussumptæ probatione declaratum est: ergo personæ non præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Probatur maior: attributa præsupponi cognita, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, est, esse attributorum præsupponi prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo paritèr.

135 *Notetur hæc paritas*

Hæc à paritate rationis probatio præcludit omnes Mastrij evasiones, & vltrà etiam ex dictis præclusæ manent; nam recursus prioritatis *à quo* cum simultate durationis, seu æternitatis positus *num.* 88. præclusus est *à num.* 90. *vsquè ad* 98. Recursus verò prioritatis *à quo* cum simultate naturæ positus *num.* 99. ex ibi dictis manet præclusus. Item recursus prioritatis *in quo* naturæ intelligendi, assignatus *num.* 100. præclusus est perdicta *à num.* 103. *vsquè ad* 112. Recursus denique Antonij Perez declaratus *numer.* 122. manet superabundanter præclusus *à num.* 125. *vsquè ad* 131. Vltra hæc tamen.

136 *Probat. 5. concluſ. ratione fundamentali.*

Probatur quintò conclusio ratione fundamentali, omnes etiam evasiones præcludente: si esse personarũ præsupponeretur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo stricliori, quã præsuppositivè, Verbum procederet ex cognitione personarum; sed nunc de facto esse personarum non præsupponitur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo nunc de facto Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Consequentia legitima videtur. Minor est apud omnes certa. Maior autem probatur: si esse personarũ præsupponeretur prioritate naturæ

in quo intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo strictiori Verbum procederet ex cognitione personarum, quam modo, quo de facto procedit ex cognitione attributorũ, quorum esse præsupponitur de facto prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi; atqui Verbũ de facto non alio modo strictiori, quam præsuppositivè, procedit ex cognitione attributorum: ergo si esse personarum præsupponeretur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo strictiori, quam præsuppositivæ, Verbum procederet ex cognitione personarum. Maior est notoria. Minor conceditur à Mastrio *num.* 72. & patet per dicta *num.* 75. Consequentia est legitima.

137 *Prob. 6. ratione etiam fundam.*

Probatur sextò conclusio ratione etiam fundamentali, omnes dictas evasiones præcludente: vnum procedere ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, significat cum prioritate, & in rigore, vnum esse prius alio, priùsque cognosci, prioritate naturæ *in quo* intelligendi; atqui personæ non sunt priores Verbo, priùsq; cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum cum proprietate, & rigorè non procedit ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Consequentia est optimè illata. Minor claret pro prima parte ex dictis *num.* 133. Pro secunda claret: nam sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci ex Arist. 4. *Methaph. textu* 24.

138 *Prob. mai. 1.*

Maior probatur primò: Verbum procedere ex cognitione attributorum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate *in quo* intelligendi, significat cum proprietate, & in rigore, attributa esse priùs Verbo, priúsque cognita, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo similitèr. Probatur secundò ab oppositò: vnum non esse prius alio, priùsq; cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, significat cũ proprietate, & in rigore, vnum non procedere ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo paritèr ab oppositò.

Secundò.

Probatur septimò conclusio ratione desumpta ex Philosopho, & omnes etiam evasiones præcludente: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci: ergo sicut personæ se habent ad esse, ita ad cognosci. Atqui personæ ita se habent ad esse, vt nulla sit prior Verbo, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo ita se habent ad cognosci, vt nulla sit priùs cognita Verbo, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Omnia sunt vera, si verum est antecedens. Hoc autem est Philosophi *citat.* & patet ex eo, quod cognoscibilitas passiva, & intrinseca rei, est passio illius, consequentèrque debet cum esse rei proportionari, esseque rei supponere.

139 *Probat. 7. conclus. ratione desũpta ex Philosopho.*

Probatur octavo conclusio ratione, etiam omnes evasiones præcludente: in ordine ad hoc, vt vnum procedat ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionẽ, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, valdè diversum est, quod vnum in eodem instanti naturæ *in quo* intelligendi simul existat, simulque cognoscatur cum alio, ac quod vnum prioritate naturę *in quo* intelligendi priùs existat, priùsque cognoscatur, quã aliud; atqui de hoc secundo verè, propriè, & in rigore dicitur: quod vnum procedat ex cognitione alteriùs, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo nequit hoc de primo dici. Tunc sic; sed ita se habent personæ Divinæ respectu Verbi: ergo nequit dici verè, propriè, & in rigore, quod Verbum procedat ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Omnia mihi sunt vera, & ex ipsis etiam apparent.

140 *Probat. 8. conclusio.*

§. VIII.

Argumenta Mastrij ex Scoti authoritate solvuntur.

141 *Arguit. 1.*

MAstrius *num.* 60. arguit primò ex Scoto *in* 1. *dist.* 6. §. *De quarto dico*, vbi ait: quod Pater, *In secundo signo originis gignit Filium, nec*

tan-

dicta contra Mastrium *à num.* 103. *vsquè ad* 113. Notentur attentè, & omnis Mastrij doctrina in hac quæstione nulla videbitur.

§. VII.

Probatur conclusio rationibus specialibus, præcludentibus evasiones Mastrij.

132 *Probat. 4. concluſ. ratione à priori.*

EX his itaquè quartò probatur conclusio ratione à priori: vnum v.g. A. procedere præsuppositivè ex cognitione alterius, nempè, B. est B. præsupponi cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem A. ergo Verbum procedere ex cognitione personarum præsuppositivè, est, personas præsupponi cognitas prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Atqui personæ non præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Antecedens est opinio Mastrij, & Scotistarum, nobis contrariorum, vt diximus *num.* 93. & 110. Consequentia est legitima.

133 *Suſſumpta probat. 1.*

Suſſumpta probatur. Primò: priùs est, rem esse, quam cognosci; (loquor de cognitione intuitiva, quia contra Mastrium procedo) sed personæ quoad esse non præsupponuntur, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo nec præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Consequentia est legitima. Maior patet ex terminis. Minor est certa; alioquin Verbum præsupponeretur existens ante sui productionem, & Spiritus Sanctus præcederet existentiam Verbi, quorum vtrumq̃ est falsum. Probatur secundò: Personæ quoad esse, & cognosci, sunt in eodem signo naturæ, vt cum Scoto diximus *num.* 33. ergo idem, quod anteà. Tertio: nihil potest præsupponi cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem alicuius, quin pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem illius, sit cognitum; sed personæ non sunt cognitæ pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem Verbi: ergo idem, quod priùs. Consequentia optimè infertur. Maior est per se nota. Minor patet: nam pro signo naturæ *in quo* intelligendi, priori ad processionem Verbi, Essentia solum Divina, & eius attributa cognoscuntur, vt cum Scoto diximus *numer.* 33.

Secundò.

Tertiò.

Probatur quartò suprà posita sussumpta: personas præsupponi cognitas, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, est, esse personarum præsupponi, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi; sed esse personarum non præsupponitur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, vt prima sussumptæ probatione declaratum est: ergo personæ non præsupponuntur cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi. Probatur maior: attributa præsupponi cognita, prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, est, esse attributorum præsupponi prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo paritèr. 134 *Quartò.*

Hæc à paritate rationis probatio præcludit omnes Mastrij evasiones, & vltrà etiam ex dictis præclusas manent; nam recursus prioritatis *à quo* cum simultate durationis, seu æternitatis positus *num.* 88. præclusus est *à num.* 90. *vsquè ad* 98. Recursus verò prioritatis *à quo* cum simultate naturæ positus *num.* 99. ex ibi dictis manet præclusus. Item recursus prioritatis *in quo* naturæ intelligendi, assignatus *num.* 100. præclusus est pericta *à num.* 103. *vsquè ad* 112. Recursus denique Antonij Perez declaratus *numer.* 122. manet superabundanter præclusus *à num.* 125. *vsquè ad* 131. Vltrà hæc tamen. 135 *Notetur hæc paritas*

Probatur quintò conclusio ratione fundamentali, omnes etiam evasiones præcludente: si esse personarũ præsupponeretur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo strictiori, quã præsuppositivè, Verbum procederet ex cognitione personarum; sed nunc de facto esse personarum non præsupponitur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi: ergo nunc de facto Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Consequentia legitima videtur. Minor est apud omnes certa. Maior autem probatur: si esse personarũ præsupponeretur prioritate naturæ 136 *Probat. 5. concluſ. ratione fundamentali.*

in quo intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo strictiori Verbum procederet ex cognitione personarum, quam modo, quo de facto procedit ex cognitione attributorū, quorum esse præsupponitur de facto prioritate naturæ. *in quo* intelligendi ad processionem Verbi; atqui Verbū de facto non alio modo strictiori, quam præsuppositivè, procedit ex cognitione attributorum: ergo si esse personarum præsupponeretur prioritate naturæ *in quo* intelligendi ad processionem Verbi, non alio modo strictiori, quam præsuppositivæ, Verbum procederet ex cognitione personarum. Maior est notoria. Minor conceditur à Mastrio *num.* 72. & patet per dicta *num.* 75. Consequentia est legitima.

137 *Prob. 6. ratione etiam fundam.*

Probatur sextò conclusio ratione etiam fundamentali, omnes dictas evasiones præcludente: vnum procedere ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, significat cum prioritate, & in rigore, vnum esse prius alio, priùsque cognosci, prioritate naturæ *in quo* intelligendi; atqui personæ non sunt priores Verbo, priùsq; cognitæ prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum cum proprietate, & rigorè non procedit ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Consequentia est optimè illata. Minor claret pro prima parte ex dictis *num.* 133. Pro secunda claret: nam sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci ex Arist. 4. *Methaph. textu* 24.

138 *Prob. mai. 1.*

Maior probatur primò: Verbum procedere ex cognitione attributorum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate *in quo* intelligendi, significat cum proprietate, & in rigore, attributa esse priùs Verbo, priúsque cognita, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo similitèr. Probatur secundò ab oppositò: vnum non esse prius alio, priùsq; cognitum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, significat cū proprietate, & in rigore, vnum non procedere ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo paritèr ab oppositò.

Secundò.

Probatur septimò conclusio ratione desumpta ex Philosopho, & omnes etiam evasiones præcludente: sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci: ergo sicut personæ se habent ad esse, ita ad cognosci. Atqui personæ ita se habent ad esse, vt nulla sit prior Verbo, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo ita se habent ad cognosci, vt nulla sit priùs cognita Verbo, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum, prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Omnia sunt vera, si verum est antecedens. Hoc autem est Philosophi *citat.* & patet ex eo, quod cognoscibilitas passiva, & intrinseca rei, est passio illius, consequenterque debet cum esse rei proportionari, esseque rei supponere.

139 *Probat. 7. conclus. ratione desūpta ex Philosopho.*

Probatur octavo conclusio ratione, etiam omnes evasiones præcludente: in ordine ad hoc, vt vnum procedat ex cognitione alterius, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionē, prioritate naturæ *in quo* intelligendi, valdè diversum est, quod vnum in eodem instanti naturæ *in quo* intelligendi simul existat, simulque cognoscatur cum alio, ac quod vnum prioritate naturę *in quo* intelligendi priùs existat, priùsque cognoscatur, quā aliud; atqui de hoc secundo verè, propriè, & in rigore dicitur: quod vnum procedat ex cognitione alteriùs, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud prioritate naturæ *in quo* intelligendi: ergo nequit hoc de primo dici. Tunc sic; sed ita se habent personæ Divinæ respectu Verbi: ergo nequit dici verè, propriè, & in rigore, quod Verbum procedat ex cognitione personarum, ly *ex* dicente simplicem præsuppositionem vnius ad aliud, prioritate naturæ *in quo* intelligendi. Omnia mihi sunt vera, & ex ipsis etiam apparent.

140 *Probat. 8. conclusio.*

§. VIII.

Argumenta Mastrij ex Scoti authoritate solvuntur.

141 *Arguit. 1.*

MAstrius *num.* 60. arguit primò ex Scoto *in* 1. *dist.* 6. §. *De quarto dico*, vbi ait: quod Pater, *In secundo signo originis gignit Filium, nec*

tan-

159 *Respondeo.*

Respondeo explicando prima Scoti verba: *Quia pater in primo signo originis intelligit formaliter*, cognitione determinata ad Essentiam, concedo; terminata ad generationem, & Filiũ, nego, idemque de volitione dicendum. Et quod hæc sit vera Scoti mens, claret primo ex sequentibus verbis scilicèt, *Sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult*, vbi non dicit, quod formaliter vult *gignitionem*, sicut in verbis in argumento relatis, vbi non ponit ly *formaliter*; *gignitionem* dicit: ergo signum est, quod in verbis argumenti volitio terminetur ad gignitionem, & sic loquatur de volitione virtuali, & identica, & in verbis replicæ volitio terminetur ad Essentiã, & sic loquitur de volitione formali. Claret secundò: nam Scotus *quodlib. 14. & in 2. citat.* ponit Essentiam Divinam absque relationibus, & personis in primo signo ex dictis *num. 33.* ergo loquendo de hoc signo, loquitur necessariò Scotus de volitione virtuali, & identica; cum formalis terminata ad gignitionem non sit in illo signo, vt est manifestum. Aliter explico Scotum: Patet in primo signo originis intelligit formaliter gignitionem virtualiter, vel identicè captam; concedo; formaliter in se sumptam, nego. Patet ex dictis solutio. Si autem hæc non placet responsio; duplex solutio est absquè replica ad argumentum assignata.

160 *Respondeo ad 2. Mastrij replicam.*

Ad secundam Mastrij impugnationem respondeo distinguendo antecedens: intelligere, & velle generationem in rigore acceptam, non est intelligere, & velle solum Essentiam, etiam si generatio in Essentia radicetur, concedo antecedens; generationem non in rigore acceptam, nego antecedens, & consequentiam. Itaquè licèt velle generationem in rigore acceptam, sit velle generationem in se ipsa formaliter, & non in causa, seu virtualiter, vel identicè; attamen velle generationem in causa, seu virtualiter, aut identicè, est etiam velle generationem, etsi non in rigore acceptam.

161 *Replicabis pro ipso.*

Replicabis pro Mastrio: Scotus loquitur iuxtà nostram explicationẽ de velle generationem non in rigore acceptam: ergo loquitur Scotus de velle generationem impropriè sumptam: ergo impropriè loquitur Scotus. Respondeo concesso antecedenti, cum prima consequentia, negando secundam; nam aliud est, quod velle generationem, non formaliter in se ipsa, sed tantum virtualiter, vel identicè, non sit velle generationem, si in rigore accipiatur; & aliud est, quod sit impropria locutio, dicere: Patrem pro priori originis ad Verbi productionem velle generationem Filij virtualiter, vel identicè. Primum est certum; secundum verò falsum; & ita falsum, quod est propriſsima locutio.

Respondeo.

Quod ostenditur: nam dicere: Patrẽ pro priori originis ad Verbi productionem, velle generationem Filij eo modo, quo pro illo priori generatio Filij est volibilis, est propriſsima locutio; atqui pro priori originis ad Verbi productionem, generatio Filij solum virtualiter, vel identicè est à Patre volibilis: ergo dicere: Patrem pro priori originis ad Verbi productionem velle generationem Filij virtualiter, vel identicè, est propriſsima locutio. Hoc est generaliter verum, & in omni doctrina ostenditur: nam Thomistæ, & Scotistæ vniformiter asserunt: Deum cognoscere possibilia secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, quod est, creaturas velle in causa, seu virtualiter, aut identicè; sed hoc est velle possibilia impropriè sumpta: ergo Thomistæ, & Scotistę locuntur impropriè. Solutio ad hoc erit replicæ responsio.

162 *Scotum loqui propriſsimè ostenditur.*

Arguit secundò Mastrius *citat.* ex Scoto *in 1. dist. 10. in fine* cuidam obiectioni occurrente, vbi sic ait: *Aliter posset dici, quod in illo priori signo originis, antequam intelligatur Spiritus Sanctus Spirari, Pater, & Filius cognoscunt Spiritum Sanctum intuitivè, licèt non vt existentem in se, quia cognoscunt Essentiam Divinam, quæ est ratio cognoscendi intuitivè quodcumque obiectum intelligibile*: ergo cognitio, & amor nedum Essentiæ cum suis attributis, sed etiam ipsarum personarum, præcedunt natura Divinas processiones in Scoti sententia.

163 *Arguit. 2. Mastrius.*

Respondeo primò: Scotum tantum velle quod Pater, & Filius prioritate originis cognoscant Spiritum Sanctum. Quod patet in ipso Scoti contextu: nam explicans Scotus quomodo in illo signo priori originis sit præcognitus Spiritus Sanctus in

164 *Respond. 1.*

tui-

tuitivè, licèt non vt exiſtens in ſe, exponit ſic: hoc nullatenus eſt intelligendum de ſigno *in quo*, ſed tantum iuxtà ſigna originis, vt fatetur Maſtrius, & ratio Doctoris eſt: *Quia diſtinguendo inter inſtantia originis, non diſtinguitur inter durationem, & durationem, ſed tantum à quo quis ſit.* Cum ergo prioritas *à quo* inſufficiens ſit ex toties dictis, vt vna perſona procedat ex cognitione alterius præſuppoſitivè; ad rem non eſt prædictus Scoti locus. Vndè in forma conceſſo antecedenti de prioritate originis, ſeu *à quo*, nego conſequentiam, quia nullum eſt ſignum naturæ *in quo* vna perſona ſit ab alia prior ex dictis §. 7. *per totum.*

165 *Reſpond. 2.* Reſpondeo ſecundò: Scotum velle: præſupponi cognitum Spiritum Sanctum, non formalitèr, ſed tantum fundamentalitèr, radicalitèr, virtualitèr, vel identicè, quia cognoſcitur Eſſentia Divina, quæ eſt fundamentum, & radix Spiritus Sancti, in ipſaq̃ eſt Spiritus Sanctus per identitatem. Et hanc eſſe genuinam Scoti mentẽ, patet. Primò: ex verbis argumenti: nam reddendo rationem, ait Doctor: *Quia cognoſcunt Eſſentiam Divinam, quæ eſt ratio cognoſcendi intuitivè quodcunque obiectum intelligibile.* Secundò: nam Scotus ita dicit Spiritum Sanctum præcognitum intuitivè ante ſui productionem à Patre, & Filio, ſicut dicit, creaturam ante ſui productionem præcognoſci intuitivè à Trinitate, proſequitur enim: *Sicut Trinitas cognovit etiam intuitivè creaturam, antequam producatur, quia Eſſentia ſua, quam intuetur, eſt ratio perfectiſsima cognoſcendi omnia alia, & per conſequens eſt ratio cognoſcendi intuitivè quodlibet cognoſcibile.* Ex quo in forma diſtinguo antecedens: illudque concedo de Spiritu Sancto identicè, ſeu virtualitèr; & nego de Spiritu Sancto formalitèr, qua diſtinctione diſtinguo ſimilitèr conſequens.

166 *Dices pro Maſtrio.* Dices pro Maſtrio: paritatem de creaturis non valere; quia creaturæ continentur eminentèr in Eſſentia Divina, ideòque in illa intuitivè continentur ante ſui productionem; aſt Spiritus Sanctus non continetur eminentèr in Eſſentia Divina, quia eminentialis continentia importat imperfectionem ex parte contenti, quæ Spiritui Sancto repugnat. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando aſſumptum; nam licèt Spiritus Sanctus eminentèr non contineatur in eſſentia Divina (de quo non curo) continetur tamen in illa fundamentalitèr, vel virtualitèr, quod ſufficit, vt paritas teneat. Primò: quia Eſſentia Divina eſt ratio cognoſcendi intuitivè, tàm illa, quæ continet eminentèr, quàm illa, quæ virtualitèr continet, vt eſt manifeſtum. Secundò: quia eandem rationem aſsignat Scotus de cognitione creaturarum, ac de cognitione Spiritus Sancti ante omnium productionem, nempè, *Quia Eſſentia Divina eſt ratio cognoſcendi intuitivè quodlibet cognoſcibile*: ergo tetet paritas quantum ad intuitivam cognitionem.

167 *Reſpond. 2 ad argum.* Reſpondeo tertiò: Scotum verbis in argumento relatis non loqui ex propria ſententia, ſeu ex propria mẽte, ſed in aliorum ſententia, vt patet: tum ex illis verbis: *Alitèr poſſet dici.* Tum etiam, quia ad argumentum illi propoſitum aliam prius adhibuerat ſolutionem. Pro cuius declaratione ſciendum eſt, quod Scotus *citat.* quærit: *Vtrùm Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?* Et hoc proponit argumentum: *Nihil producitur actu voluntatis, niſi præcognitum ex 15. de Trinitate, cap. 27. ergo ſi Spiritus Sanctus ſic producitur, erit præcognitus antequam producatur, & tunc à Patre, & Filio cognoſceretur cognitione non intuitiva, &c.*

168 Huic argumento primò reſpondet: Ad vltimum dicendum eſt, quod neceſſe eſt, ad actum amandi amatum eſſe præcognitum. Hoc dicit Auguſtin. 15. *de Trinitate, cap.* 27. ſed non oportet, ipſam dilectionem eſſe præcognitam: puta, ſi offertur mihi bonum honeſtum, non oportet, quod antequam poſſem habere illum actũ amandi circà illud bonum, quod prę-cognoſcam illum actum. Ita in propoſito oportet, Eſſentiam Divinam, cuius amor ſpiratur, eſſe præcognitã Patri, & Filio, ad hoc, vt ſpirent; ſed non oportet in iſto inſtanti originis concedere, Spiritum Sanctum, qui eſt amor Spiratus, eſſe præcognitum Patri, & Filio; licèt in iſtanti æternitatis ſit tota Trinitas nota cuilibet perſonæ in Trinitate; quia diſtinguendo inter inſtantia originis, non diſtinguitur inter durationem, & durationem, ſed tantum à quo quis ſit. Et

159 *Reſpondeo.*

Reſpondeo explicando prima Scoti verba: *Quia pater in primo ſigno originis intelligit formaliter*, cognitione determinata ad Eſſentiam', concedo; terminata ad generationem, & Filiũ, nego, idemque de volitione dicendum. Et quod hæc ſit vera Scoti mens, claret primo ex ſequentibus verbis, ſcilicèt, *Sed volitione habita in primo ſigno originis, qua volitione Pater formaliter vult*, vbi non dicit, quod formaliter vult *gignitionem*, ſicut in verbis in argumento relatis, vbi non ponit ly *formaliter*; *gignitionem* dicit: ergo ſignum eſt, quod in verbis argumenti volitio terminetur ad gignitionem, & ſic loquatur de volitione virtuali, & identica, & in verbis replicæ volitio terminetur ad Eſſentiã, & ſic loquitur de volitione formali. Claret ſecundò: nam Scotus *quodlib.* 14. *& in* 2. *citat.* ponit Eſſentiam Divinam abſquè relationibus, & perſonis in primo ſigno ex dictis *num.* 33. ergo loquendo de hoc ſigno, loquitur neceſſariò Scotus de volitione virtuali, & identica; cum formalis terminata ad gignitionem non ſit in illo ſigno, vt eſt manifeſtum. Alitèr explico Scotum: Patet in primo ſigno originis intelligit formaliter gignitionem virtualiter, vel identicè captam, concedo; formaliter in ſe ſumptam, nego. Patet ex dictis ſolutio. Si autem hæc non placet reſponſio; duplex ſolutio eſt abſquè replica ad argumentum aſſignata.

160 *Reſpondeo ad* 2. *Maſtrij replicam.*

Ad ſecundam Maſtrij impugnationem reſpondeo diſtinguendo antecedens: intelligere, & velle generationem in rigore acceptam, non eſt intelligere, & velle ſolum Eſſentiam, etiam ſi generatio in Eſſentia radicetur, concedo antecedens; generationem non in rigore acceptam, nego antecedens, & conſequentiam. Itaquè licèt velle generationem in rigore acceptam, ſit velle generationem in ſe ipſa formaliter, & non in cauſa, ſeu virtualitèr, vel identicè; attamen velle generationem in cauſa, ſeu virtualiter, aut identicè, eſt etiam velle generationem, etſi non in rigore acceptam.

161 *Replicabis pro ipſo.*

Replicabis pro Maſtrio: Scotus loquitur iuxtà noſtram explicationẽ de velle generationem non in rigore acceptam: ergo loquitur Scotus de velle generationem impropriè ſumptam; ergo impropriè loquitur Scotus. Reſpondeo conceſſo antecedenti, cum prima conſequentia, negando ſecundam; nam aliud eſt, quod velle generationem, non formaliter in ſe ipſa, ſed tantum virtualitèr, vel identicè, non ſit velle generationem, ſi in rigore accipiatur; & aliud eſt, quod ſit impropria locutio, dicere: Patrem pro priori originis ad Verbi productionem velle generationem Filij virtualitèr, vel identicè. Primum eſt certum; ſecundum verò falſum; & ita falſum, quod eſt propriſsima locutio. *Reſpondeo.*

Quod oſtenditur: nam dicere: Patrẽ pro priori originis ad Verbi productionem, velle generationem Filij eo modo, quo pro illo priori generatio Filij eſt volibilis, eſt propriſsima locutio; atqui pro priori originis ad Verbi productionem, generatio Filij ſolum virtualitèr, vel identicè eſt à Patre volibilis: ergo dicere: Patrem pro priori originis ad Verbi productionem velle generationem Filij virtualitèr, vel identicè, eſt propriſsima locutio. Hoc eſt generalitèr verum, & in omni doctrina oſtenditur; nam Thomiſtæ, & Scotiſtæ vniformitèr aſſerunt: Deum cognoſcere poſsibilia ſecundum eſſe eminentiale, quod habent in Deo, quod eſt, creaturas velle in cauſa, ſeu virtualitèr, aut identicè; ſed hoc eſt velle poſsibilia impropriè ſumpta: ergo Thomiſtæ, & Scotiſtę locuntur impropriè. Solutio ad hoc erit replicæ reſponſio. 162 *Scotum loqui propriſsimè oſtenditur.*

Arguit ſecundò Maſtrius *citat.* ex Scoto *in* 1. *diſt.* 10. *in fine* cuidam obiectioni occurrente, vbi ſic ait: *Alitèr poſſet dici, quod in illo priori ſigno originis, antequam intelligatur Spiritus Sanctus Spirari, Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum intuitivè, licèt non vt exiſtentem in ſe, quia cognoſcunt Eſſentiam Divinam, quæ eſt ratio cognoſcendi intuitivè quodcumque obiectum intelligibile*: ergo cognitio, & amor nedum Eſſentiæ cum ſuis attributis, ſed etiam ipſarum perſonarum, præcedunt natura Divinas proceſsiones in Scoti ſententia. 163 *Arguit.* 2. *Maſtrius.*

Reſpondeo primò: Scotum tantum velle quod Pater, & Filius prioritate originis cognoſcant Spiritum Sanctum. Quod patet in ipſo Scoti contextu: nam explicans Scotus, quomodo in illo ſigno priori originis ſit prægnitus Spiritus Sanctus in- 164 *Reſpond.* 1.

tui-

tuitivè, licèt non vt existens in se, exponit sic: hoc nullatenus est intelligendum de signo *in quo*, sed tantum iuxtà signa originis, vt fatetur Mastrius, & ratio Doctoris est: *Quia distinguendo inter instantia originis, non distinguitur inter durationem, & durationem, sed tantum à quo quis sit.* Cum ergo prioritas *à quo* insufficiens sit ex totiès dictis, vt vna persona procedat ex cognitione alterius præsuppositivè; ad rem non est prædictus Scoti locus. Vndè in forma concesso antecedenti de prioritate originis, seu *à quo*, nego consequentiam, quia nullum est signum naturæ *in quo* vna persona sit ab alia prior ex dictis §. 7. *per totum.*

165 *Respond. 2.* Respondeo secundò: Scotum velle: præsupponi cognitum Spiritum Sanctum, non formalitèr, sed tantum fundamentalitèr, radicalitèr, virtualitèr, vel identicè, quia cognoscitur Essentia Divina, quæ est fundamentum, & radix Spiritus Sancti, in ipsaq̃ est Spiritus Sanctus per identitatem. Et hanc esse genuinam Scoti mentẽ, patet. Primò: ex verbis argumenti: nam reddendo rationem, ait Doctor: *Quia cognoscunt Essentiam Divinam, quæ est ratio cognoscendi intuitivè quodcumque obiectum intelligibile.* Secundò: nam Scotus ita dicit Spiritum Sanctum præcognitum intuitivè ante sui productionem à Patre, & Filio, sicut dicit, creaturam ante sui productionem præcognosci intuitivè à Trinitate, prosequitur enim: *Sicut Trinitas cognovit etiam intuitivè creaturam, antequam producatur, quia Essentia sua, quam intuetur, est ratio perfectissima cognoscendi omnia alia, & per consequens est ratio cognoscendi intuitivè quodlibet cognoscibile.* Ex quo in forma distinguo antecedens: illudque concedo de Spiritu Sancto identicè, seu virtualitèr; & nego de Spiritu Sancto formalitèr, qua distinctione distinguo similitèr consequens.

166 *Dices pro Mastrio.* Dices pro Mastrio: paritatem de creaturis non valere; quia creaturæ continentur eminentèr in Essentia Divina, ideòque in illa intuitivè continentur ante sui productionem; ast Spiritus Sanctus non continetur eminentèr in Essentia Divina, quia eminentialis continentia importat imperfectionem ex parte contenti, quæ Spiritui Sancto repugnat. *Respondeo.* Respondeo negando assumptum; nam licèt Spiritus Sanctus eminentèr non contineatur in essentia Divina (de quo non curo) continetur tamen in illa fundamentalitèr, vel virtualitèr, quod sufficit, vt paritas teneat. Primò: quia Essentia Divina est ratio cognoscendi intuitivè, tàm illa, quæ continet eminentèr, quàm illa, quæ virtualitèr continet, vt est manifestum. Secundò: quia eandem rationem assignat Scotus de cognitione creaturarum, ac de cognitione Spiritus Sancti ante omnium productionem, nempè, *Quia Essentia Divina est ratio cognoscendi intuitivè quodlibet cognoscibile*: ergo tetet paritas quantum ad intuitivam cognitionem.

167 *Respond. 2 ad argum.* Respondeo tertiò: Scotum verbis in argumento relatis non loqui ex propria sententia, seu ex propria mẽte, sed in aliorum sententia, vt patet: tum ex illis verbis: *Alitèr posset dici.* Tum etiam, quia ad argumentum illi propositum aliam priùs adhibuerat solutionem. Pro cuius declaratione sciendum est, quod Scotus *citat.* quærit: *Vtrùm Spiritus Sanctus producatur per modum voluntatis?* Et hoc proponit argumentum: *Nihil producitur actu voluntatis, nisi præcognitum ex 15. de Trinitate, cap. 27. ergo si Spiritus Sanctus sic producitur, erit præcognitus antequam producatur, & tunc à Patre, & Filio cognosceretur cognitione non intuitiva, &c.*

168 Huic argumento primò respondet: Ad vltimum dicendum est, quod necesse est, ad actum amandi amatum esse præcognitum. Hoc dicit Augustin. 15. *de Trinitate, cap.* 27. sed non oportet, ipsam dilectionem esse præcognitam: puta, si offertur mihi bonum honestum, non oportet, quod antequam possem habere illum actũ amandi circà illud bonum, quod prę-cognoscam illum actum. Ita in proposito oportet, Essentiam Divinam, cuius amor spiratur, esse præcognitã Patri, & Filio, ad hoc, vt spirent; sed non oportet in isto instanti originis concedere, Spiritum Sanctum, qui est amor Spiratus, esse præcognitum Patri, & Filio; licèt in istanti æternitatis sit tota Trinitas nota cuilibet personæ in Trinitate; quia distinguendo inter instantia originis, non distinguitur inter durationem, & durationem, sed tantum à quo quis sit. Et

ſtatim reſpondet ſecundo: *Alitèr poſſet dici, &c.* vt ſuprà.

169 Ex his duabus ſolutionibus liquidè, & evidentèr apparet: Scotum in prima ſentire, Spiritum Sanctum ante ſui productionem non præſupponi à Patre, & Filio intuitivè cognitum, & conſequentèr Spiritum Sanctum non procedere ex cognitione perſonarum præſuppoſitivè. Si ergo hoc eſt in Scoto evidens, ad quid ſtandum erit ſecundæ ſolutioni, ſi in illa oppoſitū videatur ſentire? Præſertim cum Antiquiores Scotiſtæ, vt Baſolius, Tataretus, Viguerius, & Rada primæ ſolutioni conſentiant, in ſecundaque ex propria ſententia non loqui, vniformitèr conveniant, & hoc idem adhuc notet Marginator?

170 Deniquè, & quod magis eſt, vt in prædicta Scoti authoritate nullo modo debeat fidere Maſtrius; Smiling, cuius ſententiam amplectitur Maſtrius, ad verba in argumento relata, hæc habet *diſput. 3. quæſt. 5.* Tamen hoc non addit ex propria ſententia; cum ille modus loquendi: *Poteſt dici*, non ſit apud Scotum reſolutivus, & priorem ſolutionem illius argumenti proponat hoc modo loquendi reſolutivo: *Dicendum eſt.* Et *num. 176. in fine* ait: Poſſe Scotum adferri pro cōtraria ſententia propter authoritatem prædictam. Quod nos fecimus *num. 113.* conſilium ab inimico ſumendo.

171 *Replicat 1. Maſtrius.* Replicat primò Maſtrius *citat.* hanc noſtram ſolutionem eſſe puram evaſionem; nam verbis præfatis, *Alitèr poſſet dici*, ſecundum propriam mentem loqui ſolet Scotus. *Reſpondeo.* Concedo ſic aliquando Scotum loqui; nego tamē, quod ſic loquatur in præſenti, quod convincunt Scotiſtæ *citat.* quin pro huius veritatis firmitate aliud ſit neceſſarium.

172 *Replicat 2.* Replicat ſecundò: nam ſecunda Scoti reſponſio, quæ eſt argumentum prædictum, non opponitur primæ reſponſioni, quæ eſt noſtra ſolutio, quod ſic probat: nam cum in prima dicit Scotus, opus non eſſe, Spiritum Sanctum eſſe Patri, & Filio præcognitum ante ſui productionem, non abſolutè id profert, ſed tantum inquit, hoc non ſequi ex vi argumenti, *Nihil volitum, quin præcognitum*; quia tantū valet de volito in ratione obiecti, vt patet exemplo ibi poſito: ergo ex vi argumenti ſufficeret, Divinam Eſſentiam, cuius amor Spiratur, eſſe præcognitam Patri, & Filio, vt Spirent. Et in hoc præciſè conſiſtit tota illa prima reſponſio; quod vt patet, non officit ſecundæ.

173 Imo (proſequitur Maſtrius) prima reſponſio miravilitèr ſecundam declarat, ſcilicèt, vt ille modus loquendi de prioritate, & poſterioritate *in quo*, qui negabatur in prima, & conceditur in ſecunda, debeat concedi, non à parte rei, ſeu ſecundum ſe, quaſi inter perſonas producentes, & productas intercedat vera priotas, & poſterioritas eſſendi, & *in quo*; ſed tantum prioritas *in quo* intelligendi, & ſecundum imperfectam rationem noſtrā, quæ à parte rei importat ſolam prioritatem originis *à quo quis ſit*: & ideò ſignificanter dixit Doctor in ſecunda ſolutione: *In illo priori originis, antequam intelligatur Spiritus Sanctus productus.* Vtitur (inquit) verbo *intelligendi*, non autem *eſſendi*, vt oſtendat, quod ſi illa prioritas explicetur per illam voculam *in quo*, debet omninò exprimi, quod ſit prioritas intelligendi, & per imperfectam rationem noſtram; non autem eſſendi ſecundum ſe, aut à parte rei.

174 *Reſpondeo.* Reſpondeo: hanc replicam Maſtrij eſſe omninò voluntariam; nam non eſt fundamentum, vnde poſſit inferri, Scotum in prima ſolutione non loqui abſolutè; alioquim in nulla ſolutione abſolutè loqueretur; cum enim prima ſolutio veriſsima ſit, directèque, & abſolutè ſit argumenti reſponſiva, vt ex illa, & argumento patet, dicendum eſt: Scotum loqui abſolutè, præciputè, cum id, quod in tali ſolutione continetur, ſit opinio verior Scoti, & à tam graviſsimis illius diſcipulis, vt Scotica, reputata.

175 Deindè falſum eſt, quod ſolutio prima ſit declarativa ſecundæ. Primò: quia in vtraque eſt idem modus loquendi, ſcilicet, in prima: *In iſto inſtanti originis*, & in ſecunda: *In illo priori ſigno originis*, quorum vtrunque denotat ſignum *in quo*. Secundò: quia verbum *intelligatur*, quo vtitur Scotus in ſecunda ſolutione, non tollit ſignum *in quo* naturæ intelligendi, quale eſt Eſſentia reſpectu attributorum, & horum reſpectu perſonarum, quod inter perſonas non reperitur, vt fatetur Maſtrius. Tertiò: quia ad intelligentiam prioritatis denotatæ

per

per illa verba *in illo priori originis*, posita in secunda solutione, nec prima est necessaria, nec verbum *intelligatur* positum in secunda conducit, quia per ly *originis* sufficienter declaratur, Scotum loqui de prioritate, & posterioritate *à quo quis sit*; cum nulla alia sit prioritas, & posterioritas originis. Quartò: nam prima solutio contradictoriè opponitur secundæ: ergo non est huius declarativa. Probatur antecedens: Prima solutio est, quod in isto instanti originis ante quam intelligatur Spiritus Sanctus Spirari, sit Spiritus Sanctus præcognitus; sed omninò contradictoriè tenet secũda solutio, vt ex termi nis vtriusq; apparet: ergo prima solutio contradictoriè opponitur secũdæ.

175 *Retorquet argum.* Denique retorqueo argumentum: verba Scoti in argumento relata probant: Filium non procedere ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti præsuppositivè; sed hoc est contra Mastrium: ergo contra ipsum est argumentum prædictum. Probatur maior: ideò verba Scoti in argumento relata probant iuxtà Mastrium, Spiritum Sanctum procedere ex cognitione intuitiva Patris, & Filij, quia Pater, & Filius pro priori originis, ante quam intelligatur Spiritus Sanctus Spirari, cognoscunt intuitivè Spiritum Sanctum; atqui Pater pro priori originis, ante quam intelligatur Filius generari, non cognoscit intuitivè Spiritum Sanctum; alioquim Spiritus Sanctus esset existens ante sui productionem, ex dictis §. 6. & consequẽtèr (quod absit) esset prior origine Filio: ergo verba Scoti in argumento relata probant: Filium non procedere ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti præsuppositivè. Vide dicta *num.* 44.

177 *Aliud Scoti testim. ex Ant. Perez.* Vltrà hæc Scoti testimonia à Mastrio adducta, aliud adducit Antonius Perez *citat. num.* 76. ex Doctore *in disputationibus Collat. disput.* 27. *num.* 2. *V. Alitèr ostenditur idem.* Vbi de productione Verbi loquens, ait: Et est alia productio, quę non dicit aliquam mutationem, nec per quam capitur esse post non esse, vel post nihil; sed tantum capitur esse de esse: *Tunc videtur, quod sic est dare signum originis, in quo est Pater, non Filius; quod non est, nisi esse in priori originis essentiam in Patre, quæ in Filio non est in illo priori; non tamen essentiam non esse sub Filiatione, quia semper actualissimè est sub Filiatione; sed posterius origine habet Filiationem à se, quod stat cum hoc, quod actualissimè habet Filiationem: ideò non est dare signum naturæ, in quo Pater sit, vel intelligit, non existente Filio, vel non intelligente; sed tantum Pater intelligit prius origine: ergo licèt essentia priùs sit sub non filiatione, non tamen in priori signo naturæ.*

178 *Arguit. 3.* Ex quibus verbis sic arguit tertiò: cum illa prioritate originis in Patre non compatitur, essentiam non esse sub filiatione, licèt à Patre; quia semper actualissimè est sub filiatione: ergo non est imaginabile signum naturæ, in quo Pater sit, vel intelligat, non existente Filio, vel non intelligente: ergo in illo priori, in quo Pater est, & intelligit, nescit Filium existentem, & cognoscentem: ergo producit Filium ex cognitione illius pro illo priori. Confirmatur: signa originis non important successionẽ essẽndi vnius post aliud, ita, vt possit dici, datur vnum, & non datur aliud, quia simul datur vtrumque, etsi vnum ab alio; sed si datur omnimoda simultas in essendo, datur omnimoda simultas in cognoscendo: ergo inter signa originis non potest cognosci vnum, & non cognosci aliud: ergo Pater producit Filium ex prę suppositа cognitione vtriusque. Maior est certa; alioquim non distinguerentur signa originis à signis durationis, vel si mavis, à signis naturæ; & constat ex Scoto superiùs dato, dicente: signa originis tantum significare *à quo quis sit*. Minor est evidens, si cognitio est comprehensiva, vt debet supponi cognitio Patris. *Confirmat.*

179 *Respond. 1. ad argum.* Respondeo: hanc Scoti Authoritatem nobis evidentèr favere, ideòq; pro nostra conclusione illam adduximus *num.* 79. & efficacia illius ostensa manet *à num.* 90. *vsque ad* 98. & alibi, ex quibus plures fieri possunt retorsiones contra factorem argumenti. Vndè ad argumentum in forma respondeo primo negando suppositum vltimi consequentis; supponit namq̃, quod Filius sit à Patre cognitus ante illius existentiam; hoc enim denotat: Filium procedere ex cognitione sui, & est contra Scoti verba tradita ab arguente; nam Scotus explicando prioritatem originis, expræsè habet,

quod

quod hæc prioritas nihil aliud est, quam quod in priori originis sit Essentia in Patre, quæ in Filio non est in illo priori, quod est, Filium esse à Patre; non verò Filium præsupponi à Patre cognitum ante illius existentiã, vt patet ex præfatis Scoti verbis, & ex dictis *num.* 26.

180 *Respond.* 2. Respondeo secundò: distinguendo vltimum consequens: ergo producit Filium ex cognitione illius pro illo priori, ly *ex* dicente in Patre cognitionem à se, concedo consequentiam; ly *ex* dicente naturalem præsuppositionem cognitionis Filij, nego consequentiam, quia ad hoc erat necessarium, quod Filius pro aliqua naturæ prioritate esset cognitus, quod est contra Scotum *citat.* & nos diximus §. 7. *per totum.* Ex hac duplici solutione constat quid sit ad confirmationem dicendum, nempè, vel negando suppositum consequentis, vel ipsum distinctione data distinguendo. *Ad cõfirm.* Vltrà hæc tamen.

181 *Retorq.* 1. Retorqueo primò argumentum: signa originis componuntur cũ omnimoda simultate in essendo, & in cognoscendo: ergo signa originis personarum componuntur cum omnimoda simultate in essendo, & cognoscendo personarum: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Hæc consequentia evidens apparet, & probatur: cum omnimoda simultate personarum in essendo, & cognoscendo non compatitur præsuppositio cognitionis personarum ad esse Verbi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè. Probatur consequentia: vt Verbum procedat ex cognitione personarum præsuppositivè, debet præsupponi cognitio personarum ad esse Verbi; sed per te cum omnimoda simultate personarum in essendo, & cognoscendo non compatitur præsuppositio cognitionis personarum ad esse Verbi: ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum præsuppositivè.

182 *Retorq.* 2. Retorqueo secundò: signa originis in Divinis compatiuntur cũ omnimoda simultate naturæ in essendo, & cognoscendo personarum: ergo Filius non est prior natura Spiritu Sancto. Antecedens est Antonij Perez, & Scoti in verbis relatis. Consequentia est evidenter legitima. Sumo nunc: Atqui Antonius Perez *num.* 121. & 123. concedit: Filium esse priorem Spiritu Sancto prioritate naturæ: ergo Scoto contradicit, & inconsequenter in hac quæstione procedit. Et per hoc adimpletum manet, quod *num.* 125. promisimus.

§. IX.

Solvitur argumentum Mastrij à ratione deductum.

183 *Arguit à ratione.* MAstrius *num.* 65. vnicam rationem obijcit contra nostram conclusionem, ex comprehensione deductam, quam ad hanc formalitatem reduco: cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ necessariò attingit personas; sed Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ: ergo ex cognitione attingente personas. Probatur maior: attingens cognitio necessariò omnes formalitates Dei, attingit etiam necessariò personas, quæ sunt Dei formalites, vtpotè, eius personales subsistentiæ; sed cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ necessario attingit omnes formalitates Dei: ergo necessariò attingit personas. Probatur minor: cognitio tàm intensivè, quam extensivè commensurata cum Deo, attingit necessariò omnes formalitates Dei (alioquim cum ipso non commensuraretur) atqui cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ, est, tàm intensivè, quam extensivè commensurata cum Deo: ergo cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ necessariò attingit omnes formalitates Dei.

184 *Prob. min.* 1. Iam minor primi syllogismi probatur primò: perfectissimum Verbũ ex perfectissima cognitione debet procedere, vtpotè, adæquatè correspondens perfectio Verbi perfectioni cognitionis; atqui Verbum Divinum est perfectissimum Verbum, vtpotè, simpliciter infinitum: ergo ex perfectissima Divinæ Essentiæ cognitione debet procedere. Tunc sic; sed sola cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ est eius cognitio perfectissima (alioquim, si daretur aliqua perfectior, daretur Dei supercomprehensio, quod repugnat) ergo Verbum Divinũ ex comprehensiva cognitione Divinæ Essentiæ procedere debet: ergo ex cognitione attingente omnes formalitates Dei, & consequenter personas, quæ sunt Dei formalitates.

185 *Prob. min. 2.*

Probatur minor secundò: hoc ipso, quod Verbum ex cognitione Patris præsuppositivè procedat, procedit ex cognitione, quæ datur in Patre pro illo signo, quo datur ipse Pater; sed pro illo signo, quo datur ipse Pater, datur in Patre cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ, attingens necessariò personas: ergo Verbum ex tali cognitione procedit. Probatur minor: cognitio, quæ datur in Patre pro illo nunc, quo datur ipse Pater, attingit omnia, quæ dantur pro illo nunc, quo datur ipse Pater; atqui pro illo nunc, quo datur ipse Pater, datur & Essentia, & attributa, vt de se patet, & dantur etiam personæ, quia personæ sunt in eodem nunc durationis, & naturæ: ergo & datur in Patre cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ, necessariò attingens personas.

186 *Confirm. 1.*

Confirmatur primò: si omne signum *in quo* est Pater, est signum *in quo* sunt tres personæ, iam tres personæ sunt cognoscibiles à Patre in omni signo *in quo* est Pater; sed omne signum *in quo* est Pater, est signum *in quo* sunt tres personæ: ergo in omni signo *in quo* est ipse Pater, iam personæ sunt ab ipso cognoscibiles, & consequentèr actu cognitæ, quia in æternis idē est posse, ac esse, vt totiès Scotus, & Philosophus aiunt. Probatur minor: omne signum *in quo*, est signum durationis, vel naturæ; nam signum originis non est signum *in quo*, sed *à quo*; aqui omne signum durationis, vel naturæ *in quo* est ipse Pater, est signum durationis, & naturæ, *in quo* sunt tres personæ, quia inter tres personas Divinas non est prioritas, vel posterioritas durationis, vel naturæ, vt totiès nos diximus: ergo omne signum *in quo* est Pater, est signum *in quo* sunt tres personæ.

187 *Confirm. 2.*

Confirmatur secundò: in illo nunc, quo datur ipse Pater, Verbum non est in potentia ad esse, & consequentèr nec est futurum, nec potest dici producendum: ergo pro illo nunc est necessariò existens: ergo cognitio Patris ad illud necessariò terminatur pro illo nunc. Patet consequentia: nam cū potentia intellectiva Patris sit potentia naturalis, & simplicitèr infinita, est ex se determinata, vt cognoscat actu omnia, quæ pro illo nunc sunt cognoscibilia; cum operetur vsquè ad vltimum potentiæ. Antecedens etiam est verissimum, quia Verbum, vt potè æternum, & necesse esse, nequit esse in potentia ad esse, vti dicitur de ipso Deo, eo præcisè, quia est æternus, & necessè esse; & consequentèr nec Verbum, nec Deus potest concipi vel cū potentia ad esse, vel cum futuritione, imò debet concipi cum necessaria existentia, nam hæc est de illius intrinseca ratione.

188 *Respond. 1. ad argum.*

Ad hoc itaquè argumentum, quod est totum Magistrij fundamentum, respondeo primò distinguendo maiorē: cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ necessariò attingit personas pro secundo signo naturæ, concedo maiorem; pro primo signo naturæ, nego maiorem; distinguoque minorem: Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ pro primo signo naturæ, concedo minorem; pro secundo signo naturę, nego minorem, & consequentiam. Et iuxtà hanc solutionem ad probationem maioris, concessa maiori, distinguo similitèr minorem, ad cuius probationem distinguo minorem: cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ pro primo, & secundo signo naturæ est tàm intensivè, quàm extensivè commensurata cum Deo, concedo minorem; pro primo signo naturæ, nego minorem, & consequentiam. Solutio claret ex dictis *num.* 33. vbi cum Scoto ibi *citat.* diximus, Essentiam Divinam absquè relationibus, & personis esse in primo signo naturæ, in quo sola Essentia est cognoscibilis; non tamen relatio, vel persona, consequentèrq̄ potest pro illo priori comprehendi, quin pro illo signo cognoscantur personæ.

189 *Ad 1. prob. minor.*

Ad primam probationem minoris primi syllogismi concesso syllogismo cum sua sumpta, & prima consequentia, nego vltimam consequentiam; quia Verbum solum procedere valet ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentię pro primo signo naturæ, pro quo non attinguntur personæ, vt manet dictum. *Ad 2.* Ad secundam probationem eiusdem minoris respondeo negando suppositum; supponit namque: Verbum procedere ex cognitione Patris, quod est falsum, vt constat ex nostris probationibus §. 7. declaratis, quæ probant etiam de Paternitate, vltrà speciales, quas *tom. 3. in 1. Sent. disp. 89. §. 1.* id ipsum specia-

il-

litèr probavimus, nec alia indiget solutione probatio prædicta. Ad primã, & secundam confirmationem similitèr respondeo, negando suppositum ob rationem datam: Et vt hoc clariùs appareat.

Ad 1. & 2. confirm.

190 *Retorqueo argum.* Retorqueo argumentum contra Mastrium: si aliquod signum *in quo* est Essentia Divina, non est signum *in quo* sunt personæ; personæ non sunt cognoscibiles in omni signo, in quo est Essentia Divina: ergo in illo signo est cognoscibilis Essentia Divina, quin pro illo signo sint cognoscibiles personæ. Quæro nunc à Mastrio: erit ne illa cognitio comprehensiva? Si affirmat: ergo datur cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ, quin pro illo signo attingat personas, & consequentèr illius fundamentũ ruit, & nostra doctrina firma manet. Si negat: ergo Deus in illo signo cognoscit suam Essentiam, cognitione non comprehensiva, quod videtur absurdum; & si pro absurdo ab ipso non reputatur, pro absurdo non reputet: Verbum procedere ex cognitione non comprehensiva, quo semel dato, nullum est illius argumentum.

191 *Replicat Ant. Per.* Solutionem prædictam Mastrius non adducit in præsenti, pro ipso autem replicat Antonius Perez *numer.* 104: pro signo primo naturę cognoscitur Essentia Divina cum identitate, vel connexione essentiali, & entitativa, quam essentialitèr, & entitativè habet cum omnibus prædicatis Divinis, & ista connexio est cognoscibilis pro illo priori: ergo si Essentia Divina cognoscitur comprehensivè, debet sic cognosci; sed implicat cognitio comprehensiva connexionis, quin attingatur terminus illius, præcipuè, si cognitio est infinita, & illimitata: ergo pro primo signo naturæ cognoscuntur personæ.

192 *Confirm. 1.* Confirmatur primò ab ipso *numer.* 105: intellectus Patris pro illo priori cognoscit Essentiam Divinam, vt est in se: ergo cognoscit eam, vt est in se, infinitè fæcundam; sed est infinitè fæcunda determinatè per intellectum, & voluntatem: ergo determinatè cognoscit hanc determinatam fæcunditatem, & communicabilitatẽ; alias non cognosceret essentiam, vt est in se; ergo cum cognitio sit illimitata, & comprehensiva, debet cognoscere terminos huius fęcunditatis. Confirmatur secundò: cognitio creata, & limitata attingens fæcunditatem, vt talem, eo ipso, saltim in confuso, cognoscit aliquem terminum illius fæcũditatis: ergo intellectio Patris attingens infinitè, & comprehensivè determinatam fæcunditatem Essentiæ Divinæ, vt talem, eo ipso debet cognoscere clarè, & expræsè determinatos terminos illius fæcunditatis; alioquim minus tribueretur cognitioni infinitæ, & comprehensivæ, quam finitæ, & limitatæ.

Secundò.

193 Hæc replica cum confirmationibus, est doctrina Thomistica, quam contra nos, & Scotum arguunt Thomistæ, ipsaque probare connantur: Deum, vt vnum, non esse obiectum essentiale beatitudinis. Imò illa convincere volunt: Essentiam Divinam non posse videri intuitivè sine personis, quod adeò certum est, vt ipse Antonius Perez *hoc 2. tom. tract. de Visione beata. disp. 6. sect. 2. num. 42.* sibi hanc doctrinam obiecit, & illam solvit. Quod vt appareat verba illius ad litteram transcribo.

194 *Ipse replicam solvit.* Ipse enim *citat.* sic ait: *Objicies secundò: nequit videri Essentia Divina quidditativè, quin videatur, vt communicabilis tribus personis; sed eo ipso, quod sic intuitivè, & quidditativè videatur, non possunt personæ non videri, neque vna persona sine alia, quia relata sunt simul natura, & cognitione: ergo. Respondet concedendo maiorem, & negando minorem; quia ex communicabilitate quidditativa essentiæ, quæ videretur, solum potest probari, quod personæ cognoscerentur, scilicèt, abstractivè, per illationem, non autem per intuitionem. Idem dicimus de vna persona visa respectu alterius non visæ, quam etiam inferret per cognitionem abstractivam: quia illud axioma desumptum ex Philosopho*: Relata sunt simul natura, & cognitione, *nihil aliud intendit, nisi quod debeant cognosci; & quomodocumque cognoscantur, sufficit.* Ecce quomodo ipse sibi respondet ad replicam, quam contra nos facit in præsenti. Cæterum quidquid sit de sua solutione.

195 *Respond. 1. ad replicã.* Respondeo primò ad replicam, concesso antecedenti cum consequẽtia, distinguendo minorem: implicat cognitio comprehensiva connexionis formalitèr sumptæ, quin attingatur terminus illius, concedo minorẽ; connexionis materialitèr captæ, nego

Ad 1. confirmat.

minore,& consequentiam. Et hac solutione ad primam confirmationem distinguo consequens: ergo cognoscit eam,vt est in se, infinitè fœcundâ, sumpta fœcunditate materialitèr,concedo consequentiam; sumpta formalitèr, nego consequentiam, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Ad secundam confirmationem paritèr distinguendum est antecedens,& consequens. Itaquè identitas,connexio, & fœcunditas dupliciter accipi possunt. Primò materialitèr, & sic sunt ipsa Divina Essentia, quæ,vtpotè,absoluta,potest comprehensivè cognosci, quin termini illius cognoscantur. Secundò formalitèr,& sic sunt relationes, quæ nihil obest,vt comprehensivè non cognoscantur, quin termini illius attingantur.

Ad 2.

196 *Respond. 2.*

Respondeo secundò,alitèr distinguendo minorem: implicat cognitio comprehensiva connexionis formalitèr,seu proximè acceptæ, quin attingatur terminus illius, concedo minorē; essentialitèr, vel radicalitèr sumptæ, nego minorem, & consequentiā. Et iuxtà hanc solutionem ad primam confirmationem distinguo consequens: ergo cognoscit eam, vt est in se, infinitè fœcundam essentialitèr, vel radicalitèr, concedo consequentiam; formalitèr, vel proximè, nego consequentiam; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

Ad 1. confirmat.

Ad 2.

Ad secundam confirmationem eadē distinctione distinguo antecedens, & consequens. Itaquè identitas, connexio, & fœcunditas dupliciter sumi valent. Primò: essentialitèr, vel radicalitèr, & hoc modo sunt ipsa Divina Essentia prò primo signo naturæ,pro quo est comprehensivè cognoscibilis, quin termini illius cognoscantur. Secundò: formalitèr, & proximè, & sic sunt relationes; Ex quo nihil contra nos.

197 *Respond. 3.*

Respondeo tertiò, distinguendo alitèr minorem replicę: implicat cognitio comprehensiva connexionis,reduplicativè sumptæ, quin attingatur terminus illius, ommino minorem; specificativè acceptæ, nego minorē, & consequentiam. Et iuxta han solutionem distinguo consequens primæ confirmationis: ergo cognoscit eam, vt est in se, infinitè fœcundam *ly vt* specificativè sumptum,concedo consequentiam; reduplicativè captum, nego consequentiam;& concessa minori, distinguo similitèr primum consequens, & nego secundam consequentiam. Ad secundam distinguo antecedens, & consequens distinctione data. Itaquè identitas,connexio,& fœcunditas dupliciter possunt accipi. Primò:specificativè,& sic sunt Essentia Divina pro primo signo naturæ. Secundò: reduplicativè, quomodo sunt relationes. Primò modo potest Essentia Divina comprehensivè cognosci,quin personæ attingantur;licet non secundo modo.

Ad 2.

198 *Nec obstat, si dicas.*

Nec obest,vt connexio, & identitas requirant infinitatem, & fœcunditas intellectum, & voluntatem. Non, inquam,obest.Primò: quia hoc est ob specialem titulum, & rationem particularem; cum enim Essentia Divina ratione infinitatis identificet omne secum compossibile, infinitatem requirit ad identificandum omnia Divina prædicata. Similitèr etiam: cum Essentia Divina ad esse principium personarum formale requirat intellectum,& voluntatem, his præsuppositis, est principium *quo* formale, & proximum Divinarum personarum, vt diximus *tom. 3. in 1. Sentent. disp. 72. §. 7.* quod non tollit, vt sola Essentia Divina pro illo priori naturæ sit radicalitèr identitas, connexio, & fœcunditas.Secundò: quia ex hoc nunquam valet deducere: Essentiam Divinam pro illo priori non esse comprehensivè cognoscibilem, quin attingantur personæ.

199 *Respond. 2. ad argum. Mastrij.*

Respondeo secundò ad prædictum Mastrij argumentum, alitèr distinguendo maiorem: cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ necessariò attingit personas, si per cognitionem comprehensivam essentiæ intelligatur cognitio ipsius sub omni ratione, vel formalitate, quæ cognosci potest, concedo maiorem; si per cognitionē comprehensivam intelligatur perfectissima cognitio,quę haberi potest de essentia secundum se, nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam, per quod patet ad probationem maioris,& primam probationem minoris. Secundam namq;, & vtraque confirmatio, solutæ manent *num.* 189. ratioque huius solutionis sumitur ex dictis *num.* 33. cum enim in primo instanti naturæ antecedenter ad Verbi productionem sit

Essen-

Essentia Divina secundum se, & non sub omni ratione, & formalitate; Verbum solum procedere valet præsuppositivè ex cognitione perfectissima, & comprehensiva essentiæ secundum se; non verò sub omni ratione, vel formalitate; nam solum petit procedere præsuppositivè ex cognitione illorum, quæ pro primo instanti naturę Verbi productionem præcedunt.

200 *Respond. 3.* Respondeo tertiò, aliter distinguendo maiorem: cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ, vt terminata ad essentiam, & omnes Dei formalitates, necessariò attingit personas, concedo maiorem; cognitio comprehensiva Divinæ Essentiæ, vt terminata ad Essentiam, nego maiorem; distinguo minorem: Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Divinę Essentiæ, vt terminata ad Essentiam, concedo minorem; vt terminata ad Essentiam, & omnes Dei formalitates, nego minorem, & consequentiam; & hac distinctione distinguendæ sunt prædictæ probationes præmissarum.

201 *Ratio solutionis.* Ratio solutionis est: nam licèt Verbum procedat ex cognitione Essentiæ, quæ cognitio se extendat, non solum ad Essentiam, verum etiam ad attributa, & personas; diversa tamen necessitate procedit Verbum ex ista cognitione comprehensiva Dei, vt terminata ad Essentiam, ac vt terminate ad attributa, & vt terminata ad personas; nam vt terminata ad Essentiam, procedit ex cognitione illius, non solum præsuppositivè, sed per se in quarto modo ex dictis *num.* 75. Vt terminata verò ad attributa, ex horũ cognitione procedit præsuppositivè ex dictis *num.* 50. Vt denique terminata ad personas, ex horum cognitione procedit concomitantèr duntaxat pro nunc solũ æternitatis, ideſt, quod in re, & de facto cognitio, ex qua Verbum procedit, terminatur ad personas in eo instanti æternitatis, & naturæ, in quo est generatio Verbi. Et hoc est certè, quod vnicè probat Mastrius, quod est nihil contra nos probare, & à sensu quæstionis deficere ex dictis *numer.* 42.

202 *Respondeo denique.* Respondeo denique distinguendo aliter maiorem: cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ intensivè, & extensivè sumpta, necessariò attingit personas, concedo maiorem; intensivè capta, nego maiorem; distinguo. quę minorem: Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Divinæ Essentiæ intensivè sumpta, concedo minorem; extensivè capta, nego minorem, & consequentiam, qua solutione distinguntur prædictæ probationes præmissarum.

203 *Replicat Mastrius.* Contra hanc solutionem replicat Mastrius *num.* 65. *in fine*: quia ad comprehensionẽ propriè sumptam vtrunque requiritur, tàm intensio, quàm extensio; & ratio est; quoniam comprehensio non est qualiscumque rei cognitio, nec est sola rei cognitio quidditativa, vel qualitativa, sed ampla quædam, & vniversalis rei cognitio, & adæquata, quoad omnia prædicata ad ipsam spectantia, sivè quidditativè, sivè qualitativè, & quæ exprimere debet obiectum quoad omnes formalitates, quæ ex natura rei in illo obiecto continentur, sivè quidditativè, sivè per simplicem identitatem realem, aut aliam ex natura rei connexionem. Respondeo negando assumptum cum probatione, quia ad comprehensionem strictè sumptam sufficere, sola prædicata quidditativa, rem intrinsicè constituentia, cognoscere, adę quatione ex parte modi cognoscendi suppositа, statuimus *tom.* 2. *in* 3. *Sentent. disp.* 33. §. 1. vbi probatũ manet contra Mastrium, & hoc argumentum solutum, & retorsum est. *Respondeo.*

204 *Replicat Ant. Per.* Replicat etiam contra prædictam solutionem Antonius Perez *citat. numer.* 100: comprehensa intensivè Essentia, comprehenditur intensivè fœcunditas, & connexio ipsius, quas essentialitèr entitativè importat essentia; sed cognita fœcunditate, vel connexione per comprehensionem intensivam, non potest non cognosci terminus fœcunditatis, vel connexionis: ergo cognita fœcunditate, vel connexione comprehensione intensiva, non potest non cognosci comprehensione extensiva. Maior videtur certa; quia fœcunditas, & connexio essentialitèr entitativè conveniunt Essentiæ Divinæ; & non minus minor, aliàs minus tribueretur cognitioni Divinæ, quam creatæ; & consequentia videtur sequi, quia quidquid Pater cognoscit, comprehensivè cognoscit. Hæc replica soluta manet triplici distinctione data *num.* 195. 196. & 197. Vltrà quod falsum etiam est, quod fœcunditas, & connexio ipsius *Respondeo.*

essentialiter conveniant Essentiæ Divinæ; sunt enim attributa Dei. Denique: hæc replica patitur ad hominem contra Antonium Perez retorsiones factas *tom. & disp. citat. num. anteced.*

205 *Retorqueo argum. contra Mastrium.*

Respondeo denique, retorquendo argumentum supra positum contra Mastrium, & omnes Scotistas nobis adversarios: Verbum Divinum procedit ex cognitione solius Essentiæ, vt ex obiecto per se, & necessario in quarto modo; atqui hæc est cognitio comprehensiva: ergo datur cognitio solius Essentiæ comprehensiva. Tunc sic; sed hæc non est cognitio personarum: ergo datur cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ, quin pro illo signo attingantur personæ. Maior patet ex dictis *num.* 75. e stque omniũ Scotistarum, saltim pro exclusione personarum. Minor est certa; alioquim Verbum per se in quarto modo procederet ex cognitione non cõprehensiva, & consequenter non perfectissima, quod est contra omnes. Consequentia est legitima. Sumpta est manifesta; alioquim non esset cognitio solius Essentiæ. Consequentia evidens apparet.

206 *Retorqueo ad hom. cõtra Ant. Perez.*

Vltrà hanc generalem retorsionem contra Scotistas, retorqueo ad hominem contra Antonium Perez: si ad Paternitatẽ præsupponitur cognitio comprehensiva Essentiæ, datur cognitio comprehensiva Essentiæ, quin attingantur personæ; sed ad Paternitatem præsupponitur cognitio comprehensiva Essentiæ: ergo datur cognitio comprehensiva Essentiæ, quin attingantur personæ. Maior, & consequentia tenent. Minor autem est Antonij Perez, qui illam eisdem terminis tradit *num.* 86 *in fine* impugnando quandam solutionem.

207 *Arguit Anton. Perez.*

Mastrius aliud contra nos argumentum non adducit. Arguit tamen Antonius Perez *num.* 78: in illo priori originis Pater cognoscit se ipsum, vt Patrem, ita, vt Verbum producatur ex præsupposita cognitione Patris, vt talis: ergo pro illo priori cognoscit etiam Filium, ita, vt Filius producatur ex præsupposita cognitione ipsius, vt talis. Antecedens communiter conceditur à Scotistis oppositis, & expræsse ab Hernand. *citat. §. Dico primo, & §. Dico tertio.* Probatur consequentia: non potest cognosci Pater, quin cognoscatur esse formale Patris; sed totum esse formale Patris est ad Filium: ergo nequit cognosci Pater sub formali ratione Patris, quin cognoscatur Filius, ad quẽ formaliter est. Confirmatur ex communi Philosophorũ, & Theologorum axiomate ex Arist. *Relata, sicut sunt simul natura, sunt etiam simul cognitione*; quia totum suum esse cuiuslibet est ad alterutrũ: ergo non potest pro illo signo priori cognosci Pater, vt formaliter talis, quin simul cognoscatur Filius, cuius est Pater, & ad quem Pater est.

208 *Respondeo*

Respondeo ad argumentum, negando suppositum antecedentis. Supponit enim, quod cognitio Patris, vt talis, sit prior productione Verbi, prioritate saltim naturæ *in quo* intelligendi, quæ ad minus requiritur, vt Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè, vt dictum est *§. 7. per totum*, & est etiam necessarium, vt Verbum procedat ex cognitione Patris iuxtà sensum quæstionis, ab ipso Antonio Perez explicatum *num.* 46. & à nobis transcriptum *numer.* 110. quin prioritas *à quo* originis quæcumque sit, sit sufficiens ex totiès dictis.

209 *Arguit. pro Mastrio.*

Arguitur denique pro Mastrio: ratio probans, Verbum non procedere ex cognitione sui, & Spiritus Sancti præsuppositivè, probat, Verbum procedere præsuppositivè ex cognitione Patris: ergo saltim Verbum procedit ex cognitione Patris præsuppositivè. Probatur antecedens: ratio probans, Verbum non procedere ex cognitione sui, & Spiritus Sancti præsuppositivè, est: quia sequeretur inconveniens, scilicèt, quod Verbum, & Spiritus Sanctus essent existentes ante eorum productiones; atqui hoc inconveniens non sequitur ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione Patris præsuppositivè: ergo ratio probans, Verbum non procedere ex cognitione sui, & Spiritus Sancti præsuppositivè, probat, Verbum procedere præsuppositivè ex cognitione Patris.

210 *Respondeo*

Respondeo ad argumentum distinguendo antecedens: ratio specialis pro Verbo, & Spiritu Sancto probans: Verbum non procedere ex cognitione sui & Spiritus Sancti præsuppositivè, probat, Verbum procedere præsuppositivè ex cognitione Patris, ommito antecedens; ratio communis tribus personis probans: Verbum non procedere ex cognitione sui, & Spiri-

tus Sancti præluppositivè, probat, Verbum procedere præsuppositivè ex cognitione Patris, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem distinguo similitèr maiorem, & consequens, ommissa minori. Parum, & adhuc nihil obest, quod ratio probativa specialitèr de vna persona, non sit probativa de alia, quando ad sunt tot rationes, quot positæ sunt §. 7. æqualitèr de omnibus id convincentes. Nec deficit inconveniens ex parte Patris; sequeretur enim, quod Pater prioritate naturę *in quo* intelligendi esset prior Filio, quod est falsum; cum solum inter illos sit priori. tas *à quo* originis, vt omnes fatentur Scotistę Reliqua vide *tom. 3. in 1. Sent. disp.* 89. vbi latè contra Ill. Godoy pro qualibet ex tribus personis hanc disputationem pertractavimus iuxtà proprium illius sensum.

QUÆSTIO VIGESIMASECUNDA.

An distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab eo non procederet, sit confirmior Concilijs, Patribus, Scripturæ, Anselmo, & communi Theologorum axiomati?

TOm. 3. *in* 1. *Sent. disp.* 92. latè contra Ill. Godoy hanc disputationem pertractavimus Methaphisicè, & opinionem Scoti propugnavimus; nunc autem eam Theologicè disputare, necessarium est, vtpotè, à nobis *ibi num.* 30. promissum. Sit ergo.

§. I.

Motivum quæstionis declaratur, & prima conclusio statuitur.

Num. 1 *Declaratur motivum, quæst.*

HÆc est quęstio, inqua, ratione attenta, vel Methaphisicè exacta, adhuc adversarij fatentur: opinionem Scoti veriorem esse sententia D. Thomę; quia Doctor Subtilis rationes efficacissimas proposuit pro distinctione reali personali Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab eo non procederet; cęterum authoritate inspecta, vel Theologicè tractata, opinionē D. Thomę esse, dicunt, Scoti sententia veriorem. Ob hoc ergo quęstionem suprà positam examinandam propossui, vt (vilia iam *tom. citat.* maiori probabilitate opinionis Scoti, Methaphisicè tractatę) videant adversarij eorū deceptionem, quęstione Theologicè examinata. Vndè suppositis pro intelligentia quęstionis, quæ suppositа declarata manent *tom. & disp. cit.* §. 1. Sit.

2 1. *Conclus.* Prima conclusio: *Distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab eo non procederet, est Concilijs conformior.* Hæc conclusio est Scoti *in* 1. *dist.* 11. *quæst.* 2. quæ suadendā est in primis ex Concilio Florentino, in quo pręcipuè hęc materia contra Græcos discussa est; nam *Sess. vltima* hęc habet: *Nam credentes Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, & consequentèr non esse Filium; quia autem proferunt Spiritum Sanctum ex sola Patris persona procedere, hi proculdubio re substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur Divinæ substantiæ, quod à ratione, fideque valdè alienum piè creditur.* Hoc est argumentum Latinorum cōtra Græcos, esse que germanam Concilij lectionem testatur Bazquez 1. *part. disp.* 14. *cap.* 3. vbi reprehendit illos, qui loco horum verborum: *Non esse Filium*, legunt: *Eum esse Filium*, quia hoc est contra litteram Concilij, quæ eadem est in omnibus exemplaribus. Ex verbis itaque Concilij duplex ratio pro Scotica opinione formāda venit.

Probat. 1. ex Concilio Florent.

Prima sic formatur: iuxtà verba Concilij in hypotesi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, quam Gręci de facto admitebant, Spiritus Sanctus non est Filius: ergo data hypotesi Spiritus Sanctus realitèr distingueretur à Filio. Antecedens constat ex illis verbis Concilij: *& consequentèr non esse Filium*, quæ, vt diximus, sunt verba legitima Concilij. Conse-

3 *1. ratio ex Concil. deducta.*

quen-

quentia verò probatur per oppositum contra adversarios: si iuxtà verba Concilij in hypotesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Spiritus Sanctus esset Filius, data hypotesi Spiritus Sanctus realitèr non distingueretur à Filio; sed iuxtà verba Concilij in hypotesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Spiritus Sanctus non esset Filius: ergo data hypotesi Spiritus Sanctus realitèr distingueretur à Filio. Maior est argumentum, quo adversarij contra Scoticam veritatem vtuntur. Minor ex Concilio constat. Consequentia legitima videtur, & ampliùs declaratur: ideò iuxtà hoc Concilium asserunt contrarij, quod in data hypotesi Spiritus Sanctus non distingueretur realitèr à Filio, quia loco horum verborum: *non esse Filium*, legunt mendacitèr: *eum esse Filium*; atqui iuxtà legitima verba Concilij legendum est *non esse Filium*: ergo iuxtà verba Concilij data hypotesi Spiritus Sanctus realitèr distingueretur à Filio.

4 *1. ratio deducta ex Concilio.*

Secunda ratio formatur in hunc modum: Patres in hoc Concilio ad probandam contra Græcos processionem Spiritus Sancti à Filio, non sumunt argumentum ex distinctione personali inter eos: ergo distinctio personalis inter Filium, & Spiritum Sanctum non est argumentum efficax ad prædictam processionem probandam: ergo stare potest distinctio personalis inter Filium, & Spiritum Sanctum, quin Spiritus Sanctus à Filio procedat: ergo data hypotesi Spiritus Sanctus à Filio distingueretur. Tertia consequentia ex secunda infertur. Secunda verò ex prima. Prima autem videtur certa; nam si distinctio personalis inter Filium, & Spiritū Sanctum esset argumentum efficax ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio, PP. in hoc Concilio, in quo, vt dixi, hæc materia contra Græcos præcipuè discussa est, sumerent argumentum ex distinctione personali inter eos. Antecedens, in quo potest esse difficultas, probatur: Patres in hoc Concilio ad probandam contra Græcos processionem Spiritus Sancti à Filio, sumunt argumentum ex distinctione essentiali inter eos: ergo PP. in hoc Concilio ad probandam contra Græcos processionem Spiritus Sancti à Filio, non sumunt argumentum ex distinctione personali inter eos.

Antecedens verò probatur primò: PP. in hoc Concilio ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio, inferunt, vt absurdū, distinctionem essentialem inter Divinas personas, vt patet ex illis verbis: *Substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur Divinæ substantiæ*: ergo PP. in hoc Concilio ad probandam contra Græcos processonem Spiritus Sancti à Filio, sumunt argumentum ex distinctione essentiali inter eos. Declatur hoc: Concilium itaquè contra Græcos non deducit processionem Spiritus Sancti à Filio ex eo, quod distinctio personalis inter Filium, & Spiritum Sanctum destruatur ex positione Græcorum; sed hanc processionē probat ex vnitate Essentiæ in Patre, & Filio, & identitate essentiali inter Divinas personas, quæ identitas destrueretur ex tali Græcorum positione, vt significant illa verba: *Substantiam ab hypostasi separant*, quod idem est, ac si Concilium sic argueret: Filius habet eandem cum Patre substātiam, & voluntatem, quæ est virtus Spirandi: ergo habet cum illo eandē virtutem spirativam, eandemque activam spirationem pro priori ad Spiritum Sanctum; & consequentèr simul spirat cum Patre, Spirituſque Sanctus ab vtroque procedit. Antecedens concedebant Græci, & consequentiam negabant, ad quam probādam infert Concilium: ergo Divina substantia ab hypostasi Filij est separata, quæ consequentia est manifesta; nam si Filius non habet cum Patre eandem virtutem spirativam, eandemque activam spirationem, non habebit cum Patre eandem voluntatē, quæ est virtus spirandi, in quo stat Divinæ substantiæ partitio.

5 *Probat. 1. anteced. ex Concilio.*

Declaratur

Ex his itaquè patet prædictum antecedens, & vltrà infero: ergo Concilium ex hypotesi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procedat, infert distinctionem essentialem inter Divinas personas: ergo ex hypotesi data supponit distinctionem personalem inter Filium, & Spiritum Sanctum. Probatur consequentia hæc: distinctio essentialis inter Divinas personas maior est distinctione personali earum; sed Concilium ex prædicta hypotesi infert distinctionem essentialem inter Divinas personas: ergo ex hypotesi

6 *Infero ampliùs.*

da-

data ſupponit diſtinctionem perſonalem inter Filium, & Spiritum Sanctũ. Maior eſt notoria; nam ſi in perſonis Divinis eſſet partitio Divinæ ſubſtantiæ, quę eſt eſſentialis diſtinctio, maiori diſtinctione diſtinguerentur, quam diſtinctione perſonali, qua diſtinguntur de facto. Minor eſt conceſſa. Conſequentia videtur legitima, quia maior illa diſtinctio hanc ſupponit minorem. Vnde Concilium omnino habet Scoti ſententiæ, ſiquidem ex hypoteſi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procedat, non ſolum infert, ſequi diſtinctionem perſonalem inter Divinas perſonas, verum etiam eſſentialem.

7 *Probat. 2. anteced. ex eodem Concil.*

Probatur ſecundò ſuprà poſitum antecedes ex eodem Concilio, vbi exponendo prædictam rationem Latinorum, hæc habet: *Porrò autem non identitatem, coniunctionemque Divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam eandem ſubſtantiam re, non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur, nec non ne quiſpiam credendo Sanctum Spiritum ex ſolo Patre procedere, trés in partes vnicam illam ſubſtantiam dividi mente concipiat, idcircò Verbum (ex Filioque) neceſſarium in Symbolo duximus eſſe.* Ex quibus verbis hic probationem formò: Concilium in hac expoſitione non dicit, quod ſi Spiritus Sanctus à ſolo Patre procederet, eſſet Filius, vt tenet Ill. Godoy, quin potiùs aſſerit, quod ex hoc, quod Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedat, ſequitur, Divinam ſubſtantiam tres in partes partitam eſſe, quarum vna ſit in Patre, alia in Filio, & alia in Spiritu Sancto: ergo iuxtà expoſitionem Concilij, in hoc, quod Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedat, ſequitur, quod Filius, & Spiritus Sanctus ſint ſecundum ſubſtantiam diſtincti, & conſequentèr perſonaliter: ergo verum eſt antecedens, ſcilicèt, quod PP. in hoc Concilio ad probandam contra Græcos proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, ſumunt argumentum ex diſtinctione eſſentiali inter eos. Nec mirum, quod noſtri hoc modo exponant, & intelligant rationem illam Concilij, quando Bazquez *diſp. 147. cap. 3.* Arriaga, & alij veritatem ingenuè fatendo, dicunt; Concilium nihil oppoſitæ ſententiæ habere, quin noſtram ſubſtineant.

8

Probatur tertiò dictum antecedens ex Concilio Toletano, Eugenio Papa, & Beſarione; nam in Concilio Toletano 6. habetur: *Spiritum verò Sanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre, Filioque procedentẽ, vtriuſque eſſe Spiritum, ac per hoc ſubſtantialitèr vnum ſunt, quia & vnus ab vtroque procedit.* Eugenius verò *in litteris vnionis* habet: *Et quoniam omnia, quæ Prtris ſunt, ipſe Pater vnigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternalitèr habet, à quo æternalitèr etiam genitus eſt.* Beſarion deniquè *in Oratione* vulgo dicta *dogmatica, cap. 6. ex ſeptima Synodo* refert; *Non quia nos dicimus Spiritũ Sanctum per Filium prodire, ideò aut eſt, aut manifeſtatur ſubſtantiæ identitas, non enim per nos, neque per noſtrum dicendi modum Divina Eſſentia Divinis vnitur, aut identificatur perſonis, ſed quia eſt eſſentiæ identitas, ideò prodire dicitur, & prodit per Filium Spiritus.* *Probat. 3. anteced. ex Concil. Toletan. 6.*

9 *Formatur ratio.*

Ex his itaquè ſub hac forma formatur antecedentis probatio: iuxtà Concil. Toletan. Eugenium Papam, & Orationem, quam de Concil. Florent. habuit Beſarion Patriarcha Conſtantinopolitanus de vnione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ratio habita à Concilio ad probandam proceſsionẽ Spiritus Sancti à Filio eſt, quia quæcumque Pater habet, habet Filius à Patre, ſola Paternitate excepta: ergo verum non eſſet, Filium habere à Patre omnia, præter Paternitatem, ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet: ergo ex identitate eſſentiali inter Divinas perſonas proceſsionem Spiritus Sancti à Filio deducunt Concilia: ergo ex abſurdo arguendo, illam deducunt ex eſſentiali diſtinctione inter illas: ergo PP. in Concilio ad probandam contra Græcos proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, ſumunt argumentũ ex diſtinctione eſſentiali inter eos, & conſequentèr, ſi in data hypoteſi Filius, & Spiritus Sanctus eſſentialitèr diſtinguerentur, potiori iure erunt perſonaliter diſtincti, vt dictum manet *num. 6.*

10 *Probat. 4. anteced.*

Probatur quartò dictum antecedens: nam dubium non eſt, quod PP. in Concil. Florent. ad probandam proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, ſumpſerunt argumentũ, Sacræ Scripturæ, & Patribus Eccleſiæ conforme; atqui nec Scriptura, nec Eccleſiæ Pa-

tres

tres (vt videbimus §. 3.) probant prædictam processionem ex distinctione personali Spiritus Sancti à Filio, sed ex identitate essentiali inter Divinas personas: ergo PP. in Concilio ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio, non sumunt argumentum ex distinctione personali Spiritus Sancti à Filio, sed ex identitate essentiali inter personas Divinas: ergo sicut ex ratione à Patribus Ecclesiæ, & ab Scriptura tradita, sequitur contra Græcos, negantes processionem Spiritus Sancti à Filio, distinctio essentialis inter Divinas personas, ita ex ratione Patrum Concilij Florentini talis distinctio sequitur: ergo idem quod anteà.

11 *Respondeb. pro Ill. Godoy.*

Hanc probationem ex Concilio Florentino sibi non obiecit Ill. God. ex eius tamen doctrina respondebis pro ipso: Concilium contra Græcos duplex absurdum inferre. Primum est, quod tolleretur Trinitas personarum, & realis distinctio inter Filium, & Spiritum Sanctum, quia tollitur inter eos origo vnius ab alio, vt patet per illa verba: *Nam credentes, Spiritum Sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, & consequenter non esse Filium*, ideſt, quod ex positione Græcorum, vel Filius non daretur in Divinis, vel saltim non daretur realiter distinctus ab Spiritu Sancto. Secundum absurdum est: quod Divina Essentia divideretur in personis, vt claret ex illis verbis: *Qui autem proferunt, Spiritum Sanctum ex sola Patris substantia procedere, hi proculdubio re substantiam ab hypostasi separant.*

12 *Impugn. 1. responsio.*

Hæc tamen responsio impugnatur primò: illa Concilij verba: *Et consequenter non esse Filium*, nequeunt exponi, dicendo, Concilium velle, vel quod non sit Filius in Divinis, vel quod non sit Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto; ergo solutio non valet. Probatur antecedens: credibile non est, quod Concilium ex eodem omninò antecedenti inferat duo absurda, quorum vnum sit alterius destructivum; sed si illa verba Concilij, scilicèt, *Et consequenter non esse Filium*, exponerentur, dicendo, velle Concilium, vel quod non sit Filius in Divinis, vel quod non sit Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto, Concilium ex eodem omninò antecedenti inferret duo absurda, quorum vnum esset alterius destructivum: ergo illa verba Concilij nequeunt ita exponi.

13 *Prob. min. 1.*

Probatur minor primò: Concilium ex illo antecedenti infert absurdum, scilicèt, *Quod Divinæ personæ essent essentialiter distinctæ*, quia essentia divideretur in eas; sed hoc absurdum est destructivum alterius, scilicèt, *Quod non sit Filius in Divinis, vel quod non sit Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto*: ergo si illa verba Concilij exponerentur, dicendo, velle Concilium, vel quod non sit Filius in Divinis, vel quod non sit Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto, Concilium ex eodem omninò antecedenti inferret duo absurda, quorum vnum sit alterius destructivum. Consequentia est legitima. Maior est in responsione concessa. Minor verò probatur: hoc absurdum: *Divinæ personæ sunt essentialiter distinctæ*, supponit personas, & essentialem distinctionem illarum; & hoc absurdum: *Non est Filius in Divinis, vel non est Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto*, supponit negationem personæ Filij, vel negationem distinctionis inter personas Filij, & Spiritus Sancti; sed absurdum supponens personas, & essentialem distinctionem illarum, est destructivum absurdi, supponentis negationem personę, vel negationem distinctionis inter personas: ergo hoc absurdum, nempè, *Quod Divinæ personæ essent essentialiter distinctæ*, est destructivum alterius absurdi, scilicèt, *Quod non sit Filius in Divinis, vel non est Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto.*

14 *Secundò.*

Probatur secundò dicta minor, & secundò impugnatur allata expositio: Concilium ex illa hypotesi à Græcis de facto concessa infert hoc absurdum, scilicèt, *Tres in partes vnicam illam substantiam dividi*; sed hoc absurdum est destructivum alterius absurdi, nempè, *Quod non sit Filius, vel quod non sit Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto*: ergo idem, quod priùs. Probatur minor: hoc absurdum: *Tres in partes vnicam illam substantiam dividi*, supponit esse tres, & consequenter realiter distinctos, sicut realiter distinguntur tres essentiæ, tres relationes, &c. hoc tamen absurdum: *Non est Filius in Divinis, vel non est Filius realiter distinctus ab Spiritu Sancto*, supponi negationem trium, vel negationem dis-

tinc-

tinctionis trium; atqui abſurdum ſupponens eſſe tres, & conſequenter realiter diſtinctos, eſt deſtructivum abſurdi ſupponentis negationem trium, vel negationem diſtinctionis trium: ergo hoc abſurdum, nempè, *Tres in partes vnicam illam ſubſtantiam dividi*, eſt deſtructivum alterius abſurdi, ſcilicèt, *Non eſt Filius in Divinis, vel non eſt Filius realiter diſtinctus ab Spiritu Sancto.*

15 *Tertiò.* Impugnatur tertiò aſsignata expoſitio: Concilium ex illa hypoteſi à Græcis de facto conceſſa, nequit contra ipſos inferre pro abſurdo, niſi id, quod opponitur rationi, quàm Concilia, PP. & Scriptura tradunt, quarè Spiritus Sanctus procedit à Filio; ſed Concilia, PP. & Scriptura pro ratione, quarè Spiritus Sanctus procedit à Filio, non tradunt diſtinctionem realem Spiritus Sancti à Filio, ſed identitatem eſſentialem Patris, & Filij: ergo Concilium nequit pro abſurdo in illa hypoteſi inferre identitatem realem Filij cum Spiritu Sancto, ſed eſſentialem diſtinctionem inter Patrē, & Filium. Atqui expoſitio prædicta vult, Concilium in illa hypoteſi inferre pro abſurdo identitatem realem Filij cum Spiritu Sancto: ergo prædicta expoſitio aliena eſt à mente Concilij: ergo nulla omninò eſt.

16 *Quartò.* Impugnatur quartò, & dicta declarantur: Si Concilium pro ratione proceſsionis Spiritus Sancti à Filio aſsignaret diſtinctionem realem inter ipſos, abſurdum, quod neceſsariò debebat Concilium in illa hypoteſi cōtra Græcos inferre, eſſet realis identitas inter Filium, & Spiritum Sanctum: ergo ſi Concilium pro ratione proceſsionis Spiritus Sancti à Filio aſsignat identitatem eſſentialem inter Divinas perſonas, abſurdum, quod neceſsariò debet Concilium in illa hypoteſi contra Græcos inferre, eſt eſſentialis diſtinctio inter perſonas Divinas.

17 Suſſummo nunc: Atqui non ſolum Concil. Florentin. verum etiam Toletanum, Patres, & Scriptura pro ratione proceſsionis Spiritus Sancti à Filio aſsignant identitatem eſſentialem inter Divinas perſonas: ergo abſurdum, quod neceſsariò debet Concilium in illa hypoteſi contra Græcos inferre, eſt eſſentialis diſtinctio inter perſonas Divinas: ergo cum hoc abſurdum ſit neceſsariò deſtructivum illius abſurdi, ſcilicèt, *Quod non ſit Filius in Divinis, vel quod Filius non ſit realiter diſtinctus ab Spiritu Sancto*, nequit Concilium tale abſurdum inferre: aliena igitur eſt à mente Concilij expoſitio prædicta. Antecedens eſt certum. Conſequentia eſt paritate evidens. Suſſumpta ex dictis in hoc §. apparet, & vtraque conſequentia ex illa illata videtur manifeſta.

§. II.

Argumenta ex Concilijs ſolvuntur.

ILl. Godoy *tom. 3. in 1. part. diſp. 92. num. 16* arguit primò ex Concilio Toletano 11. in profeſsione Fidei, vbi de perſonis Divinis loquens, ſic ait: *Hoc ſolum numerum inſinuat, quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt*; at ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diceretur ad illum ad invicem, cum non referretur ad illum: ergo nec ab alio poſſet diſtingui. 18 *Arguit 1. Ill. Godoy ex Concil. Tolet.*

Reſpondeo primò ad hoc argumentum ſolutione ab Ill. Godoy tradita, ſcilicèt, Toletanū per hoc, quod dicit, numerum perſonarum cauſari per hoc, quod eſt, eſſe ad invicem, non intendere, ſolum relativam oppoſitionem eſſe rationē diſtinctionis realis perſonarum, ſed per relationes perſonas realiter diſtingui, in hypoteſi autem ſuppoſita, etſi Spiritus Sanctus non ſe haberet relativè ad Filium, per relationem tamen Spirati diſtingueretur realiter ab illo, & ſic diſtinctio eſſet per eſſe ad invicem, ideſt, per relationem. Et certè hæc ſolutio eſt Scoti *in 1. diſt. 11. quæſt. 2.* vbi illam Boecij Authoritatem, ſcilicèt, *Relatio multiplicat Trinitatem*, prædicto modo exponit; nam ſenſus eſt (inquit Doctor) quod relationes, vel oppoſitę, vel diſparatæ, perſonas diſtingunt, & multiplicant; Pater namque per Paternitatem, & Filius per Filiationem, tanquam per relationes diſparatas ab Spiratione paſsiva, diſtinguntur ab Spiritu Sancto. 19 *Reſpond. 1.*

Contra hanc ſolutionem replicat primò Ill. God. *num.* 18. quia vt Concilium Toletanum explicaret, qualiter perſonæ Divinæ ad invicem ſunt, hæc verba ſubiunxit: *Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt, & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem* 20 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

est, similiter Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relativè refertur: ergo per ly *esse ad invicem*, non intelligitur sola relatio, sed relatio relativè oppositа; & consequenter sublata relativa oppositione, manere non potest distinctio.

21 *Respondet.* Respondeo negando consequentiam: nam ly *esse ad invicem*, aliquando sumitur à Concilio pro relatione oppositа relativè duntaxat, quomodo sumitur in verbis in replica relatis; aliquando verò non sumitur determinatè pro relatione relativè oppositа, sed pro relatione, vt relativè oppositam, & etiam disparatam comprehendit, quomodo sumitur in verbis adductis in argumento. Vndè, quod aliquando Concilium explicèt oppositionem relativam inter Divinas personas, non infert, quod solum oppositione relativa opponantur, præcipuè, quando expræsissimè Concilium Florentinum, in quo hæc materia specialitèr tractata est, explicat distinctionem personarum per disparatas relationes, vt constat ex verbis pro nostra sententia traditis *num.* 2.

22 *Solutio est ipsius Concilij.* Quod autem ly *esse ad invicem*, sumatur etiam pro relatione disparata, colligitur manifestè ex ipso Concilio: nam vt ex verbis illius apparet, Concilium ly *esse ad invicem* distinguit cõtra *esse ad se*, quod est esse absolutum; atqui hæc divisio in *esse ad invicem*, & *esse ad se*, adæquata non foret, si sub illo membro, scilicèt, *esse ad invicem*, non comprehenderet Concilium relationes disparatas: ergo ly *esse ad invicem* sumitur etiam à Concilio pro relatione disparata. Probatur minor: relationes disparatæ cõprehendi nequeunt sub illo membro, scilicèt, *esse ad se*; alioquin essent entia absoluta, quod est falsum: ergo illa divisio in *esse ad invicem*, & *esse ad se* adæquata non foret, si sub illo membro, *esse ad invicem*, non comprehenderet Concilium relationes disparatas.

23 *Solutio est D. August.* Hoc etiam declarat D. Augustin. *lib. 5. de Trinit. cap.* 11. vbi habet: *Quæ propriè singula in Trinitate dicuntur, nullo modo ad se ipsa, sed ad invicem dicuntur, ideò relativè, non substantialitèr ea dici, manifestum est*; vbi ly *ad invicem* opponit Augustin. illi, quod est *ad se*; atqui esse *ad invicem*, vt opponitur esse *ad se*, convenit, non solum relationibus relativè oppositis, verum etiam disparatis: ergo ex D. August. *esse ad invicem*, sumitur etiam pro relatione disparata. Deniquè: hoc idem declaravit Anselmus *lib. 1. de Processione Spiritus Sancti, cap. 2. paulo post medium*, his verbis: *Hæc itaquè sola causa pluralitatis est in Deo; nam quoniam Filius de Deo nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, vt diversi, & alij ab invicem.* Quid clarius pro sententia Scoti!

Est etiam D. Anselm.

24 *Replicat 2.* Replicat secundò Ill. Godoy *num. citat.* nam aliqua esse ad invicem, non propriè verificatur, nisi relativè se habeant: ergo distingui personas Divinas per *ad invicem esse*, non salvatur cum proprietate per hoc, quod est relationibus distingui, nisi sint relationes relativè oppositæ. Respondeo negando antecedens; quia Concilium, August. & Anselm. *citat.* propriè accipiunt ly *esse ad invicem*, & tamen illud accipiunt pro relationibus disparatis, vt constat ex proximè dictis. Imò Augustinus expræsè ponit ly *propriè*, ait enim: *Quæ propriè singula, &c.* Deindè: ex verbis Anselmi ad hominem contra Ill. Godoy probabimus nostram conclusionem *§. sequenti*, cum quo hic efformari valebunt retorsiones, nec in hoc ampliùs est immorandum, cum antecedens, quod probare debebat Ill. Godoy, nec Authoritate probet, nec ratione firmet.

Respondeo.

Retorque.

25 *Replicab. 3. pro ipso.* Replicabis tertiò pro Ill. Godoy: nam Concil. Tolenatum primum *in confessione Fidei, in fine* hæc habet: *Credimus Spiritum Sanctum esse Paraclitũ, qui nec Pater sit, nec Filius, eo, quod sit à Patre, Filioque procedens.* Vbi ly *eo, quod* est causalis, & est idem, ac dicere: distinctionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio esse ratione processionis, consequenterque sublata processione, in qua stat oppositio relativa, manere nequit distinctio: ergo nulla est allata nostra solutio, & doctrina.

26 *Respond. 1.* Respondeo primò: illa verba *eo, quod* relata in replica, non legi in Cõcilio; sed hæc esse Concilij verba: *Credimus Spiritum Sanctum esse Paraclitũ, qui nec Pater sit, nec Filius, sed à Patre, Filioque procedens.* Hoc notavit Rada, & certè ridiculum est, verba in Concilio supponere, ad calumniandam Scoti sententiam. Cæterum quando ita in Concilio legerentur illa verba *eo, quod*, adhuc Concilium Scoti opi-

nio-

nioni non adversaretur ; concedimus namque illam causalem, scilicèt, Spiritum Sanctum distingui à Patre, & Filio *ea, quod* ab illis procedat; sed dicimus, processionem non esse causam præcisam distinctionis, quia datur alia prior, & immediatior, scilicèt, ipsa Filiatio, & Spiratio passiva; vndè ablata processione, de qua Concilium loqueretur, adhuc esset distinctio Spiritus Sancti à Filio.

27 *Respond. 2.* Ex quo in forma ad replicam respondeo secundò: omitto verba Concilij, & distinguo primum cõsequens: sublata processione, in qua stat oppositio relativa, manere nequit distinctio, orta ex ratione processionis, concedo consequentiam ; orta ex alio principio, scilicèt, ex rationibus formalibus Filij, & Spiritus Sancti, nego consequentiam, & subillatam. Et hoc esse intentum Concilij patet ; nam Concilium non ait, processionem esse causam præcisam distinctionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio, sed illam asserit, & aliam non negat ; imò hanc insinuat, vt diximus *num.* 8. Scotusque conformitèr ad Concilium illam declaravit.

28 *Arguit. 2. Ill. God. ex Concil. Florentin.* Arguit secundò Ill. Godoy *num.* 16. ex Concilio Florentino *Sess.* 18. his verbis: *Nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in Divinis, nisi per hoc, quod persona aliqua est ab altera*; at in data hypotesi Spiritus Sanctus à Filio non esset: ergo non maneret in illo, per quid à Filio distingueretur realitèr; & consequentèr esset ab illo realitèr indistinctus. *Respond. 1.* Respondeo primò, dato, quod verba illa sint Concilij, de quo infrà: Concilium non intendere, solam relativam oppositionem causare in Divinis realem distinctionem; alioquin Concilium Florentinum expræsè esset sibi contrarium, vt patet ex dictis §. 1. vbi ex Concilio probavimus nostram conclusionem, eo, quod per relationes disparatas personas distinguat, vt claret ex allatis *numer.* 3. Et hoc fuit intentum Concilij.

29 *Explicat 1. Ill. Godoy.* Contra hanc solutionem replicat primò Ill. Godoy *num.* 18: nam Florentinum duo capita distinctionis distinguit, nempè, *à quo alius*, & *qui ab alio*; at *à quo alius* solum distinguit à termino, qui est ab illo: ergo *qui ab alio* solum realitèr distinguit ab illo, à quo est. vt à principio ; & consequentèr Spiritus Sanctus per hoc, quod est ab alio procedere, solum potest distingui ab illo, qui est suæ processionis principium. Respondeo: hanc replicam fundare Ill. Godoy in verbis ab ipso pro Concilio traditis, sed sunt Concilio suppositа, vt videbimus in secunda responsione ad argumentum. Vndè falsum est, quod Concilium illa duo capita distinctionis solum distinguat; distinguit namque caput distinctionis diversæ relationis præpter capita *à quo alius*, & *qui ab alio*, vt diximus *num. præced.* *Respondeo.*

30 *Replicat 2.* Replicat secundò *num.* 19: nam Florentinum verba relata protulit ad probandum, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, ex eo, quod nulla est ratio distinctionis in Divinis, nisi per hoc, quod vna persona est ab alia ; at si procedere ab vna sufficeret, vt ab omnibus maneret distincta, non rectè concluderet: ergo sentit manifestè, quod persona procedens per suam processionem solum potest realitèr distingui ab illa, à qua procedit ; & consequentèr sublato, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, tollitur realis à Filio distinctio. Respondeo negando maiorem ; cuius falsitas patet ex *num.* 28. Et vltra ibi dicta, pro plenissima solutione ad argumentum ex Concilio Florentino, ab Ill. God. contra nos obiecto, Concilium inspicite. *Respondeo.*

31 Concilium Florentinum duplici medio intendit probare, Spiritum Sanctũ procedere ex Filio, sicut procedit ex Patre. Primum medium est desumptum per rationem à priori. Secundum per rationem à posteriori. Medium desumptum per rationem à priori ad probandum Spiritum Sanctum procedere ex Filio, est: quia Filius habet omnia essentialia bona, & naturalia, quæ habet Pater, vt habetur *ibidem Sess. 6. §. Ex his, pag.* 601. iuxtà impressionem Lutetiæ, Parisionum *anno* 1636. Concilium autem assumpsit ibidem hoc medium ex D. Cyrillo, & Basilio. Et *pag.* 602. probat idem per alia verba eiusdem D. Basilij, dicentis: *Quæcumque habet Pater habet, & Filius ; nisi quod Filius non est Pater. Omnia est Filius, quæcumque Pater; eo vno dempto, quod non est Pater, &c.* Ita *ibidem §. Reverendissimi.* D. autem Basilius accepit doctrinam illam ex Evangelio Ioannis *cap.* 16. *numer.* 15. vbi loquens Christus Dominus, ait: *Omnia quæcumque habet Pater,*

mea sunt. Ex quibus tanquam ex ratione à priori deductis, ait Concilium, Scilicèt: *Itaquè fit, vt qui intelligit, Spiritum procedi à Patre; necessariò intelligat, eundem produci quoque à Filio.* Et *paulo infrà* etiam concludit similitèr, nimirum: *Liquet igitur omni ex parte Spirationem esse communem Patri, & Filio.* Hoc desumpsit Concilium ad probandam per medium à priori, Spiritum Sanctum procedere ex Filio, sicut intelligitur procedere ex Patre.

32 Per medium autem à posteriori idem intendit probare Concilium, recurrens ad operationes ipsius Patris, & Filij respectu Spiritus Sancti. Adducit enim ad hoc etiam verba D. Basilij, qui loquens de Patre, ait: *Emittit Spiritum per os, non more humano quādoquidem, nec Dei os humanum est: Ex ipso enim Spiritus, & non aliundè.* Ita *Sess. 18. §. Ego affirmavi, pag. 664.* Vbi ex operatione emittendi Spiritum iuxtà D. Basil. probant Græci: Spiritum Sanctum procedere ex Patre, tanquam per rationem acceptam à posteriori. Et eadem ratione, & eodem modo probant Latini cum eodem D. Basil. Spiritum Sanctum procedere quoque ex Filio. Ipse enim D. Basil. *ibi* citatus etiam ait: *Filius est Dei fructus, de Sancto, Sanctus; de æterno, æternus; subministrator Sancti Spiritus ad constitutionem, formationemque creaturæ, &c.* Ex quibus inferabant sic Latini: *Si Filius Sancti Spiritus est subministrator, dator, videlicèt, & largitor, sequitur, vt Spiritus Sanctus ex ipso etiã sit.* Ita *ibidem, & eodem folio.* Idem etiã probant Latini *ibid. immediatè* iuxtà D. Athanasium ex ratione Datoris. Sic probaverunt Patres Latini processionem Spiritus Sancti ex Filio, sicut probant Græci ex Patre à priori per essentialia, & per naturam, & à posteriori per rationes emittendi, subministrandi, dandi, &c.

33 Duplici etiam medio intendit probare Concilium distinctionem vniuscuiusque personæ in eadem *Sess. 18.* Primum medium est similitèr desumptum per rationem à priori. Secundum per rationem à posteriori. Medium distinctionis vniuscuiusque personæ desumptum à priori, manifestè habetur per illa verba, nimirũ: *Proprium vniuscuiusque incommunicabile est; nam alitèr non esset proprietas, si transiret, & transferretur in aliud. Vt igitur personæ distinguantur; incommunicabiles sint personales proprietates, necesse est.* Ita *ibid. §. Vos quæritis, pag. 692.* Notentur illa verba: *Vt igitur personæ distinguantur, incommunicabiles sint personales proprietates, necesse est.* In illis enim apertissimè probatur distinctio personarum per incommunicabilitatem propriam, tanquam per rationem à priori.

Medium autem distinctionis vnius personæ ab alia, desumptum per rationem à posteriori, est, recurrendo ad operationes, quæ inter Divinas personas intelliguntur, sicut est processio vnius ab alia, seu vnam accipere suum esse ab alio, quod intelligitur per hæc verba, videlicèt: *A quo alius, & qui ab alio.* Hoc etiam habetur apertè ex verbis illis ipsius Concilij, nimirum: *Sola relatio est, quæ multiplicat personas in Divinis productionibus, quæ vocatur originis: ad quam duo tantum spectant, à quo alius, & qui ab alio.* Ita *in eadem Sess. 18. §. Ego affirmavi, pag. 693.* Notentur illa verba: *In Divinis productionibus*: & illa: *A quo alius, & qui ab alio*; & alia huiusmodi frequentèr posita in loco *citat.* Omnia enim ista important operationes, productiones, & actiones; & consequentèr omnia ista redducuntur ad rationem à posteriori: probare enim causam, vel principium aliquod per operationem suam, est probare illud per medium desumptũ solum à posteriori; nisi operatio illa sit re vera constitutiva illius principij. Cum ergo Filius in Divinis non constituatur per Spirationem activam, sed solum per filiationem; sequitur, quod si probatur distinctio illius à Spiritu Sancto per Spirationem activam, solum probatur per illam tanquam per rationẽ à posteriori. Ex quibus habetur hæc propositio certissima, scilicèt: quod ratio probandi distinctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum per Spirationem, licèt sit medium sufficiens, imò & efficax ad talem distinctionem probandam; non tamen est medium vnicum, & præcisum: siquidem vltrà hoc habetur etiam medium à priori ex ipso Concilio, vt dictum est.

34

35 Quando ergo ipsum Concil. *num. anteced. citat.* ait: *Nulla est alia ratio distinctionis in Divinis, nisi propter hoc, quod aliqua persona sit ab alia.* Exponendum est, & dicendum hoc modo:

Nul-

Nulla eſt alia ratio diſtinctionis in Divinis, niſi propter hoc quod aliqua perſona ſit ab alia, tanquam ratio deſumpta à poſteriori, admitto, vel concedo; tanquam ratio à priori, nego. Vel alio modo: tanquam ratio ſufficiens, permitto, vel concedo; tanquã ratio præciſſa, nego: quia vltrà hanc rationem diſtinctionis habetur etiam aliud medium nobiliſsimum probandi eandem diſtinctionem per rationem à priori, ſcilicèt, per conſtitutivum perſonarum, ſeu per incommunicabile, vt apertè probatur ex ipſo Concilio; ideò enim dixit: *Vt igitur perſonæ diſtinguantur, incommunicabiles ſint perſonales proprietates, neceſſe eſt.*

36 Qua propter Concilium videns omnia hæc, nunquam dixit, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet ex Filio, non diſtingueretur ab illo: ſed ſemper contendit aſſerere, & probare, de facto Spiritum Sanctum procedere ex Filio per duo media ſuprà iam poſita: videlicèt, quia habet omnia eſſentialia, & naturalia perfectè, ſicut Pater, tanquam medium à priori: & quia emittit, adminiſtrat, & elargitur Spiritum Sanctum, ſicut Pater; quæ ſunt exercitia, functiones, & operationes, ſequentes conſtitutiva perſonarum; & ſe habentes tanquam medium à poſteriori, ad diſtinctionem inter ipſas perſonas probandam.

37 Vndè cum etiam dicitur Spiritus Sanctus diſtinguitur à Filio, quia producitur ab ipſo: ly *quia* dicit cauſam ſufficientem, vel efficacem, imo & concedere poſſumus, dicere cauſam neceſſariam, hoc eſt neceſſariò inferentẽ conſequentiam; non verò dicit cauſam præciſſam, vt patet ex dictis.

38 Et per conſequens, cum dicitur, Spiritus Sanctus producitur à Filio: ergo diſtinguitur ab illo: ergo ſi non produceretur, non diſtingueretur; negandanda eſt hæc conſequentia; quia licèt productio neceſſariò inferat cõſequentiam: nunquam tamen convincitur, eſſe medium vnicum, & præciſſum ad diſtinctionem inferendam. Sicut cum dicitur: Petrus currit: ergo movetur: curſus neceſſariò infert motum, non tamen præciſsè; quia motus poteſt aliundè provenire, ex agitatione, nempè, vel alia ratione: arbor enim movetur, & non currit. Qua propter in omnibus his modis argnẽdi datur neceſsitas conſequentiæ; quia conſequentia neceſſariò infertur; non verò datur conſequentia neceſsitatis, quia medium non eſt neceſſarium ſimplicitèr ad conſequentiam illam inferendam: ſiquidem poteſt ex alio medio provenire, &c.

Præterea, quia vel Filius diſtinguitur à Spiritu Sancto per Spirationem activam præciſsè, vel per Filiationem præciſsè, vel diſtinguitur per vtrumque? Si diſtinguitur præciſsè per Spirationem activam: cum Spiratio activa ſit communis Filio, & Patri; tunc eſſet falſa propoſitio illa Cõcilij, ſuperiùs poſita, qua Catholicè dicebat, & docebat, quod *vt perſonæ diſtinguantur, neceſsè eſt, vt proprietates perſonales incommunicabiles ſint.* Nõ ergo Filius diſtinguitur à Spiritu Sãcto per Spirationem activam præciſsè. Si autem diſtinguitur præciſsè per filiationem; intentum habemus: tunc enim quamvis in Filio non eſſet Spiratio activa, daretur ſemper diſtinctio per ipſam filiationem inter eos. Si autem diſtinguitur per vtrunq̃: ſemper etiam intentum concludimus: tunc enim quamvis in Filio non reperiretur Spiratio activa; ſemper tamen reperiretur filiatio, ratione cuius ipſe Filius primariò, & per ſe diſtingueretur à Spiritu Sancto; quia ipſa filiatio in Filio eſt ſimplicitèr ratio primaria incommunicabilis, ex qua neceſſariò, & à priori in ipſo Filio cõcluditur diſtinctio illius à quacumq̃ alia perſona, iuxtà illud: *Vt perſonæ diſtinguantur, incommunicabiles ſint perſonales proprietates, neceſſe eſt.* Semper igitur reſtaret ratio diſtinctionis à priori inter Filium, & Spiritum Sanctum, quamvis deficeret ratio diſtinctionis à poſteriori inter eos. 39

Semper ergo dicendum eſt, & ſtandum in hoc, propoſitionem illam, nimirum: *Nulla eſt alia ratio diſtinctionis in Divinis, niſi per hoc, quod aliqua perſona ſit ab alia*; non eſſe intelligendam omninò abſolutè, & ſine vlla pẽnitus diſtinctione: ſed intelligendam ſanè eſſe in linea probandi diſtinctionem in Divinis à poſteriori: hoc enim quod eſt, Spiritum Sanctum eſſe à Filio; non ponit in Filio, niſi rationem quandam à poſteriori, ſcilicèt, Spirationem activam, quæ cum ſit communis, & communicabilis Patri, & Filio; non poteſt facere, vt in Divinis Filius diſtinguatur primariò per ipſam, 40

sam, nec in ordine ad Patrem, nec in ordine ad Spiritum Sanctum: & hoc adhuc iuxta mentem Concilij; Concilio enim ipso attestante: *Vt personæ distinguantur, personales proprietates incommunicabiles sint, necesse est.* Et ita, quamvis in Filio deesset respectus ille ad Spiritum Sanctum; semper tamen in Filio, & in Spiritu Sancto remanerent personales proprietates incommunicabiles, scilicèt, Filiatio, & Spiratio passiva; quæ re vera sunt personales proprietates incommunicabiles; ratione quarum necesse est, vt personæ distinguantur: & ideò semper per eas Filius, & Spiritus Sanctus inter se distinguerentur. Solum ergo propositio illa intelligenda est ad summum in linea faciendi distinguere personas in Divinis à posteriori, & secundariò: non verò intelligenda est omninò absolutè, & in linea faciendi distinguere eas primario, simpliciter, & à priori; alioquin contradiceret sibi ipsi Concilium, quod vtiq; dicendum non est.

41 *Respon. 2. ad argum.* Respondeo secundo: prædicta verba ab Ill. Godoy tradita in argumento, scilicèt, *Nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis est in Divinis, nisi per hoc, quod persona aliqua est ab altera*, non esse in Concilio Florentino, sed hæc: *Sola namque relatio apud omnes, tàm Græcos, quàm Latinos Doctores, Divina processione personas multiplicat*, Et *paulo infrà: Ita, vt non alia ratione, quam vi relationis, Pater à Filio, & vna persona ab alia differant.* Quæ verba valdè diversa sunt, à verbis adductis ab Ill. Godoy, vt ex ipsis claret. Imò, nec illa sunt verba Concilij Florentini, sed Ioannis Theologi, qui ea Græcis proponebat. Cæterum dato, quod verba Ioannis Theologi authoritatem habeant in Concilio.

42 *Respond. 3.* Respondeo tertiò: Ioannem Theologum non intendere distinctionem personarum per solam oppositionem relativam, vt ab Ill. Godoy intelligitur; alioquin sibi expræssè contradiceret; nam *paulo superius* dixerat: *Vt igitur personæ differant inter se, necesse est, vt hypostaticæ, personalesque proprietates incommunicabiles sint.* Ex quibus verbis contradictionem ostendo: si Ioannes Theologus intenderet distinctionē personarum per solam oppositionem relativam, Pater, & Filius per solam activam Spirationem distinguerentur ab Spiritu Sancto: ergo Pater, & Filius non distinguerentur ab Spiritu Sancto per proprietates incommunicabiles. Antecedens est certum: nam inter vtramque personam, & Spiritum Sanctum solum per Spirationem adest relativa oppositio. Consequentia est legitima: quia activa Spiratio communis est Patri, & Filio. Sussummo nunc: atqui iuxtà Ioannem Theologum personæ distinguntur per proprietates incommunicabiles: ergo si distinctionem personarum intenderet per solam oppositionem relativam, sibi expræssè contradiceret. Intentum itaquè illius Theologi erat ostendere, Spiritum Sanctum, à Patre, & Filio idem omnino esse accipere, quod patet, tum ex verbis, quæ *infrà* refert, scilicèt, *Necesse est iuxtà omnes suprà dictos Doctores sic intelligere, vt idcircò persona hæc, ideſt, Spiritus Sanctus, dicatur accipere, atque esse, quod ab alio est.* Tum etiam; quia hoc erat intentum Concilij, vt manet ostensum *num. 4. cum seqq.* à quo Ioannes Theologus recederet, si aliud esset intentum illius.

Ex his itaquè apparet: Authoritates in Concilio adductas ab Ill. Godoy pro sua conclusione nihil vrgere, quin potiùs, illis benè contemplatis, veritatem opinionis Scoti manifestare. Primò: quia si fidelitèr referantur, nostræ conclusioni non officiunt. Secundò: quia supponere verba in Concilio non inventa, est, luce clariùs ostendere, tum; debilitatem opinionis oppositæ. Tum: fundamentum in Concilijs non habere. Et tum deniquè: arma in Concilijs non invenire ad Scoticam opinionem lædendam; quando tot sunt in Concilio Florentino Scuta pro nostra conclusione, & arma contra adversarios. Disparitatem vide, & quæ sententia sit probabilior, stando ad Concilia, vide. 43

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

44 1. *Concluſ.* SEcunda conclusio: *Distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato quod ab illo non procederet, est Patribus, & Scripturæ conformior.* Hæc conclusio deducitur ex Scoto *citat.* & pro Patribus probatur primò: nam D. Ambrosius *lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 12. paulo post principium*, ait: *Omnia de Filio Spiritus Sanctus accepit, accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut ac-*

Probat. 1. ex D. Ambroſ.

cepit

cepit à Patre Filius, ille (inquit) me clarificabit, quia de meo accipiet, omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, de meo accipiet. Idem habet Cyrillus Alexandrinus *lib.* 11. *in Ioan. cap.* 1. *poſt medium*, vt referunt Faſolus, & Amicus. Anſelmus *Epiſt. de proceſſione Spiritus S. contra Græcos, cap.* 8: *Cum legitur, illum à Patre procedere, de quo ait Filius, ego, & Pater vnum ſumus, confiteantur nobiſcum propter identitatem eſſentialem Patris, & Filij, illum à Filio proculdubio procedere.* Idem habet Hylarius 8. de Trinitate. Ex quibus PP. authoritatibus.

Cyrillus.

Anſelmus.

Hylarius.

45 *Formatur probatio.*

Sic probationem formo: Patres ad probandam proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, eadem ratione vtuntur, quam adhibuit Concil. Florent. & cum illo Scotus, ſcilicèt, vnitatem eſſentiæ, & identitatem eſſentialem inter Divinas perſonas: ergo ex hypotheſi, quod Græci de facto admittebant, nempè, Spiritum Sanctum à Filio non procedere, ſequitur iuxtà PP. diſtinctio eſſentialis inter Divinas perſonas: ergo & diſtinctio realis ex dictis *num.* 6. Suſſummo nunc: atqui nunquam Patres probarunt proceſsionem Spiritus Sancti à Filio ex negatione diſtinctionis perſonalis illorum, proceſsione negata: ergo diſtinctio realis perſonalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, eſt Patribus conformior.

46 *Probat. 2. concluſ. ex Ricar. Vict.*

Probatur ſecundò concluſio: nam Ricard. de S. Victore *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 13. & 15. hoc docet expræſsè. Hæc ſunt verba eius: *Per hoc perſonæ ſecundum originem differunt, quod altera originem habet, & altera origine caret, vel ſi originem habet, origo vnius differt ab origine alterius.* Atqui data hypoteſi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, origo vnius differt ab origine alterius: ergo adhuc data hypoteſi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, Spiritus Sanctus eſſet iuxtà Ricardum perſona diſtincta à Filio: ergo ab hoc realitèr perſonalitèr diſtingueretur, data hypoteſi. Vtraque conſequentia eſt legitima. Maior eſt Ricardi. Minor autem eſt evidens; nam origo Filij eſſet per nativitatem; & per proceſsionem origo Spiritus Sancti, vt patet, & patebit ampliùs ex dicendis §. 5.

47

Probatur tertiò concluſio: nam plures PP. dicere ſolent, quod perſonæ Divinæ inter ſe perſonalitèr diſtinguntur per origines, quia Pater genuit, Filius genitus, & Spiritus Sanctus de vtroque procedit, quo modo loquendi vtitur præſertim S. Leo Papa, *Epiſt.* 91. *ad Turibium*, per hoc refutans hæreſim Sabelij, hæc ſunt verba illius: *Quia alius eſt, qui genuit, alius, qui genitus eſt, & alius, qui de vtroque procedit.* Ex quibus verbis ſic probationem formo: generatio activa, generatio paſsiva, & proceſsio, ſunt rationes, Divinas Perſonas inter ſe diſtinguentes perſonalitèr; atqui, data hypoteſi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, eſſet generatio paſsiva, nempè, Filius, *qui genitus eſt*: ergo eſſet ratio diſtinguens Filium ab Spiritu Sancto perſonalitèr: ergo diſtinctio realis perſonalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, eſt Patribus conformior.

Probat. 3. concluſio.

Leo Papa.

48 *Probat. 4. concluſ. ex Greg. Niſ.*

Probatur quartò concluſio ex Gregorio Niſeno, *lib.* 1. *contra Eunomium*, vbi loquens de diſtinctione Spiritus Sancti a Filio, ait: *diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quod nec vnigenitus ex Patre productus eſt, & quod per ipſum Filium manifeſtatus eſt.* In quo Beſarion *Oratione dogmatica* pro vnione in Concilio Florentino *cap.* 6. ait: Niſenum duplicem aſsignare rationem diſtinctionis Spiritus Sancti à Filio. Hæc ſunt verba eius: *Primò, quod non per generationē, vt Filius, ſed per proceſsionem ex Patre ſit, ac ſi diceret, per diverſum modum. Secundò, quod per ipſum manifeſtatum ſit*: ergo iuxtà mentem Niſeni Spiritus Sanctus diſtinguitur à Filio, non ſolum quia ex Filio productus; ſed per diverſum modum ſubſiſtentiæ, nempè, quia nō per generationem, ſicut Filius, ſed per proceſsionem à Patre procedit.

49 *Reſpondeb.*

Reſpondebis: verum eſſe, Niſenum in allato teſtimonio duplicitèr diſtinguere Spiritum Sanctum à Filio; ſed hoc nobis non prodeſſe; quia vna eſt negativa, & altera poſsitiva diſtinctio. Diſtinguit negativè per proprietatem Filij, nempè, *eſſe vnigenitum*, quæ proprietas non eſt in Spiritu Sancto. Poſsitivè diſtinguit per originem Spiritus Sancti à Filio, nempè, *Quia per Filium manifeſtatus eſt.* Vndè loquendo de poſsitiva differentia, de qua in præſenti eſt ſermo, aliam Niſenus non adducit, niſi, *Quia eſt cauſatus à Patre, & manifeſtatus per*

Filium, quod est per originem tantum distingui.

50 *Solutio est contra mẽtem Niseni.*

Hæc tamen solutio est expræsè contra mentem Niseni, vt patet ex expositione prædicta Besarionis dicentis: Spiritum Sanctum distingui à Filio ex mente Niseni: *Eo, quod non per generationem, vt Filius, sed per processionem ex Patre sit, ac si diceret, per diversum subsistentiæ modum*; atqui distingui per diversos subsistẽtiæ modos, non est distingui negativè, sed positivè, maximè in Divinis, vbi subsistentia, vel personalitas est quid positivum: ergo prædicta solutio est contra mentem Niseni: ergo nulla.

51 *Probatur conclus. ex Scriptura.*

Probatur conclusio ex Scriptura: nam loca Scripturæ, quibus solet probari à Latinis processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, sunt hæc. Primò: ex illo *Ioann. 6.* vbi loquens Filius de Spiritu Sancto, ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*; quod explicans Nazianzenus *tract. de Fide in fine*, ait: *Ipse Dominus Salvator de meo, inquit, accipiet, ex eo vtiquè, quod est Filius, quia Filius de eo, quod Pater est*, quæ est ratio ex alijs Patribus, & Concilijs proximè insinuata. Probari etiam solet ex locis Scripturæ dicentibus: Spiritum Sanctum mitti à Filio, & rursus ex alijs, in quibus Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filij, vt *Ioann. 15*: *Spiritum veritatis.* Et *ad Galatas 4*: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Ex quibus Scripturæ locis.

52 *Formatur probatio.*

Sub hac forma probo conclusionem: Scriptura, ad probandam processionem Spiritus Sancti à Filio, eadem ratione vtitur, quam adhibuit Concilium Florentin. & cum illo Scotus, scilicèt, vnitatem essentiæ, & identitatem essentialem inter Divinas personas: ergo ex hypotesi, quod de facto Græci admittebant, nempè, Spiritum Sanctum à Filio non procedere, sequitur iuxtà Scripturam distinctio essentialis inter personas Divinas: ergo & distinctio realis personalis ex dictis *num. 6.* Sussumo nunc: atqui nequit adduci locus Scripturæ, qui processionem Spiritus Sancti à Filio probet ex eo, quod alioquim non distingueretur personalitèr ab eo: ergo distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est Scripturæ conformior. Antecedens patet ex locis Scripturæ allegatis. Vtraque consequentia est legitima. Sussumpta est certa; alioquim assignent aliquem Scripturæ locum, qui ex capite indistinctionis personalis Spiritus Sancti à Filio, probet ilius processionem.

§. IV.

Argumenta Patrum solvuntur.

53 *Arguit. 1.*

ARguitur primò: nam plures sunt Patrum authoritates asserentes: *Personas Divinas distingui originibus*, & etiam *solis originibus distingui*: ergo data hypotesi, quod Spiritus Sanctus originem non haberet à Filio, non esset ab eo personalitèr distinctus. Antecedens patet ex dictis Patrum. Ricard. Victorinus *lib. 4. de Trinit. cap. 5*: *In Divina natura circà originem solam oportet quærere personarum differentiam.* Isidorus *lib. 1. differentiarum, cap. 3. ab initio*: *Inter personam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ita secernitur, quod Pater nec genitus est, nec procedens, Filius ex Patre genitus, non procedens, Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio non genitus, sed procedens.* Bernardus *Epist. 190* *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio.* Et Boecius *lib. 1. de Trinit. cap. 12*: *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Nazianzenus *Orat. 5. de Theologia*, inquit, Personas Divinas esse diversas, *quia se invicem respiciunt.* Et hoc modo videntur loqui Damascenus *lib. 1. Fidei, cap. 11.* Fulgentius *de Fide ad Petrum, cap. 1.* Augustin. *tract. 39. in Ioan. cap. 9.* Leo Papa *Epist. 91. ad Toribium.* Dionisius Areopag. *cap. 2. de Divinis nominibus.*

54 *Respond. 1.*

Respondeo primo explicando Patres: personæ Divinæ distinguntur solis originibus oppositis, vel disparitatis, concedo; oppositis præcisè, nego, quæ solutio ex Scoto manet firmata *num. 19.* & ex Concilijs §. 1. & 2. Explico secundò: Personæ Divinæ distinguntur solis originibus oppositis, vel disparatis, concedo; oppositis præcisè, subdistinguo: distinguntur distinctione secundaria, adventitia, manifestiori, & minus principali, concedo; distinguntur distinctione primaria, magis principali, & magis intrinseca, nego. Itaquè personæ Divinæ primario, & principalitèr distinguntur per suas proprietates personales,

Secundò.

nem-

nempè, Pater per Paternitatem, Filius per Filiationem, & Spiritus Sanctus per Spirationem passivam; istæ enim sunt constitutivæ personarum, ex hisque oritur primaria, & principalior distinctio, vt de omnibus constitutivis claret. Secundariò autem, & minus principaliter distinguntur per relationem oppositam, qua per impossibile ablata, adhuc manerent cum primaria distinctione; quia essent cum suis personalibus proprietatibus.

55 *Declaratur solutio.*

Declaratur hoc: certum enim est, hominem distingui à bruto per rationalitatem, & per risibilitatem; cum hoc tamen discrimine, quod per rationalitatem distinguitur distinctione primaria, & magis principali, magisq; intrinseca; per risibilitatem vero distinctione secundaria, & minus principali. Vndè qui argueret: *Homo distinguitur à bruto per risibilitatem: ergo si homo non esset risibilis, non distingueretur ab illo*; malè argueret, quia ablata per impossibile ab homine risibilitate, per quam secundario distingutur à bruto; maneret rationalitas, quæ, vtpotè, constitutiva hominis, ipsum à bruto primariò distinguit. Sic omninò pariter in præsenti; nam Filius, v.g. distinguitur ab Spiritu Sancto per Filiationem, & per Spirationē activam, cum hoc tamen discrimine: quod per Filiationem distinguitur primario; per Spirationem vero secundariò. Vndè arguere: *Filius distinguitur ab Spiritu Sancto per Spirationē, seu per originem: ergo si Filius non esset Spirans, vel originans, non distingueretur ab illo*, est malè arguere, quia ablata per impossibile à Filio Spiratione, seu origine, per quam secundario distinguitur ab Spiritu Sancto, maneret Filiatio, quæ, vtpotè, Filij constitutiva, ipsum ab Spiritu Sancto primariò distingueret.

56 *Respond. 3.*

Explico tertiò: nam quando Patres dicunt: personas Divinas solis originibus distingui, hoc non asserunt, quia persona originata ab originante solum distinguatur; sed hoc asserunt, quia cum Patres præcipuè factum respicerent, & de facto nulla persona reperitur in Divinis, quæ non sit, vel originans, vel originata, nulla persona, quæ in Divinis non sit originans, vel originata, potest personalitèr distingui, in quo sensu verissimè loquuntur Patres, nec nostræ opinioni adversantur; nam etiam data hypotesi vera esset Patrum locutio, cum data hypotesi nulla esset persona in Divinis, quæ non esset, vel originans, vel originata; nam Pater esset originans, Filius verò, & Spiritus Sanctus essent à Patre originati, cum hac tamen diversitate, quod Spiritus Sanctus esset originatus à Patre per processionem, Filius autem per generationem, consequentèrque realitèr distincti, vt claret ex nostris probationibus ex Concilijs, Scriptura, & Patribus, præsertim Ricardi Victor. Leonis, & Nisseni, quorum verba clarissima sunt pro nostra, & Scoti opinione.

57 *Respond. 4.*

Explico quartò: personæ Divinæ distinguntur solis originibus actualibus, vel potentialibus, ommitto, actualibus præcisè, nego. Licèt enim data hypotesi non maneret inter Filium, & Spiritum Sanctum origo actualis; maneret tamen potentialis, quæ potentialis oppositio sufficit ad distinctionem realem illorum; ita enim implicat, quod persona producta identificetur cum ea realiter, à qua actu producitur; sicut cum ea, à qua produci potest; alioquin posset idem se ipsum producere. Quod autem data hypotesi maneret origo potentialis, manifestatur: nam cum hac hypotesi, *quod Spiritus Sanctus à Filio non procedat*, componitur hæc hypotesis, scilicèt, *quod Spiritus Sanctus posset à Filio procedere*; nam cum hypotesi, quod Filius actu non spiret, componitur, quod possit spirare; nulla enim ex his suppositionibus repugnat per locum intrinsecum: ergo data hypotesi maneret oppositio potentialis.

58 *Respond. 5.*

Explico quinto: personæ Divinæ distinguntur solis originibus, distinctione de Fide certa, concedo; distinctione non de Fide certa, sed ratione demonstrata, nego. Itaquè cum Patres præcipuè attendant in hoc altissimo Trinitatis Misterio ad id, quod Fide est, præcipuè dicunt, per origines solum personas distingui, quia hæc est distinctio, qua de Fide certum est, personas distingui; cæterum hoc non convincit, quod hac sola distinctione distinguantur; cum oppositum appareat in tot Patrū testimonijs pro nostra conclusione adductis, & in Concilijs ex allegatis §. 1. essequè in D. Anselmo constans, declarabimus §. 5.

Res-

59 *Respondeo denique.*

Respondeo denique ad argumentum ex Patribus deductum, Patres nobis potiùs fabere, quam nocere, & ratio est: nam Patres multotiès dicere solent, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum inter se personalitèr distingui per origines, ita, quod diversitas originis sit ratio distinguens personas, vt locuntur Ricardus, & Leo Papa, simul cum Gregorio Niseno, quorũ verba retullimus *num.* 46. 47. & 48. & quibus nostram probavimus conclusionem: ergo potiùs, quam officere, nobis fabere Patres, ex ipsis est manifestum.

60 *Obijcies ex Ricardo.*

Contra has omnes solutiones obijciunt secundo aliam Ricardi de S. Victore authoritatem, & nullum locum citantes, hæc, aiunt, esse verba illius: *Nasci distinctionem personarum ex numero producentium, quia vna persona producit, & non producitur, alia producit, & producitur, tertia producitur, & non producit*: ergo per activam spirationem Patres distingunt primam, & secundam personam à tertia. Hoc tamen argumentum nullam habet specialem difficultatem, respondetur itaquè sicut ad primum, explicando Ricardum, sicut dicta Patrum explicavimus *num.* 56. 57. & 58. & pro clariori explicatione, vt in *num.* 54. scilicèt, Ricardum loqui de distinctione secundariâ; non verò primaria, qua distinctione distinguo consequens.

Respondeo.

61 *Firmatur responsio.*

Et quod Ricardus loquatur de distinctione secundaria, ostenditur: Ricardus in Verbis præfatis distinguit Spiritum Sanctum à Patre, & Filio per hoc, *quod producitur, & non producit*; sed hæc non est distinctio primaria Spiritus Sancti à Patre, & Filio: ergo loquitur de distinctione secundaria. Minor pro secunda parte est certa; nam per ly *non producit*, nequit positivè distingui à Patre, & Filio, vt est manifestum, consequentèrque nequit esse primaria distinctio, cum hæc debeat esse positiva. Pro secunda autẽ probatur: Spiritus Sanctus, sicut quælibet alia res, distinguitur à quolibet alio distinctione primaria per id, per quod nullo modo cõvenit cum alio; atqui per ly *producitur* convenit cum Filio: ergo distinctio Spiritus Sancti per ly *producitur* non est primaria distinctio. Ex quo fiat in argumentum rétorsio. Denique: Ricardum stare clarissimè pro nostra opinione, diximus *num.* 46. vbi ex ipso probavimus nostram conclusionem.

62 *Replicabis.*

Replicabis: certissimum est apud Patres: Spiritum Sanctum distingui à Patre, & Filio, quia ab eis procedit: ergo certissimum est apud Patres: Spiritum Sanctum distingui à Patre, & Filio per Spirationem passivam: ergo certissimum est apud Patres: Patrem, & Filium distingui ab Spiritu Sancto per activam Spirationem. Atqui data hypotesi, Filius non haberet Spirationem activam: ergo data hypotesi, Filius non haberet, per quid distingueretur ab Spiritu Sancto. Respondeo primò concesso antecedenti cum prima consequentia, distinguendo secũdum consequens: certissimũ est apud Patres: Patrem, & Filium distingui ab Spiritu Sancto per activam Spirationem actualem, vel potentialem, concedo consequentiam; actualem præcisè, nego consequentiam. Et iuxtà hanc solutionem, distinguo sussumptam: data hypotesi, Filius non haberet Spirationem activam actualem, concedo minorem; potentialem, nego minorem, & consequentiam. Solutio constat ex dictis *num.* 57.

Respond. 1.

63 *Respond.* 2.

Sed licèt hæc solutio sufficiens sit pro veritate nostræ doctrinæ, & destructione sententiæ adversariorum, respondeo secundò distinguendo antecedens: certissimum est apud Patres: Spiritum Sanctum distingui à Patre, & Filio de Fide certa, quia ab eis procedit, concedo antecedens; distinctione non certa de Fide, sed ratione demonstrata, nego antecedens. Concedo primam consequentiam, & distinguo similitèr secundum consequens. Concedo sussumptam, & eadẽ distinctione distinguo consequens. Constat solutio ex dictis *num.* 58.

+ distinctione.

Respond. 3.

Respondeo tertiò distinguendo secundũ consequens distinctione communi Scotistarum: certissimum est apud Patres: Patrem, & Filium distingui ab Spiritu Sancto per activam Spirationem, distinctione relativa, concedo consequentiam; distinctione disparata, nego consequentiam; concedo sussumptam, & distinguo similitèr cõsequens.

Quartò.

Respondeo quartò, alitèr distinguendo secundum consequens: certissimum est apud Patres: Patrem, & Filium distingui ab Spiritu Sancto, distinctione concomitanti, & secundaria, concedo consequentiam; dis-

tinc-

tinctione formali, & primaria, nego conſequentiam. Concedo ſuſſumptam, & diſtinguo ſimiliter conſequens. Hæc duplex ſolutio patet ex dictis *num.* 54.

64 *Inſtabis.* Inſtabis contra hanc vltimam ſolutionem: Certiſsimum eſt apud Patres, quod Spiritus Sanctus diſtinguitur à Patre, & Filio per paſsivam Spirationem, diſtinctione formali, & primaria: ergo certiſsimus eſt apud Patres, quod Pater, & Filius diſtinguuntur ab Spiritu Sancto per activã Spirationem diſtinctione formali, & primaria: ergo ruit ſolutio. Hæc eſt replica, quæ prima facie aliquam videtur difficultatem habere; cæterum attentè in ſpecta, nullius eſt momenti; habet namque claram ſolutionem, & clariſsimam retorſionem, quarum quælibet, & vtraque, eſt Scoticæ opinionis clara, nottoria, manifeſta, & efficax, ſeu demonſtrativa probatio.

65 *Reſpondeo.* Reſpondeo itaquè ad inſtantiam, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt: nam paſsiva Spiratio eſt perſonalis proprietas Spiritus Sancti conſtitutiva, conſequentèrque eſt, per quam Spiritus Sanctus diſtinctione formali, & primaria diſtinguitur ab alijs perſonis, eo, quod perſonæ diſtinctione formali, & primaria diſtinguuntur per ſuas perſonales proprietates. Aſt ſpiratio activa, vtpotè, communis Patri, non eſt proprietas perſonalis conſtitutiva Filij. Imò ex hac replica retorqueo argumentum: ideò Spiritus Sanctus diſtinctione formali, & primaria diſtinguitur à Filio per paſsivam Spirationem, quia paſsiva Spiratio eſt perſonalis proprietas, Spiritus Sancti conſtitutiva; atqui activa Spiratio non eſt proprietas perſonalis, Filij conſtitutiva: ergo Filius per Spirationem activã non diſtinguitur ab Spiritu Sancto diſtinctione formali, & primaria: ergo per Filiationem, quæ eſt Filij, in eſſe perſonæ, conſtitutiva. Similiter etiam de Patre.

Retorqueo.

66 *Arguit Bazquez teſtimon. Niſen.* Bazquez denique *diſp.* 147. licèt fateatur, ad ſuprà poſitas Patrum authoritates optimas eſſe explicationes datas, arguit tamen *cap.* 4. nobis objiciendo duplex teſtimonium Niſeni, quod vrgere ſentit. Primum eſt Niſeni *ad Ablabium*, adductum à Beſarione *in Orat. dogmatica* pro vnione in Concil. Florent. *cap.* 6. *circà finem*, quod ſic ſe habet: *Eo diſtinguitur Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt*, ità exponit: *Quaſi diceret, quod cum ambo à primo ſint, non ſufficientèr diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet, vt manifeſtè, per diſtinctionem hinc ſignificaret, quæque ſecundum cauſam, & cauſatum eſt.*

1. *teſtimon.*

Secundum eſt eiuſdem Gregorij Niſeni *lib.* 1. *contrà Eunomium*, & ab eodem Beſarione adductum *Orat. cit. cap.* 6. vbi loquens de diſtinctione Spiritus Sancti à Filio, inquit: *Diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quod nec vt vnigenitus ex Patre productus eſt, & quod per ipſum Filium manifeſtatus eſt.* Hæc ſunt teſtimonia, quibus valdè fidit Bazquez; ſed certè non ſunt vrgentioris difficultatis. Primò: quia ex hoc ſecundo Niſeni teſtimonio noſtram probavimus concluſionem *numer.* 48. Secundò: quia ſolutionibus datis, quam optimè ſatisfacta permanebunt.

67 2. *teſtimon.*

Reſpondeo ad 1. *teſtimon.*

Reſpondeo ad primum Niſeni teſtimonium, illud primo explicando: eo diſtinguitur Spiritus à Filio diſtinctione relativa, quia per ipſum eſt, concedo; diſtinctione diſparata, nego. Explico ſecundò: eo diſtinguitur præciſsè Spiritus à Filio, quia per ipſum eſt, nego; non præciſsè, concedo. Tertiò: eo diſtinguitur Spiritus à Filio diſtinctione ſecundaria, & nobis magis manifeſta, quia per ipſum eſt, concedo; diſtinctione primaria, & minus nobis manifeſta, nego. Explico quartò: diſtinctione de Fide certa, concedo; diſtinctione non Fide certa, ſed ratione demonſtrata, nego. Et quod in his ſenſibus loquatur Niſenus, declarabitur explicatione ſecundi teſtimonij.

69 Ad expoſitionem Beſarionij, nempè, *quod cum ambo*, ſcilicèt, Filius, & Spiritus Sanctus, *à primo ſint*, ideſt, à Patre, *non ſufficientèr diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet.* Reſpondeo primò: ita eſſe intelligendum, ſcilicèt, quod non diſtinguerentur diſtinctione nobis manifeſta, quæ eſt diſtinctio ex origine habita, & hoc videtur denotare ly *manifeſtè*. Reſpondeo ſecundò: ſic intelligendum eſſe, nempè, niſi alter rationem originantis, vel originati haberet, quia vt *num.* 56. diximus, nulla perſona, quæ in Divinis non ſit originans, vel originata, poteſt perſonalitèr diſtingui, quod non tollit diſtinctionem Spiritus Sancti à Filio,

da-

data hypoteſi, quod ab illo non procederet, vt conſtat ex præfatis dicto *num.* 56. Et quod in hoc ſenſu loquatur Beſarion, apparebit ex expoſitione illius ad ſecundum Niſeni teſtimonium.

70 *Reſpondeo ad 2. teſtimon.* Ad quod reſpondeo cum Beſarione: Niſenum in hoc ſecundo teſtimonio duplicem aſsignare rationem diſtinctionis Spiritus Sancti à Filio; nam Beſarion *Orat. citat.* ſic exponit: *Primò, quod non per generationem, vt Filius, ſed per proceſsionem ex Patre ſit, ac ſi diceret, per diverſum ſubſiſtentiæ modum. Secundò, quod per ipſum manifeſtatus ſit.* Ecce Beſarionem docentem ex mente Niſeni, Spiritum Sanctum à Filio diſtingui, non ſolum, quia per ipſum manifeſtatus eſt, ideſt, ex Filio productus, ſed etiam per diverſum ſubſiſtentiæ modum, quia, ſcilicèt, non per generationem, vt Filius, ſed per proceſsionem eſt à Patre; vndè licèt non eſſet à Filio, adhuc per proceſsionem à Patre diverſum ſubſiſtentiæ modum haberet, per quem à Filio diſtingueretur.

71 Ex quo manifeſtè apparet primò: Niſenum nobis omninò fabere; nam licèt in primo teſtimonio aſsignet originem Spiritus Sancti à Filio pro ratione diſtinctionis, hunc non aſsignat, vt cauſam præciſſam, nec alteram negat; cum in ſecundo teſtimonio illam aſsignet, nempè, per diverſos ſubſiſtendi modos, vt implicuit Beſarion, ratione cuius ex Niſeno probavimus noſtram concluſionem *num.* 48. Apparet ſecundò: Bazquez tacuiſſe expoſitionem Beſarionis, ſuper ſecundum teſtimonium Niſeni, vt noſtram opinionem impugnaret, in quo coincidit (proportione ſervata) cum Authoribus, qui ad idem intentum aſsequendum, Concilia infidelitèr allegant, de quibus diximus *num.* 43.

72 *Replicat Bazquez.* Replicat tamen Bazquez contra noſtram ſolutionem: Niſenus vult, quod ex oppoſitione relativa ſecundum cauſam, & cauſatum oriatur ſolum diſtinctio inter perſonas: ergo ruit noſtra ſolutio. Probat antecedens: nam Niſenus in prima Authoritate *citat.* hæc habet verba: *Eam, quæ circà cauſam, & cauſatum conſideratur, differentiam non negamus, per quod ſolum diſcerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum, eo, quod credimus, aliud quidem cauſam eſſe; aliud verò ex cauſa*: ergo Niſenus vult, quod ex oppoſitione relativa ſecundum cauſam, & cauſatum oriatur ſolum diſtinctio inter perſonas.

73 *Reſpondent aliqui.* Reſpondent aliqui: in hoc primo D. Gregorij Niſeni teſtimonio additam eſſe particulam illam *ſolum*; alioquim Niſenus ſibi eſſet contradictorius; cum in ſecundo teſtimonio expræſsè aſsignèt aliam cauſam diſtinctionis præter eſſe cauſam, & cauſatū, nempè, diverſos ſubſiſtentiſi modos, vt patet ex ipſo. Sed licèt hoc ſic veroſimile, quidquid ſit de hoc.

74 *Reſpondet Maſtrius.* Reſpondet Maſtrius *citat. num.* 269: Niſenum tantummodo velle perſonas Divinas diſtingui per relationes, quæcumqe ſint, & cum quælibet relatio Divina ſecundum ſe, vel cauſa ſit, vel cauſata, *ſolum* per rationem cauſæ, vel cauſatæ vna diſcernitur ab altera. Vndè ſi Spiritus Sanctus non eſſet à Filio, diſtingueretur ab eo, *ſolum* quia vtraque relatio cauſata eſſet. Quod ſi contendas, Niſenum non per diſiunctionem cauſæ, vel cauſati, ſed per coniunctionem locutum fuiſſe; ac proindè inſinuaſſe oppoſitionē relativam directam inter originans, & originatum; Reſpondet Maſtrius, notandum eſſe, quod aliud eſt, Filium, & Spiritum Sanctum, *ſolum* inter ſe diſcerni, quia vnus eſt ab alio; & aliud eſt, quod *ſolum* deprehendamus eorū diſtinctionē per hanc proceſsionem. Primum non dixit Niſenus; aliàs ſibi contradiceret, ſed tantum ſecundum; quia vt etiam docet Anſelmus *lib. de Proceſſ. Spiritus Sancti*, hæc diſtinctio perſonarum fit nobis manifeſtior, per proceſsionem, quam illa prima, & immediata per propria conſtitutiva, & per diverſos procedendi modos: vndè per hanc poſteriorem, vt nobis manifeſtiorem *ſolum* deprehendimus illam priorem, & immediatiorem; & ſic magis occultam. Vndè iam non licet inferre, hanc eſſe ſolam, & præciſſam cauſam diſtinctionis.

75 *Reſpond. 1. ad replicā.* Licèt autem hæc Maſtrij reſponſio optima ſit, deducta tamen non eſt ex mente Niſeni, quarè voluntariam eſſe, dicere valebit Bazquez. Cœterū ne hoc illi dicere liceat. Reſpondeo primò ad replicam Vaſquij; Niſenum loqui de diſtinctione Spiritus Sancti à Filio, quæ de Fide eſt, vt claret ex illis verbis: *Eo, quod credimus*, & hanc eſſe *ſolum* per proceſsionem, affirmat Niſe-

ſenus, quod nos etiam concedimus, & ex quo nihil contra nos, quia hoc non tollit, quod hac per impoſsibile deficiente, adhuc ſit ratio, Spiritum Sanctum à Filio diſtinguens. Item clarer: nam cum Niſenus in ſecundo teſtimonio præter proceſsionem, qua de Fide eſt, Spiritum Sanctum à Filio diſtingui, aliam aſsignet rationem diſtinctionis, evidens eſt, quod ſecundū teſtimonium eſt primi declarativum, conſequentèrque Niſenum ſentire, diſtinctionem per proceſsionem, quæ de Fide eſt, & in primo teſtimonio, vt talem aſsignat, ratificare in ſecundo, vltra quam aliam eſſe diſtinctionem expræſsè profitetur, quod eſt noſtra, & Scoti opinio.

76 *Reſpond. 2.* Et iuxtà hanc explicationem reſpondeo ſecundo in forma diſtinguēdo antecedens: Niſenus vult, quod ex oppoſitione relativa ſecundum cauſam, & cauſatum oriatur ſolum diſtinctio inter perſonas, diſtinctione de Fide certa, concedo antecedens; non Fide certa, ſed ratione demonſtrata, nego antecedens, & hac diſtinctione explico verba Niſeni, vt explicata manent *num. præc.* *Reſpond. 3.* Reſpondeo tertiò aliter diſtinguendo antecedens: Niſenus vult, quod ex oppoſitione relativa ſecundum cauſam, & cauſatum oriatur ſolum diſtinctio inter perſonas, diſtinctione relativa, concedo antecedens; diſparata, nego antecedens, & hac diſtinctione diſtinguo, vel explico verba Niſeni; nam cum Niſenus loquatur de diſtinctione, quæ de Fide eſt, dari inter Filium, & Spiritū Sanctum, & hæc ſit diſtinctio ſolum relativa, de hac ſolum loquitur Niſenus. *Reſpond. 4.* Reſpondeo quartò, aliter diſtinguendo antecedens: Niſenus vult, quod ex oppoſitione relativa ſecundum cauſam, & cauſatum oriatur ſolum diſtinctio inter perſonas, diſtinctione cōcomitante, & ſecundaria, concedo antecedens; formali, & primaria, nego antecedens, & hac diſtinctione explico verba Niſeni; nam cum Niſenus in ſecundo teſtimonio aſsignet aliam primam diſtinctionem, præter diſtinctionem ortam ex proceſsione, & hæc ſit ſecundaria, de hac loquitur duntaxat Niſenus in primo teſtimonio, cuius ſunt præfata verba, à Vaſquio in replica adducta.

77 Atque hinc ſe ſe apperit primò: noſtram, & Scoti opinionem eſſe conformiorem Scripturæ, vtpotè, ex ipſa probata manet *num.* 52. quin ſit locus contra nos ab adverſarijs obiecibilis. Se ſe apperit ſecundo: noſtram, & Scoti opinionem eſſe Patribus conformiorem, quin ſit authoritas Patris (de Anſelmo dicemus §. *ſequent*) quę vrgeat contra noſtram opinionem, & vt hoc clariùs appareat.

78 *Retorq. 1.* Retorqueo primò quodlibet argumentum ex Patribus deductum: ſi aliquæ eſſent Patrū authoritates, quæ vrgere poſſent contra noſtram opinionem, eſſent illæ, in quibus Patres docere videtur: perſonas Divinas diſtingui ſolum per relationes originis vnius ab alia; atqui illæ authoritates non vrgent contra noſtram opinionem: ergo nulla eſt Patris authoritas, quæ contra noſtram opinionem vrgeat. Conſequentia eſt legitima. Maior manifeſta. Minor verò probatur: nam quando Patres docere videtur, perſonas Divinas diſtingui ſolum per relationes originis vnius ab alia, locuntur de diſtinctione perſonarum, qua iuxtà fidem certum eſt, diſtingui; ſed hoc etiam nos Fide credimus, & aliam diſtinctionem à nobis poſitam, non tollit: ergo authoritates, in quibus Patres docere videtur: perſonas Divinas diſtingui ſolum per relationes originis vnius ab alia non vrgent contra noſtram opinionem. Maior patet ex dictis *à num.* 54. & præſertim *num.* 75.

79 *Prob. min. 1.* Minor verò quoad primam partem eſt certa. Quoad ſecundam probatur primò: perſonas Divinas diſtingui ſolū per relationes originis vnius ab alia, diſtinctione, qua iuxtà Fidem certum eſt, diſtingui, tollit ſolum aliā diſtinctionem, qua iuxtà Fidem diſtinguantur; ſed alia diſtinctio à nobis poſita non eſt diſtinctio, qua iuxtà Fidem diſtinguantur: ergo diſtinctio perſonarum, qua iuxtà Fidem certum eſt, diſtingui, non tollit aliam diſtinctionem à nobis poſitam. Probatur ſecundò: Plures Patres docere videtur, perſonas Divinas, præter diſtinctionē per relationes originis vnius ab alia, quæ eſt diſtinctio, qua iuxtà Fidem diſtinguntur, diſtingui etiam diſtinctione à nobis poſita; ſed dicendum non eſt, hos Patres illis contrariari: ergo diſtinctio perſonarum, qua iuxtà Fidem certum eſt, diſtingui, non tollit aliam diſtinctionem à nobis poſi-

Secundò.

tam.

tam. Minor, & consequentia tenent. Maior autem ex nostris probationibus manifestè apparet.

80 *Retorq. 2.* Retorqueo secundò: ex eo, quod Patres docere videatur: personas Divinas distingui solum per relationes originis vnius ab alia, non tollit, quod alia distinctione etiam distinguantur: ergo authoritates prædictæ non vrgent contra nostrã opinionem. Probatur antecedens: ex eo, quod Patres docere videatur: Filium distingui ab Spiritu Sancto per nativitatem, non tollit, quod alia distinctione, nempè, per activam Spirationem, etiam distinguatur; alioquim tolleretur distinctio, qua iuxtà Fidem certum est, Filium ab Spiritu Sancto distingui: atqui hoc Patres docere videtur: ergo ex eo, quod Patres docere videtur: personas Divinas distingui solum per relationes originis vnius ab alia, non tollit, quod alia distinctione etiã distinguantur. Maior cum consequentia tenet. Minor autem patet ex pluribus Patrum authoritatibus, pro quibus sufficiat Anselmus, in quo maximè fidunt adversarij, *qui lib. de Proces. Spiritus Sancti, cap. 2. paulo post medium*, hæc habet: *Hæc itaquè sola causa pluralitatis est in Deo; nam quoniam Filius existit de Deo, nascendo, & Spiritus Sãctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, vt diversi, & alij ab invicem.* Notetur ly *sola*. Et ad mentem D. Anselmi examinandam progrediamur.

§. V.

Statuitur tertia conclusio.

81 *3. Concluſ.* TErtia conclusio: *Distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est D. Anselmo conformior.* Hæc conclusio deducitur ex Scoti *citat.* & suadenda est à nobis aliquibus Authoritatibus, quarum prima sumitur *lib. de Proces. Spiritus Sancti, cap. 2. in fine*, vbi ait Anselmus: *Filius autem, vt interim aliã causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus Sanctus de illo sit, & procedat, ideò non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus verò Sanctus non nascendo, sed procedendo:* ergo sentit Anselmus, solam differentiam penes nasci, & procedere, processione vnius ab alio seclusa, esse sufficientem causam distinctionis realis Spiritus Sancti à Filio; & consequentèr in hypotesi, quod à Filio non procederet, ab illo realitèr distingueretur.

Prob. authoritatibus Anselmi.

1. Authoritas.

82 *Declaratur* Declaratur hoc: nam licèt ex processione Spiritus Sancti a Filio optimè probetur realis distinctio vnius ab alio; tamen quia talis processio adhuc contra Græcos ostensa non erat, assignat Anselmus, à processione præscindendo, aliam causam sufficientẽ, vt inter se distinguãtur, nempè, quod diversum habeant originem, scilicèt, nativitatem vnus, & alter processionem, vt denotant illa verba: *vt interim aliam causam dicam*: ergo etsi Anselmus supponat: Spiritum Sanctum à Filio realitèr distingui per processionem, processionem non agnoscit, vt vnicam causam distinctionis Spiritus Sancti à Filio; alioquim non diceret *aliam causam*: ergo processione præcissa, manet Spiritus Sanctus realitèr à Filio distinctus: ergo data hypotesi, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc realitèr ab illo distingueretur.

83 *2. Authoritas ex qua 1. ad hom. contra adversarios.* Secunda D. Anselmi Authoritas sumitur ex *lib. & cap. citat. paulo post medium*, vbi ait: *Hæc itaquè sola causa pluralitatis est in Deo, nam quoniam Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, vt diversi, & alij ab invicem.* Ex quibus verbis ad hominem, contra adversarios, & præcipuè contra Ill. God. probatur nostra sententia: Ideò iuxtà ipsum *num.* 18. Filius, & Spiritus Sanctus sola processione realitèr distinguntur, quia sunt, vel referuntur ad invicem, per quod non intelligitur sola relatio, sed relatio relativè opposita; atqui per esse, vel referri ad invicem intelligitur sola relatio, quin sit relatio relativè opposita, vt claret ex verbis Anselmi: ergo per solam relationem, quin sit relatio relativè opposita, Filius realitèr ab Spiritu Sancto distinguitur. Atqui relatione relativè opposita præcissa, stat relatio nativitatis, & processionis iuxtà Anselmum: ergo iuxtà hunc Doctorem, præcissa relatione relativè opposita, seu processione seclussa, Filius est ab Spiritu Sancto realitèr distinctus.

84 *2. ad hom. contra ipsos.* Probatur secundò ad hominem etiam contra adversarios, præcipuè contra Ill. Godoy: Ideò iuxtà ipsum *citat.* Filius, & Spiritus Sanctus sola

re-

relatione relativè oppoſita, realitèr diſtinguntur, quia ſunt ad invicem, quod propriè non verificatur, niſi relativè ſe habeant; ſed *eſſe ad invicem* ſalvatur cum proprietate per hoc, quod eſt, relationibus diſtingui, quin ſint relationes relativè oppoſitæ, vt patet manifeſtè ex prædictis verbis Anſelmi: ergo per ſolas relationes, quin ſint relativè oppoſitæ, Filius eſt ab Spiritu Sancto realitèr diſtinctus. Tunc ſic: ſed ſeclusis relationibus relativè oppoſitis, ſtant relationes geniti, & Spiratio iuxta Anſelmum: ergo ſeclusis relationibus relativè oppoſitis, Filius eſt ab Spiritu Sancto realitèr diſtinctus.

85 *3. Authoritas.* Tertia Authoritas D. Anſelmi ſumitur ex *lib cit. cap. 4. multo poſt mediũ*, vbi poſtquam multa dixit de diſtinctione inter Filium, & Spiritum Sanctum penes diverſum procedendi modum, ſic concludit: *Et ideò non habet hic vnitas illa vim conſequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate naſcitur, & proceſsione, nam etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi.* Et hoc etiam ſignificavit D. Auguſtinus 5. *de Trinitate, cap.* 14. dum diſcriminat Filium ab Spiritu Sancto in eo, quod ille procedat, tanquam natus; iſte verò tanquam datus. Suſſumo nunc: atqui hoc diſcrimen locum habet inter Filium, & Spiritum Sanctum, etiam ſi iſte non procedat ab illo, vt ex Anſelmo conſtat expræſsè: ergo per proceſsionem præciſsè non diſtinguitur Spiritus Sanctus à Filio: ergo ab ipſo diſtingueretur, etiam ſi ab ipſo non procederet. Et certè hæc eſt Authoritas, vi cuius Suarez *lib.* 10. *de Trinit. cap* 2. Et Bazquez *diſp.* 147. *cap.* 4. etſi oppoſitæ ſententiæ Sectatores, ingenuè fateantur, Anſelmum Scoti ſententiam tradidiſſe.

86 *Reſpondent 1. aliqui.* Ex his D. Anſelmi Authoritatibus, primam ſolum communitèr adducunt Adverſarij, in quo ipſos eſt ſecutus Ill. Godoy, ad ipſamque varias tradunt ſolutiones. Primò reſpodent aliqui: loqui Anſelmum de proceſsione, & nativitate, quatenus de facto ſunt, & quia de facto proceſsio generationem ſupponit, & illi relativè opponitur, fit, vt non ſentiat, ſublata proceſsione Spiritus Sancti à Filio, permanſuram inter vtrunque realem diſtinctionem. Hæc tamen ſolutio (ait Ill. Godoy *num.* 37.) non ſatisfacit; nam Anſelmus hanc cauſam diſtinctionis tradit interim, dum contra Græcos non probat Spiritum Sanctum à Filio procedere: ergo proceſsionem Spiritus Sancti à Filio non aſſumit pro cauſa diſtinctionis, aliàs non diſtingueret inter vnam cauſam, & aliam, ſed vtranque traderet ſtatim, vel vnam in alia includeret.

87 *Reſpondent 2. alij.* Secundò reſpondent alij: loqui de diſtinctione veluti ſpecifica inter Filium, & Spiritum Sanctum, non de diſtinctione reali entitativa; prima autem ſufficientèr ex diſtinctione inter generationem, & proceſsionem deſumitur; ſecus autem ſecunda. Hãc etiam ſolutionem impugnat Ill. God. duplicitèr. Primò *num.* 38 ſic: nam in ordine ad ſpecificam diſtinctionem, potiùs proceſsionibus provenit à terminis, quam terminis à proceſsionibus, cum paſsiones à terminis ſpeciẽ deſumant: ergo cum Anſelmus cauſam à priori diſtinctionis inter Filiũ, & Spiritum Sanctum conſtituat, non loquitur de ſpecifica, ſed de reali diſtinctione, quæ relationibus à fundamento provenit, tanquam à ratione à priori. *Impugn.* 1.

88 *Secundò.* Impugnat ſecundò *num.* 39. hoc modo: nam vt conſtat ex Anſelmo *in cap.* 4. diſtinctionem, quam negat inter relationem Spiratoris, Paternitatem, & Filiationem, concedit relationibus geniti, & Spirati, & huius diſtinctionis cauſam conſtituit nativitatem, & proceſsionem; at diſtinctio Spirationis à Paternitate, & Filiatione eſt diſtinctio veluti ſpecifica in linea relationis: ſecus autem realis entitativa: ergo hanc concedit relationibus geniti, & Spirati, & huius diſtinctionis reddit pro cauſa differentiam nativitatis, & proceſsionis.

89 *Reſpondent 3. alij.* Alij tertiò reſpondent cum Div. Thoma *quæſt.* 10. *de Potent. artic.* 5. *ad* 2. *in prima parte reſponſionis*: Verum eſſe, quod Filius diſtinguitur ab Spiritu Sancto, quia ille naſcendo, & hic procedendo, habent eſſe; ſed etiam verum eſſe, in hac diverſitate proceſsionem eſſe neceſſariò incluſam, quia diverſo modo procedere non poſſent, niſi Spiritus Sanctus eſſet à Filio, & hoc eſt, quod aſſerit Anſelmus; vndè ſecluſſa proceſsione, non eſt diſtinctio, quod rurſus repetit D. Thomas 1. *part. quæſt.* 36. *artic.* 2. *ad* 7. *Impugnat.*

90 *Impugnat.*

Impugnatur ſolutio: Anſelmus non includit neceſſariò proceſsionem Spiritus Sancti à Filio in diverſitate procedendi, ſcilicèt, in eo, quod Filius naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, habeant eſſe: ergo falſum eſt, quod Filius, & Spiritus Sanctus non poſſent diverſo modo procedere, niſi Spiritus Sanctus eſſet à Filio: ergo ruit ſolutio. Vtraque conſequētia eſt legitima. Antecedens autem eſt D. Anſelmi expræſſum, vt patet ex verbis illius relatis *num.* 85: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi, quia Filius eſt à Patre naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo.*

91 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet denique Ill. Godoy *citat. num.* 41. cum D. Thoma *quæſt.* 10. *citat.* & eſt communis adverſariorum ſolutio: Anſelmum non ex propria ſententia allegata verba protuliſſe, ſed diſputativè, & ſuppoſitâ ſententia Græcorum, diſtinguentium realitèr Spiritum Sanctum à Filio, abſque eo, quod ab illo procedat. Quam eſſe germanam Anſelmi interprætationē, exindè colligitur primo, quod alias ſibi eſſet contrarius, cum vulgatum illud Theologorum axioma: *In Divinis omnia eſſe vnum, vbi relationis oppoſitio non obviat*, in illius doctrina, quam tradit *lib. de Proceſſ. Spiritus S.* multotiès reperiatur expræſſum. Secundò: nam in illis capitibus iacet Anſelmus fundamenta, in quibus Græci, & Latini convenimus, quorum vnum eſt, realis Spiritus Sancti à Filio diſtinctio; ne ergo ſententiæ Catholicæ, quam fatentur Latini, & nondum ipſe contra Græcos oſtenderat de Spiritus Sancti à Filio proceſsione, coarctaret realem Spiritus Sancti à Filio diſtinctionem, verba relata protulit, non ex propria ſententia, ſed diſputativè, ſupponendo ſententiā Grecorū.

Confirmat. ad averſarij.

Hanc ſolutionem confirmant adverſarij ex ipſo Anſelmo; hic enim, vt patet ex principio primi, & ſecundi capitis, nihil aliud facit, niſi ponere, & declarare nonnulla, quæ Græci ipſi concedebant, vt ex his deindè demōſtraret, Spiritum Sanctum à Filio procedere, quod apertiſsimè conſtat ex illis verbis *cap.* 2. *in fine*: *Filius autem, vt interim aliam cauſam dicam, &c.* Et deindè clariùs *cap.* 3 *poſt medium*: *Cum apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, tunc quoque palàm erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius*; cum igitur ſcribit Anſelmus, ſolam cauſam diverſitatis inter Filium, & Spiritum Sanctum eſſe, quia ille naſcendo, hic procedendo oritur, id non aſſerit, tanquam à ſe dictum, ſed ſumit, ac ponit, tanquam conceſſum à Græcis.

92 *Solutio Ill. God. reijcitur 1.*

Hæc tamen ſolutio reijcitur primò ex ipſo Anſelmo *in eodem cap.* 4. vbi cum ſibi obieciſſet, quod ſi ex identitate eſſentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſequitur, aut Filium eſſe principium Spiritus Sancti, qui procedit à Patre, aut Filium à Spiritu Sancto procedere, etiā ex identitate eſſentiæ inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſequitur, quod Filius Spiratur, aut Spiritus Sanctus generetur, his verbis reſpondet: *Sed quid ego? Habent vtiquè à Patre eſſe Filius, & Spiritus Sanctus, ſed diverſo modo, quia alter naſcendo, alter procedendo, vt alij ſint ad invicem per hoc, quod dictum eſt, & ideò cum naſcitur vnus, non poteſt cum eo naſci ille, qui per hoc eſt alius ab illo, qui non ſimiliter naſcitur, ſed procedit, & cum vnus procedit, nequit ille ſimul procedere, qui per hoc eſt alius ab illo, qui non ſimiliter procedit, ſed naſcitur*: ergo Spiritum Sanctum à Filio diſtingui ex eo, quod vnus nativitate, alter proceſsione producitur, quin ad hoc requiratur vnum procedere ab alio, aſſeritur ab Anſelmo, non ex aliorum, ſed ex propria ſententia, non diſputativè, ſed aſſertivè.

93 *Reſpondet ipſe.*

Reſpondet Ill. Godoy *num.* 43. negando conſequentiam; quia vt Anſelmus argumentum diluceret, neceſſarium non erat, verba allegata ex propria ſententia referre; nam cum argumentum illud ſibi perſonā Græcorum gerens obieciſſet, ſufficienter illud diluebat, illa proferens ex illorū ſententia, ac ſi ita reſponderet: vos dicitis, Spiritum Sanctum à Filio realitèr diſtingui ſolum per hoc, quo procedat Filius, aut generetur: ergo per hoc intervenit inter illos realis oppoſitio; & conſequenter ex vnitate in eſſentia, qua gaudent, non licet colligere, quod ſi vnus procedit, alter etiam procedat, vel ſi vnus generatur, alter ſimiliter generetur cum ipſo; nam ex vnitate eſſentiæ inter illas tātum colligitur, debere convenire in illis prædicatis, in quibus illos relatio non diſtinguit. Cœterum cum Pater

non

non differat à Filio per activam Spirationem, sequitur ex vnitate essentiæ, quam habet, quod si Pater Spirat, Filius etiam debeat Spirare.

94 *Reijcitur* 2

Cæterum hæc responsio eadem est cum præcedenti, quam in Anselmo textualitèr fundatam non video, vndè præcedentem reijciendo, hæc impugnata manebit. Reijcitur itaquè secundo allata solutio: Anselm. *citat.* asserit, Spiritum Sanctum à Filio distingui ex eo, quod vnus nativitate, alter processione producitur, quin ad distinctionem requiratur, vnum ab alio procedere; sed assertivè, & ex propria sententia loquitur: ergo ruit solutio. Probatur minor primo: Div. Anselmus *lib. citat. cap. 3. ab initio* hæc habet: *Quoniam autem hæc, quæ dicta sunt* (scilicèt in primo, & secundo capite) *paritèr credimus indubitantèr, & confitemur, & nos, qui dicimus, Spiritum Sanctum de Filio procedere, & Græci, qui nobiscum de hac re non sentiunt, debemus absquè vlla ambiguitate, quæ ex his necessario consecuntur, vno consensu suscipere*: ergo ex his, quæ ipsemet Anselmus indubitantèr credit, & confitetur cum Græcis, procedit ad ea, quæ ex his necessariò consecuntur. Atqui hoc est assertivè, & ex propria sententia loqui, vt est manifestum: ergo loquitur Anselm. assertivè, & ex propria sententia.

Prob. min. 1.

Secundò.

Probatur secundò dicta minor: nam Anselm. *cap. 4. ab initio* hæc habet: *Nunc quærendum est per dictas irrefragabiles rationes, &c.* sed istæ sunt rationes in capitibus præcedentibus allatæ, nempè, quod Filius, & Spiritus Sanctus nativitate, & processione distinguantur: ergo cum irrefragabilitèr procedat, assertivè, & ex propria sententia loquitur. Probatur tertiò: nam *cap. citat. paulo post medium*, respondens cuidam obiectioni, ait: *Ad quod ego, habent vtiquè à Patre esse Filius, & Spiritus Sanctus, sed diversò modo, quia alter nascendo, alter procedendo, vt alij sint ab invicem, per hoc, quod dictum est.* Atqui illa verba: *Ad quod ego* clarissimè indicant, Anselm. loqui ex propria sententia: ergo, &c. Probatur quartò: quia *cap. citat. propè finem*, sic alloquitur: *Omnimoda igitur, & inexpugnabili necessitate concluditur, quia si vera sunt, quæ suprà dixi, nos paritèr cum Græcis credere, &c.* Quid clariùs ad ostendendum se ex propria loqui sententia! Vltrà hoc tamen.

Tertiò.

Quartò.

Reijcitur tertiò prædicta solutio: Anselmus statuens distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex processione huius ab illo, loquitur assertivè, & ex propria sententia: ergo Anselmus statuens distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex diverso modo procedendi, loquitur assertivè, & ex propria sententia. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy, quatenus *num.* 22. adducit Anselmum pro sua conclusione, probantem distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex processione huius ab illo, in quo non dicet Ill. Godoy, Anselmum loqui disputativè, & ex aliorum sententia. Consequentia autem probatur: Anselmus vnica, & eadem sententia infert distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex diverso modo procedēdi, & ex processione vnius ab alio, tanquam ex duplici causa distinctionis; sed iuxtà Ill. God. Anselmus statuens distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex processione huius ab illo, loquitur assertivè, & ex propria sententia: ergo Anselmus statuens distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex diverso modo procedendi, loquitur assertivè, & ex propria sententia. Probatur maior: Anselm. *lib. citat. cap. 17. in principio*, hæc habet: *Patet ergo sicut suprà præmissi, præter hoc, quia Filius existit nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque causa, quia, scilicèt, Spiritus Sanctus est de Filio, eos de se invicem non posse dici*; sed hoc, vt de se claret, est vnica, & eadem consequentia vtramq̃ causam distinctionis inferre: ergo Anselmus vnica, & eadem causa infert distinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex diverso modo procedendi, & ex processione vnius ab alio, tanquam ex duplici causa distinctionis. Vrgetur (meo videri) efficacitèr: nemo dixit Anselmum *cap. 17.* locutum esse disputativè, & non ex propria sententia, vt clarebit *num. sequent.* atqui verba relata sunt ex *cap. 17.* ergo sunt ex propria sententia; tunc sic; sed vtramque causam distinctionis fatetur Anselmus: ergo idem, quod antè.

95 *Reijcitur* 3

Vrgetur.

Reijcitur quartò solutio dicta: D. Anselm. locis pro nobis *citat.* assertivè, & ex propria sententia loquitur: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: D. Anselm. à nobis citatur *lib. de Proces. Spiritus S. cap. 2. 3. & 4.* sed in his capitibus loquitur assertivè, & ex propria sententia: ergo locis pro

96 *Reijcitur* 4

nobis *citat*. loquitur assertivè, & ex propria sententia. Probatur minor primò: nam ex his, quæ adducit Anselm. *cap.* 2. & 3. probant adversarij: Spiritum Sanctum à Filio non distingui, processione præcisa; sed ex eisdem testimonijs nos probamus distinctionem Spiritus Sancti à Filio, præcisa processione: ergo cùm ipsi asserant, Anselm. loqui assertivè, & in propria sententia in testimonijs ab adversarijs adductis, fateri tenentur assertivè, & in propria sententia loqui in testimonijs à nobis traditis, cum eadem sint, vt constabit ex dicendis §. *sequent.* in obiectione 4. & eius solutione.

Prob. min. 1.

Secundò.

Probatur secundò dicta minor: nam *cap.* 2. docet Anselm. quod Pater, & Filius in omnibus vnum sunt, nisi in his, in quibus inter eos distinguit relationis oppositio, ex quibus infert Ill. Godoy illud axioma: *In Divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio*; sed in hoc loquitur Anselmus assertivè, & ex propria sententia: ergo in illis capitibus loquitur assertivè, & ex propria sententia. Maior est Ill. Godoy *num.* 22. Minor est certa iuxtà eundem; alioquim nulla esset apud ipsum illius probatio ex Anselmo deducta. Consequentia patet, & amplius ostenditur: nam si ex eodem *cap.* 2. nos adducimus D. Anselm. pro nostra opinione, & Ill. God. illum pro sua adducit, quomodo quãdo loquitur pro nobis, non loquitur ex propria sententia, & quando pro illo loquitur, loquitur ex propria sententia? Certè hoc voluntariè videtur, eodemque modo possemus nos respondere ad probationem, quam ex Anselmo adducit Ill. God. maximè, si attenderetur ad opinionem aliquorũ, qui opræsi prædictis D. Anselmi authoritatibus sentiunt, Anselmum vsquè ad *caput* 5. illius *lib.* non incipere loqui ex propria sententia.

97 *Ad testim. in confirm. posita.*

Neque testimonia Anselmi in oppositum relata *num.* 81. vim aliquam habent; imò potiùs cum illis probavimus nostram conclusionem *numer.* 82. & 101. confirmabimus. Non itaq̃ primum: nam illa verba: *Vt interim aliam causam dicam*, non dixit Anselmus limitatè, sed absolutè, quia assentiendo, duplicem esse causam distinctionis Spiritus Sancti à Filio, vnam, scilicèt, ex diverso modo procedendi; & alteram ex origine; quia tamen in illo *cap.* 2. nondum probaverat, Spiritum Sanctum à Filio procedere, præcisa distinctione ex origine orta, distinctionem ex diverso modo procedendi absolutè protulit, & ex propria sententia statuit. Non secundum: quia illa verba: *Cum autem apparebit, &c.* non dixit Anselmus volens: originem Spiritus Sãcti à Filio esse causam præcisam distinctionis, sed esse vnam ex duabus, quam Græci non agnoscebant, & hoc expræsè significat particula *quoque*, vt est per se notum, & ipse Anselmus absque dubio declaravit, quando postquam sequentibus capitulis probaverat processionem Spiritus Sancti à Filio, concludit *cap.* 17. *in principio* his mirabilibus verbis: *Patet ergo, sicut suprà præmisi, præter hoc, quia Filius existit nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque causa, quia, scilicèt, Spiritus Sanctus est de Filio, eos de se invicem non posse dici.* Ex quibus verbis evidentissimè claret, Anselmum vtramque causam distinctionis agnovisse inter Filium, & Spiritum Sanctum in toto illius Epistolæ progressu.

Nec sequitur, vt intentat Ill. Godoy in responsione, quod Anselmus esset sibi contrarius, eo, quod in illo *cap.* 2. doceat, vulgatum illud Theologorum axioma: *In Divinis omnia esse vnum, vbi non obviat relationis oppositio*; falsum namque est Anselmum docuisse illud axioma in sensu ab Ill. Godoy prætenso; & quia vnicum illius, & omnium adversariorum fundamẽtum est axioma prædictum, illud placeat explicare, ex illoque nostrã conclusionem probare, vt mens D. Anselmi, ex quo est deductum, appareat, & Scoti sententia ex ipso firmissima maneat.

98 *Solvitur illatio Ill. Godoy.*

§. VI.

Quarta conclusio statuitur.

99 *4. Concluſ.*

QVarta conclusio: *Distinctio realis personalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est conformior communi Theologorum axiomati.* Hæc conclusio deducitur ex Scoto *citat.* & probatur primò: nam Anselmus nunquam dixit: *In Divinis omnia esse vnum, vbi non obviat relativa oppositio*, sed tantum dixit: *In Divinis omnia esse vnum, vbi non obviat relationis oppositio*; atqui relatio-

Probat. 1.

nis

nis oppoſitio adeſt inter relationes relativè non oppoſitas, quam oppoſitionem ſub nomine *relationis oppoſitio* comprehendit Anſelmus, eamque ſufficere ad diſtinguendas perſonas, manifeſtè cenſet: ergo ſtat, & ſalvatur illud Theologorum axioma abſquè relativa oppoſitione: ergo diſtinctio realis perſonalis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, eſt conformior communi Theologorum axiomati. Tunc ſic; ſed ſenſus, in quo Ill. Godoy accipit axioma prædictum, eſt, quod ſalvari nequeat abſquè relativa oppoſitione: ergo falſum eſt, Anſelmum docuiſſe illud axioma in ſenſu ab Ill. God. prætenſo. Omnia ſunt vera, ſi vera eſt minor ſyllogiſmi, quam ſic probo ex Anſelmo *lib. citat. cap.* 2. dicente: *Hæc itaquè ſola cauſa pluralitatis eſt in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non poſſint de invicem, ſed alij ſint ab invicem, quia prædictis duobus modis (quos dixerat eſſe naſcendo, & procedendo) eſt Deus de Deo, quod totum dici poteſt relatio, nam quoniam Filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur ad invicem, vt diverſi, & alij ab invicem.*

100 *Prob. min. quod ad omnes partes.*

Ex quibus verbis per partes probatur minor prædicta, & primo prima: nam nativitas, & proceſsio ſunt ex Anſelmo relationes oppoſitæ, quin relativè opponantur: ergo relationis oppoſitio adeſt inter relationes relativè non oppoſitas. Secunda pars probatur: Anſelmus per illa verba: *Relationis oppoſitio*, comprehendit omnes relationes, inter quas eſt oppoſitio, vt ex terminis claret: ergo ſub nomine *relationis oppoſitio* comprehendit Anſelmus relationes oppoſitas, quin relativè opponantur. Probatur tertia: diverſitas nativitatis, & proceſsionis ſufficit ad diſtinguendum Filium ab Spiritu Sancto, vt ex Anſelmi verbis eſt manifeſtum: ergo ſentit Anſelmus oppoſitionem relationis, independenter ab oppoſitione relativa, ſufficere, ad perſonas diſtinguendas.

101 *Genuina mens D. Anſelm. & 2. probatio cõcluſionis.*

Et quod hæc ſit genuina mens D. Anſelmi, conſtat alijs authoritatibus, ex quibus probatur ſecundò noſtra concluſio: Prima authoritas eſt: nam loquendo de diſtinctione Filij ab Spiritu Sancto, & illam ſtatuendo *cap.* 2. ex diverſo modo procedendi, ſeu ex oppoſitione relationis, ait: *Filius autẽ, vt interim aliam cauſam dicam*: ergo præter cauſam ex oppoſitione relationis, aliam cognovit, & certè non aliam, niſi proceſsionem, ſeu oppoſitionem relativam. Secunda, quia *cap.* 3. *poſt medium*, inquit: *Cum autem apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit eſſe Filius Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus Filius*: ergo præter hoc, quod Filius diſtinguatur ab Spiritu Sancto propter hoc, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, aliam cauſam diſtinctionis agnoverat, & certè non aliam, niſi diverſitatem nativitatis, & proceſsionis. Atqui hæc eſt oppoſitio relationis, & illa relativa oppoſitio: ergo vtramque cauſam diſtinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum agnovit Anſelmus. Tertia: nam *cap* 4. declarando diſtinctionem Filij ab Spiritu Sancto ex diverſo modo procedendi, ſeu ex oppoſitione relationis, relativa oppoſitione præciſſa, hæc tradit: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent eſſentialitèr diverſi*: ergo nullatenus poſſuit Anſelmus oppoſitionem relationis, vt ſolam cauſam pluralitatis in Deo, ob quam Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguantur.

102 *Probat. 3. concluſ. & amplius declaratur mens Div. Anſelmi.*

Probatur tertiò concluſio, & declaratur ampliùs mens D. Anſelmi circa prædictum axioma: nam *cap. 3. paulo poſt initium*, ait: In Divinis omnia eſſe vnum, *vbi non obviat aliqua relationum oppoſitio*; idemque habet *in medio cap.* dicens: *In quibus nulla prædicta intelligitur relatio.* Et *in fine cap.* aiens: *In his omnibus nihil obviat conſequentiæ vnius identitatis, niſi aliqua de ſuprà dictis oppoſitio*; atqui ſi ſola oppoſitio relativa faceret in Divinis diſtinctionem realem ex Anſelmo, Anſelmus non diceret, *vbi non obviat aliqua relationum oppoſitio*; ſed dicere deberet: *Vbi non obviat aliqua relativa oppoſitio*: ergo cum hoc ſecundum non dicat, relationum oppoſitio ſufficiens eſt iuxtà Anſelmum ad faciendam in Divinis realem diſtinctionem. Falſum igitur eſt, Anſelmum docuiſſe illud axioma in ſenſu ab Ill. God. prætenſo.

103 *Obijcies 1.*

Obijcies primò: iuxtà Anſelmum pro nobis relatum oppoſitio relationis, abſtrahendo ab oppoſitione relativa, eſt ſola cauſa pluralitatis in Deo, ob quam Filius, & Spiritus Sanctus

distinguantur; sed hoc nequit asserere Anselmus; alioquim tolleret distinctionem Filij ab Spiritu Sancto, ortam ex oppositione relativa, scilicèt, ex processione: ergo vel falsum est, Anselmum docuisse prædictum axioma in sensu à nobis explicato, vel dicere tenemur: Filium ab Spiritu Sancto nō distingui per processionem, quorum primum est contra nos, & secundum contra Fidem.

104 *Respond. 1.* Respondeo primo negando maiorem: quia Anselmus non docet absolutè, quod oppositio relationis sit sola causa pluralitatis in Deo, ob quā Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, nec nos ita exponimus; sed asserit Anselmus, quod oppositio relationis est sola causa pluralitatis in Deo, ob quam Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, quia nondū in illo *cap.* 2. probaverat, Spiritum Sanctum à Filio procedere, vt fatetur Ill. Godoy *citat.* à nobis *num.* 86. Vndè idem est, ac si diceret: solam oppositionem relationis esse causam sufficientem, ob quam Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, quod est luce clarius in Anselmo; agnovit namque duplicem causam distinctionis Filij ab Spiritu Sancto, quarum prima est diversitas nativitatis, & processionis, seu *relationis oppositio*. Secunda est processio Spiritus Sancti à Filio, seu *relativa oppositio*, vt ex nostris probationibus manet ostensum.

105 *Respond. 2.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: iuxtà Anselmum pro nobis relatum, oppositio relationis, abstrahendo ab oppositione relativa, est sola causa pluralitatis in Deo, ob quā Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, distinctione prima, per se, & formali, concedo maiorem; distinctione omni, nego maiorem; distinguo minorem: nequit asserere Anselmus, quod oppositio relationis sit sola causa pluralitatis in Deo, ob quam Filius, & Spiritus Sanctus distinguantur, omni distinctione, concedo minorem; distinctione prima, per se, & formali, nego minorem, & consequentiam.

Declaratur Iraquè duplici ex causa iuxtà Anselmum Filius distinguitur ab Spiritu Sancto, Vna ex diverso modo procedendi, quia Filius est à Patre nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, quæ distinctio est prima, per se, & formalis, eo, quod oritur ex formalitatibus constitutivis vtriusquè personæ, illiusque causa est oppositio relationis, qua posita, & alia quacumq; præcisa, manerent personæ distinctæ, vt ex dictis apparet. Altera sumitur ex processione, quæ est distinctio secundaria, adventitia, ac veluti à posteriori, eo, quod primam, & formalem supponat; illiusque causa est processio, seu oppositio relativa, quæ licèt optima sit, & sufficientissima, non tamen est præcisa, & adæquata. Vndè oppositio relationis est sola causa distinctionis primæ, & à priori Filij ab Spiritu Sancto; non verò est sola causa omnis distinctionis, quia vltrà illam datur relativa oppositio, quæ est causa distinctionis secundariæ, & à posteriori Filij ab Spiritu Sancto, per quod mens D. Anselmi manet aperta.

106 *Objicies 2.* Objicies secundò: nam Anselmus ad convincendum, Spiritum Sanctū à Patre procedere contra quemdam Episcopum hoc negantem, sic arguit *cap.* 5. *lib. citat*: *Nam si non est ipsum de Patre, quod est* (scilicèt Spiritus Sanctus) *cum sit vnus, idemque Pater, inveniri nequit, vndè sit alius à Patre.* Item: circà finem illius capitis idem argumentum prosequitur Anselmus hoc modo: *Esse autem nequit, nisi aut ex aliquo, sicut Filius, aut ex nullo, sicut Pater, quod si ex nullo quemadmodum Pater existit, vnusquisque per se, vt neuter ab altero, quicquam habeat, sed sunt duo Dij Pater, & Spiritus Sanctus; aut quoniam vnus Deus est, si vterque de nullo est, penitus nihil inveniri valet in Fide Christiana, vndè sint ab invicem alij, sed vnus idemque Pater, & Spiritus Sanctus, & vna persona, quæ vera fides abhorret.* Ex quibus verbis sic contra nos arguitur: iuxtà Anselmum nequit intelligi Spiritus Sanctus esse alius à Patre, si ab eo non est: ergo causa distinctionis Spiritus Sancti à Patre est ex Anselmo, quia Pater est Deus, de quo est Spiritus Sanctus: ergo causa distinctiva personarum in Divinis est iuxtà illius doctrinam, quia vna est originans, & alia originata. Ex quo à paritate infertur hæc consequentia: ergo nequit intelligi Spiritus Sanctus esse alius à Filio, si ab illo non haberet esse; & consequentèr verum est, axioma prædictum, scilicèt, *in Divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio*, Anselmum docuisse in sensu ab adversarijs prætenso. Et certè

hoc

hoc argumentum inſinuat Ill. Godoy *num.* 34. probando ſuam concluſionē, licet illud ex Anſelmo non deducat.

107 *Reſpondeo ex Anſelm.*

Reſpondeo: argumentum Anſelmi validum eſſe, illaque illius conſequentia, ſcilicèt, *ſi Spiritus Sanctus non eſt de Patre, cum ſit vnus idemque Pater, inveniri nequit, vndè ſit alius à Patre*, eſt neceſſaria. Ratio eſt: quia Anſelmus ſumit argumentum contra illum Epiſcopum, quæm Græci ſequebantur, aſſerentem: Spiritum Sanctum à Filio non procedere, quo ſuppoſito, evidens eſt conſequentia; nam cum vnus ſolus ſit Pater, ſi ab hoc non procedit, & alioquìm nec à Filio iuxtà illum Epiſcopum, aſsignari nequit alia perſona, à qua Spiritus Sanctus procedat, & conſequentèr nec haberet relationem relativam, nec diſparatam. Cœterum illa alia conſequentia, quæ à paritate infertur, ſcilicèt, *nequit Spiritus Sanctus intelligi eſſe alius à Filio, ſi ab illo non haberet eſſe*, eſt omninò falſa, quia ſi non eſſet à Filio, eſſet tamen à Patre per proceſsionem, & ſic perſonalitèr diſtinctus à Filio, qui eſt per nativitatem, quæ ſunt relationes oppoſitæ diſparatè.

108 *Reſpondeo in forma.*

Vndè in forma reſpondeo ad obiectionem, diſtinguendo antecedens: iuxtà Anſelmum nequit intelligi Spiritus Sanctus eſſe alius à Patre, ſi ab eo non eſt, arguendo ad hominem contra illum Epiſcopum, concedo antecedens; abſolutè, nego antecedens; & diſtinguo primū conſequens: ergo cauſa diſtinctionis Spiritus Sancti à Patre eſt ex Anſelmo, quia Pater eſt Deus, de quo eſt Spiritus Sanctus, in ſuppoſitione prædicti argumenti, ſubdiſtinguo; cauſa illativa, concedo conſequentiam; præciſſa, nego conſequentiam, & diſtinguo ſimilitèr ſecundum conſequens.

Declaratur

Itaquè in ſuppoſitione argumenti, nempè, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, proceſsio à Patre eſt cauſa diſtinctionis Spiritus Sancti à Patre, non præciſſa, quia primo, & à priori diſtinguerentur per oppoſitionem relationum Paternitatis, & paſsivæ Spirationis; ſed ſecundaria, & à poſteriori, quæ in ſuppoſitione argumenti prædicti eſſet cauſa illativa diſtinctionis, ſcilicèt, quia data proceſsione à Patre, vtraque eſſet diſtinctio, nempè, & per opoſitionem relationū, & per relativam oppoſitionem; at ablata proceſsione à Patre, neutra eſſet, quia nec relativam, nec diſparatam haberet relationem. Ex his namq̄ ad conſequentiam à paritate deductam reſpondeo, illam negando, quia ſi à Filio non procederet, eſſet nihilominus à Patre, & conſequentèr diſtingueretur à Filio, qui non per proceſsionem, ſed per generationem haberet eſſe, ſicut ſi à ſolo Filio procederet, diſtingueretur à Patre, ex quò retorſio fieri valet.

Ad vltimā conſequentiam reſpōdeo.

Retorqueo.

109 *Obijcies 3.*

Obijcies tertiò: Anſelm. *cit. cap. 5. in fine*, hæc habet verba: *Quoniam vnus Deus eſt Pater, & Spiritus Sanctus, ſi vterque de nullo eſt, nihil inveniri valet in Fide Chriſtiana, vndè ſint ab invicem alij, ſed vnus, idemque, vnaque perſona erunt*: ergo iuxtà Anſelmum, vt Pater, & Spiritus Sanctus ſint ab invicem alij, & perſonæ diſtinctæ, debet Spiritus Sanctus à Patre procedere, & conſequentèr, vt Pater, & Spiritus Sanctus diſtinguantur, debet eſſe inter illos relativa oppoſitio, ſeu originatio.

Reſpondeo

Reſpondeo concedendo verba Anſelmi, & negando conſequentiam; nullo enim modo ſequitur ex verbis Anſelmi. Anſelmus namque non dicit: *Si vnus non ſit ab alio*, ſcilicèt Spiritus Sanctus à Patre, ſed inquit: *Si vterque de nullo eſt*, ex quo abſque dubio ſequitur, quod Spiritus Sanctus erit vnus, & idem cum Patre, & vna perſona, quia facta hypoteſi, quod Spiritus Sanctus de nullo ſit, nullam haberet oppoſitionem relationis cum Patre, vtpotè, paſsivam Spirationem non haberet, ſolumque eſſet Divina Eſſentia, vndè optimè ait Anſelmus, quod in hypoteſi facta, quod Spiritus Sanctus à nullo procederet, non diſtingueretur à Patre.

110 *Falſitas cōſequentiæ oſtenditur.*

Aſt malè infertur conſequentia ex verbis Anſelmi; nam vt eſſet benè illata, debebat Anſelmus ſic arguere: *Si Spiritus Sanctus non eſt de Patre, non diſtinguitur ab illo*, cœterum non ſic arguit, ſed inquit: *Si vterque de nullo eſt*, in qua propoſitione includitur hæc: *Si Spiritus Sanctus de nullo eſt*, ex quo inferre non valet: ergo vt Pater, & Spiritus Sanctus ſint ab invicem alij, & perſonæ diſtinctæ, debet Spiritus Sanctus à Patre procedere, quia dummodo Spiritus Sanctus à ſolo Filio procederet, eſſet realitèr diſtinctus à Patre, & perſona diſtincta, nam in hoc caſu haberet Spirationem paſ-

ſi-

sivam,& consequentèr oppositionem relationis cum Paternitate, quæ oppositio iuxtà Anselmum facit in Divinis realem distinctionem.

111 *Objcies 4.* Objicies quartò: hoc axioma: *In Divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio*, intellectum de oppositione relativa, deducitur ex Anselmo: ergo nostra sententia est contra mentem Anselmi,& contra commune Theologorum axioma. Probatur antecedeus primò:nam Anselmus *cap. 2. post medium*, ait: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo,vt sit Deus de Deo, quod totum potest dici relatio*: ergo si in Divinis non est relatio originis, seu producentis, & producti, qualis est *Deus de Deo*, nulla est causa pluralitatis: ergo erunt vnum: ergo dictum axioma, intellectum de oppositione relativa,deducitur ex Anselmo.

Antecedens probat. 1.

112 *Secundò.* Probatur secundò idem antecedens: nam Anselmus *cap. 3. paulo post principium*, ait: *Suprà dicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia Deus de Deo est, prohibet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria singulorum alijs attribui.* Tertiò: nam *paulo post* ait: *Pluralitas sequitur relationem.* Quartò: nam *paulo ante, & paulo post*, dicitur: *Relationis oppositio.* Quintò:quia paucis interiectis Divinarum vnitatem, & pluralitatem, sic explicat: *Nec vnitas amittat aliquando suam consequentiam, vbi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat, quod suum est, nisi vbi obstitit vnitas inseparabilis*: ergo prædictum axioma, intellectū de oppositione relativa, deducitur ex D. Anselm.

Tertiò.

Quartò.

Quintò.

113 Hæc sunt D. Anselmi testimonia, ex quibus deducunt adversarij axioma prædictum, non vt sonat, & vt à nobis intelligitur de oppositione relationis disparatæ,vel relativæ,sed relativæ tantum oppositionis. Et miror certè, quòd ex his capitibus illud inferre vellint, cum ex eisdem locis nos manifestè nostram opinionem deducamus,vt claret ex triplici nostra probatione,iuxtà quam,& iuxtà Anselmi mentem.

114 *Respondeo ad obiectionem.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem dicere sufficiat: adversarios truncatam tradere authoritatē Anselmi; nam hæc sunt verba illius: *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dici non possint de invicem, sed alij sint ab invicem; quia prædictis duobus modis, (quos dixerat esse nascendo, & procedendo) est Deus de Deo, quod totum dici potest relatio, nam quoniam Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicē, vt diversi, & alij ab invicem.* Ex quibus patet adversarios solum transcribere: *Deus de Deo*, & omittere verba illa: *prædictis duobus modis*; cum ergo illi duo modi sint, *quoniam Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus Sanctus procedendo*, qui non sunt modi relativè oppositi, absquè oppositione relativa sunt Filius, & Spiritus Sanctus iuxtà Anselmum personaliter distincti, vt ex eisdem verbis probavimus *n.* 100.

Ad 1 prob. antecedent.

115 *Ad 2.* Ad secundam antecedentis probationem dicere etiam sufficiat:prædictum textum truncatum etiam ab adversarijs adduci; nam hæc sunt verba Anselmi: *Supra dicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, &c.* Ecce quomodo adversarij omittunt etiam in hoc textu illa verba: *Supradictis duobus modis*, ne fateri cogantur iuxta doctrinam Anselmi, Filium ab Spiritu Sancto personaliter distingui per relationes disparatas,scilicèt,per nativitatem,& processionem, vt clarissimè apparet ex locis Anselmi pro nobis allegatis, quod etiam eadem claritate manifestavit *cap.* 4. vbi inter cetera hæc ait: *Ideò non habere hic vnitatem illam* (scilicèt essentialem) *vim consequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur, & processione.*

116 *Ad 3. & 4.* Ad tertiam,& quartam antecedentis probationem, concedo assumptū; sed nego Anselmum per illa verba: *Pluralitas sequitur relationem*, & *per relationis oppositionem*, intelligere tantum oppositionem relativam, vt constat ex toties dictis, & præcipuè *num.* 100. & 102. Ad quintam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam:quia quando Anselm. illo *cap. 3.* ait: relationis oppositionem obviare, seu obstare vnitati personarum, *paulo ante eodem cap.* dixerat,eam esse oppositionem nativitatis, & processionis, quæ oppositio est tantum disparata,& non relativa.

Ad 5.

117 *Objcies denique.* Objicies denique: oppositio relationis ab Anselmo in axiomate dicta,

est

eſt oppoſitio propriè accepta; ſed oppoſitio diſparata relationum non eſt oppoſitio propriè accepta: ergo oppoſitio diſparata relationum non eſt oppoſitio ab Anſelmo in axiomate dicta. Probatur minor: oppoſitio propriè accepta dividitur ab Ariſtotele in quatuor ſpecies, ſcilicèt, in oppoſitionem relativam, contrariam, contradictoriam, & privativam; ſed ſub nulla ex his comprehenditur oppoſitio diſparata relationum: ergo oppoſitio diſparata relationum non eſt oppoſitio propriè accepta. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando maiorem; quia ibi Anſelmus non ſumit oppoſitionem propriè, ſed magis amplè, ſcilicèt, provt comprehendit, non ſolum oppoſitionem relativam, quæ eſt propriè oppoſitio, ſed vt comprehendit etiam oppoſitionem relationum, vel ſimplicem repugnantiam illarum, vt ſatis manifeſtatum eſt ex Anſelmo, pro quibus ſufficiant illa verba relata: *Nam etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi.*

118 *Oppoſitio diſparata vera eſt, & neceſſaria.*

Nec dicas: hanc oppoſitionem diſparatam eſſe fictitiam, vtpotè, ad nullam quatuor ſpecierum ab Ariſtotele aſsignatarum pertinentem. Nam contra hoc obeſt: quod oppoſitio amplè ſumpta, provt idem eſt, ac repugnantia duorum, dividitur in oppoſitionē relativam, & diſparatam, ideòque oppoſitio diſparata neceſſaria eſt, vt altera ſpecies conditincta ab oppoſitione relativa. Nec impedit, quod ad aliquam ex quatuor illis ſpeciebus non reducatur, quia hoc provenit ex eo, quod oppoſitio diſparata non continetur ſub genere oppoſitorum propriè, ſed ſub genere repugnantium vt ſic; vndè etſi relationes diſparatæ non opponantur oppoſitione propriè dicta; ſunt tamen inter ſe repugnantes, quæ oppoſitio ſufficit, vt in Divinis ſit realis diſtinctio, vt ex Anſelmo clariſsimè deductum eſt.

Ex dictis colligitur: valdè diverſas eſſe has propoſitiones: *In Divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio. In Divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relativa oppoſitio*; nam aliquæ ſunt relationes, quæ relativè opponuntur, vt Paternitas, & Filiatio, activa, & paſsiva Spiratio; aliæ verò ſunt, quæ diſparatè duntaxat opponuntur, vt Paternitas, & paſsiva Spiratio, hæc & Filiatio; vndè qui ab oppoſitione relationum, vel ſimplici repugnantia illarum, facit tranſitum ad oppoſitionem relativam, commitit manifeſtam fallaciam conſequentis, quia fit tranſitus à ſuperiori ad inferius affirmativè: valet namquè: datur oppoſitio relativa: ergo datur oppoſitio relationum, vel repugnantia illarum; non verò è contra; quia oppoſitio relationum, vel illarum repugnantia, eſt ſuperius; oppoſitio verò relativa eſt inferius.

119 *Corollarij ex dictis.*

Ex his deniquè oſtenſum manet: nihil eſſe, quod Scoticæ opinioni non fabeat, ſicut nihil eſſe, quod noſtræ opinioni officiat. Primò: quia ſi ad Concilia recurratur, pro nobis exiſtunt, & vt nobis noceant, infideliter tradunt illorum verba, vt clàret per dicta *num.* 26. & 41. Secundò: quia Scriptura attenta, doctrinam Scoti manifeſtat, quin ſit locus contra illam obiecibilis ex dictis *num.* 77. Tertiò: quia ſi Patres Eccleſiæ examinamus, omnes pro nobis adſunt, quin aliquid contra nos vrgeat, niſi principalius taceatur, vt apparet ex dictis *num.* 71. vel ſine fidelitate adducantur, vt diximus *num.* 73. Deniquè: ſi Anſelmum inſpiciamus, clariſsima in illo teſtimonia habemus, & vt adverſarij Scoti ſententiam impugnent, mutilas, & truncatas authoritates illius referunt, vt conſtat ex allatis *num.* 114. & 115. Dicant nunc, quæ opinio eſt Theologicè probabilior.

120

o)(o

EX TRACTATU DE INCARNATIONE.

QUÆSTIO VIGESIMATERTIA.

An purus homo de condigno satisfacere possit pro suo peccato mortali?

HAnc quæstionem in hoc tomo pertractare, promisimus *tom.1.in 3.Sent.disput.2. num.21.* eo, quod aliqui Scotistæ, & cum illis Mastrius *in 3.disput.4 artic.3. num.235.* pro Scoto defendat, quod Scotus non habet, & oppositum communi Scotistarum opinioni tueatur. Contra ipsum itaque, & contra alios promissum adimplere connabimur. Sit ergo.

§. I.

Supponuntur aliqua, & referuntur sententiæ.

Num.1 1.*Notabile Satisfactio quid est.*

SVppono primò: quod satisfactio in communi secundum nominis proprietatem significat compensationem debiti, & vt notat Scotus *in 4. dist.15.quæst.1.§.Respondeo in fine*, convenireque potest: tàm compensationi gratitudinis, quàm iustitiæ; nam sicut potest satisfieri pro iniuria, seu damno illato; ita etiam pro beneficio accepto. Hæc itaque satisfactio in communi: *Est redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti.* Sic Scotus *in 4. citat.* quem communitèr secuntur Authores. Hanc diffinitionem desumpsit Scotus ex Anselmo *lib.1. Cur Deus homo, cap.19.& 20.* eamque per eius particulas sic explicatur.

2 *Explicatur diffinitio.*

Dicitur *redditio*, quia non est absoluta datio, sicut donatio gratuita; nã ly *satis*, posita in satisfactione, denotat, quod illud, quod datur, est in ordine ad illud, quod fuit receptum. Dicitur *voluntaria*, quia si involuntaria esset, non esset satisfactio, sed satis passio, qualitèr in Inferno damnati satis patiuntur, & non satisfaciunt. Dicitur *æquivalentis*; tum, quia non requiritur æqualitas in entitate, sed in valore, & æstimatione; tum, quia id, quod redditur, debet æquivalere ad illud, quod fuit acceptum; alioquim non redderet satis. Dicitur *aliàs indebiti*, quia nõ debet esse alio titulo debitum; nam per solutionem vt quatuor ratione census non potest satisfieri alio debito vt quatuor ratione emptionis.

Hæc diffinitio sic ab Scoto explicata, æquè acommodatur (vt ipse ait *in fine prædicti §.*) satisfactioni, quæ fit pro iniuria per peccatum illata, ac satisfactioni, quæ in commercijs, & contratibus humanis fit pro lucro recepto, quod maximè notandum est pro dicendis. Et est triplex. Prima est, cui conveniunt omnes prædictæ differentiæ seu conditiones, & aliæ in illis implicitè contentæ, & hæc vocatur satisfactio *ex toto rigore iustitiæ*. Secunda est, cui deficit vltima conditio, scilicèt, *aliàs indebiti*, & hæc dicitur satisfactio *condigna, seu ad æqualitatem*, quia reddit æquale, licèt aliàs sit debitum. Tertia est, cui deficit particula *æquivalentis*, & hæc dicitur *imperfecta, seu de congruo*, quia non reddit æquivalens, quod provenit ex eo, quod vel creditor remittit partem debiti, vel debitor non soluit adæquatè.

3 *Triplex est satisfactio.*

Suppono secundò: quod purus homo actu naturali elicito sine auxilio ordinis naturalis; imò & cum auxilio ordinis naturalis, nec perfectè, nec imperfectè potest de potentia ordinaria satisfacere pro suo, vel alieno peccato. Prima pars huius suppositionis diffinita est contra Pelagianos, & Semipelagianos in Concil. Tridentin. *Sess.6.cap.5.* his verbis: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram*

2.1 bile

ram illo libera ſua voluntate poſsit. Secundam docuit Scotus *in 2.diſtinct.9. quæſt.1. §.Contra, artic.4.* Et ratio eſt: nam ſatisfactio debet eſſe redditio alicuius obſequij, quod habeat aliquam proportionem cum debito contracto per peccatum, quod eſt contra finem ſupernaturalem; ſed actus merè naturalis, adhuc ex auxilio elicitus, non habet proportionem cum aliquo ſupernaturali: ergo purus homo actu naturali elicito cum auxilio ordinis naturalis, nec perfectè, nec imperfectè poteſt de potentia ordinaria ſatisfacere pro ſuo, vel alieno peccato.

5 *3.Notabile* Suppono tertiò: quod de potentia Dei abſoluta poteſt purus homo actu merè naturali imperfectè ſatisfacere pro ſuo peccato, non verò perfectè.

Probat. 1. Prima pars huius notabilis docetur ab Scoto *in 1.diſt.17.quæſt.2. §.de 2.artic.* dicente: *dico, Quod Deus de potentia abſoluta benè potuiſſet acceptare naturam beatificabilem exiſtentem in puris naturalibus, & ſimilitèr actum eius, vt meritorium.* Idem habet *quodlibeto 17.§.Ad argum.* & probatur: opus bonum morale merè naturale eſt aliquod obſequium Deo factum: ergo poterit Deus illud acceptare pro ſatisfactione peccatorum ſaltim imperfecta.

6 *2.pars probatur 1.* Secunda pars ſuppoſitionis docetur ab Scot. *in 3.diſt.20.§.Contra iſtud.* Et *in 4.diſt.15.quæſt.1.artic.2. §.Quantum ad iſtum,* & probatur primo: omnis perfecta, & condigna ſatisfactio reſarcire debet totum honorem læſſum perſonæ offenſæ; ſed contritio merè naturalis reſarcire nequit totum honorem Dei læſſum per peccatum: ergo nequit eſſe condigna, & perfecta. Maior patet: nam ſi quis Petrũ ofendat, vt publicam perſonam, non perfectè ſatisfacit, ſi tantum illi obſequiũ præſtat, vt privativæ perſonæ. Minor probatur: per peccatum non ſolum læditur honor Dei, vt finis naturalis, ſed etiam vt ſupernaturalis; atqui contritio merè naturalis reſarcire nequit totum hunc honorem læſſum: ergo, &c. Probatur minor: nequit reſarcire honorem Dei, vt finis ſupernaturalis, vt de ſe patet: ergo, &c.

7 *Probat. 2.* Eadem pars ſuppoſitionis probatur ſecundò ſpecialitèr: ſummum, quod poteſt facere purus homo cum auxilio ſupernaturali, eſt, poſſe de potentia Dei ſatisfacere de condigno pro ſuo peccato; ſed hoc iuxta Authores contrarios poteſt facere purus homo ſine auxilio ſupernaturali: ergo idem poteſt purus homo ſine auxilio ſupernaturali, ac cum tali auxilio, quod ridiculum videtur, præſertim in ordine ad ſatisfaciendum.

8 *4.Notabile* Quartò ſuppoñendum eſt: quod poteſt purus homo cum auxilio ſupernaturali condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato veniali. Quod docuit D. Auguſtinus, qui verba illa *Ioann. 1. Si confitemur peccata noſtra, fidelis, & iuſtus eſt, vt remittat nobis*, explicat de venialibus. Docuit etiam Scotus *in 4.diſt.15. quæſt.1. artic.2.* Et *diſt.21.quæſt.1.§.In iſta concluſ.* Hocque tenent communitèr Theologi, & vt certum ſupponitur ab Ill. Godoy *in 3.part.tom.1.diſp.2.num.2.*

9 *Probatur ex Socoto.* Probatur ratione Scoti *diſt.21. citat.* poteſt iuſtus conferre Deo aliquẽ actum, qui phiſicè, & moralitèr ſit retractativus venialis, & magis acceptus Deo, quam illi veniale diſplicuit: ergo illo actu non ſolum ad æqualitatem, ſed ſuperabundantèr ſatisfacit pro veniali. Probatur antecedens primo: homo ita contritione Deum diligit, vt Deus per illam illum acceptet ad præmium vitæ æternæ; ſed per veniale non excluditur homo à vita æterna: ergo, &c. Secundò: Charitas magis vnit hominem cum Deo, quam veniale ſeparet: ergo, &c.

10 *5.Notabile* Suppono quintò tanquam certum: poſſe purum hominem cum auxilio ſupernaturali ſati facere imperfectè pro peccato mortali. Hoc ex D. Auguſtino docuit Scotus *in 4.diſtinct.15. quæſt.1.artic.2.* Ex quo apparet, quam ineptè Magiſter Araujo *citat.* ab Ill. Godoy *num.2.citat.* hoc idem ſupponente, citet Scotum pro oppoſita ſententia. Probatur tamen brevitèr ſuppoſitio: contritio eſt actus ſupernaturalis, & retractatio peccati, hominemque, quantum eſt ex parte ſui, convertit ad Deum, cui reſtituit honorem, & obedientiam, eliciturque animo ſatisfaciendi, & eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem: ergo eſt ſaltim imperfecta ſatisfactio. Vndè procedit quæſtio de ſatisfactione perfecta, ſivè condigna.

11 *6.Notabile* Suppono ſextò, vt valdè notandum pro clara quæſtionis intelligentia: difficultatem eſſe de actu dilectionis Dei, & contritionis, qui eſt perfectior ſatisfactio, quæ ab homine iuſto

ex-

exhiberi valet, & cum satisfactio fiat in genere causæ efficientis, quia est causa meritoria, diversa est hæc difficultas ab illa, quæ tractatu de iustificatione proponitur, scilicèt, an contritio sit forma sanctificans? Nam hoc fit in genere causæ formalis.

12 7. *Notabile*

Suppono septimò, vt non minus advertendum pro resolutione quæstionis: aliud esse: actum contritionis, elicitum ab homine Iusto, esse condignam satisfactionem, quantum est ex se, & in actu primo; & aliud: esse condignam satisfactionem in actu secundo pro peccato proprio hominis, elicientis talem actum. Sunt certè valdè diversa. De primo enim non quæritur in præsenti, imo est certum apud nos, quia si actus contritionis, quantum est de se, & in actu primo, non esset condigna satisfactio, non posset esse satisfactio condigna pro peccato alieno, cuius oppositum cum Scoto, & Scotistis statuimus *tom.* 1. *in* 3. *Sent. disput.* 2. *num.* 22. De secundo itaque est quæstio, in qua difficultas non stat in valore, bonitate, & dignitate actus contritionis cum peccato, quantum est ex se, & in actu primo, sed in actu secundo respectivè ad proprium peccatum personę elicientis talem actum contritionis.

13 8. *Notabile*

Deniquè supponendum est id, in quo omnes conveniunt, scilicèt, quod hic purus homo haberet plenitudinē gratiæ, & alia dona supernaturalia, quæ Christus habuit, excepta sola vnione hypostatica. Conveniunt etiā: nullam puram creaturam posse de facto mereri alteri de condigno auxilia, neque gratiam habitualem. Conveniunt item: posse mereri alteri de congruo primam gratiam, & iustificationem, vt Stephanus meruit gratiam D. Paulo. Conveniunt deniquè: nullam puram creaturam etiam de potentia absoluta potuisse exhibere satisfactionem omninò æquivalentem satisfactioni Christi, quia hæc ratione personæ est infiniti valoris, quod non reperiretur in satisfactione puræ creaturæ, imò nec esse superabundans, vti est Christi satisfactio.

14 1. *Sentent.*

Sensus igitur quæstionis est: An pura creatura, supposita in ipsa gratiæ plenitudine, quam Christus habuit, potuerit satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro suo peccato mortali? Qua in re duplicem reperio opositam sententiam. Prima asserit: puram creaturam posse condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro suo peccato mortali. Sic Mastrius *in* 3. *disp.* 4. *quæst.* 5. *artic.* 3. *num.* 235. dicens: hanc opinionem esse Scotistarum melioris notæ, quos citat, & sequitur Gallus *in* 3. *dist.* 20. *disput.* 6. *cap.* 2. pro ipsaque citat Scotum *in* 3. *dist.* 20. §. *Contra istud.* Et *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 2. §. *Quantum ad istum.* Sed Scotus ibi huic opinioni non fabet.

Mastrius.

Gallus, & alij.

Secunda sententia tenet: puram creaturā, quantacumque gratia exornatam, non posse exhibere pro suo peccato mortali condignam, & æqualem satisfactionem. Sic Scotus *in* 4. *citat. lit. E.* dicens: quod absque gratia iustificante non potest in homine reperiri satisfactio æquivalens. Cum ergo peccator non habeat talem gratiā, neque satisfactionem æquivalentem potest elicere. Et *lit. D.* docet: quod de potentia Dei, potest homo satisfacere pro suo peccato mortali, si eliceat attritionem, & propter illam tanquam dispositionem Deus daret gratiam habitualem, & postea eliceret contritionem, quæ contritio, licèt tunc non esset satisfactio pro peccato proprio, quia iam erat remissum per gratiam; erat tamen de se, & in actu primo satisfactio æquivalens; sed in hoc nihil habet Scotus contra communem sententiam, quin potius clarissimè stat pro illa iuxta dicta *num.* 12.

15 2. *Sentent.*

Scotus.

Hanc sententiam tuetur etiam D. Bonaventura *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 3. & 4. cum Anselmo *lib. Cur Deus homo, cap.* 1. Illamque amplectuntur communitèr Theologi. Ricardus *quæst.* 4. Durandus *quæst.* 2. Capreolus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 1. *conclus.* 1. Ferrariensis 4. *contra Gentes, cap.* 54. Quos omnes Thomistæ secuntur cum Angelico Præceptore 3. *part. quæst.* 1. *artic.* 2. texte Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 2 *num.* 3. Tenent etiam ex Patribus Societatis Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.* 4. *sect.* 7. Bazquez *disput.* 2. & communitèr Recentiores ex eadem familia, & alij ab ipsis relati.

16 *D. Bonav. D. Anselm. Ricard. Durandus. Capreolus. Ferrarienſ. Thomiſtæ. Suarez. Bazquez.*

§. II.

Statuitur conclusio, & rationes aliquorum reijciuntur.

17 *Conclusio.*

CONclusio: *Pura creatura, quantacumque gratia exornata, nequit condignè satisfacere pro suo peccato mortali.*

tali. Sic Authores pro secunda sententia relati. Sed licèt omnes in sententia conveniant; tamen in ratione illius reddenda maximè discrepant. Rationes inefficaces videamus, & quia inefficaces impugnemus.

18 *Probatio Capreoli, & Anselm.*

Anselmus, & cum eo Capreolus fundamentum sumunt ex eo, quod satisfactio perfecta fieri poterit per actus, alijs titulis non debitos; omnis autem actus puræ creaturæ possibilis alijs titulis est debitus Deo, nempè, creationis, conservationis, gubernationis, & supræmij dominij, & consequentèr nullus actus possibilis puræ creaturę esse potest pro peccato mortali perfecta, æqualis, & condigna satisfactio.

19 *Reijcitur 1*

Cœterum hæc ratio displicet. Primò: nam vt diximus *tom. 1. in 3. Sent. disput. 5. num. 4.* quod satisfactio alijs titulis non debeatur, ad summum requiritur ad satisfactionem de rigore iustitiæ, non verò ad satisfactionem condignam, & æqualem: ergo quod omnes actus puræ creaturæ possibilis Deo alijs titulis sint debiti, etsi probet, non posse puram creaturam Deo, pro culpa mortali satisfacere de toto rigore iustitiæ; non tamen convincit, non posse pro ea condignam, æqualemque satisfactionem præstare. *Secundò.* Secūdo: quia ex illa sequitur, nec pro veniali peccato posse puram creaturam satisfacere condignè: consequens est falsum, & communi sententiæ contrarium, constatque ex dictis *num. 8. & 9.*: ergo ratio facta est nulla. Patet sequela; nam etiam actus, quibus homo satisfacit pro peccato veniali, sunt Deo alij titulis debiti: ergo si hoc obstat satisfactioni condignæ, non poterit pura creatura condignam, æqualemque pro peccato veniali satisfactionem præstare.

20 *Probatio Caietani, Ferrar. & Sotij.*

Caietanus, Ferrara, & Sotus dicunt: contritionem procedere à gratia habituali, & ita licèt in valore adęquet indignitatem peccati, & consequentèr sit æquivalens satisfactio pro illo; non tamen dicenda est condigna, quia talem valorem habet ex gratia creditoris, & non ex proprijs viribus hominis.

21 *Reijcitur 1*

Sed contra primò: nam vt diximus *tom. & disput. citat. num. 10.*: quod satisfactio procedat à gratia creditoris, non tollit, quod sit æquivalens, & condigna, alioquim Christi satisfactio condigna non esset, sed impedit solum, quod sit ex toto rigore iustitiæ: ergo quod satisfactio puræ creaturæ habeat valorem ex gratia creditoris, licèt probet: non posse puram creaturam Deo pro culpa mortali satisfacere de toto rigore iustitiæ, nullatenus convincit, non posse pro ea æqualem, & condignam satisfactionē exhibere. *Reijcitur 2* Contra secundò: nam etiam hæc ratio probat, non posse puram creaturam pro peccato veniali condignè satisfacere, quod esse falsum diximus *num. 19.* Contra tertiò: quod contritio procedat à gratia habituali, non tollit, quod in valore adæquet indignitatem peccati, & consequentèr quod sit æquivalens satisfactio pro illo iuxtà rationem datam: ergo de facto est satisfactio condigna, quod illi Authores negant. Patet consequentia ex eo, quod ad condignam satisfactionem solum requiritur æqualitas in valore. *Tertiò.*

22 *Probation. Durandi.*

Durandus duplicem adducit rationem. Prima est: quod sicut Dijs, parentibus, & Magistris non potest homo æqualem gratiam referre, vt dixit Aristoteles 8. *Ethicor. cap. vltimo*; ita neque Deo æqualem pro iniurijs illatis satisfactionem præstare. Secunda est: nam sicut homo non potest Regi, aut Reipublicæ satisfacere pro debito, pro quo debet mortem corporalem, quia vita est præstantibus bonum, vt docet Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 3. §. De secundò*, consequentèrque etiam si infinitæ divitiæ multiplicentur, non possunt vitam adæquare, vt etiam docet subtilis Doctor *citat.* ita neque homo potest Deo satisfacere pro peccato mortali, pro quo mortem spiritualem meretur.

23 *Neutra satisfacit.*

Neutra tamen satisfacit, & vltrà hoc, quod neutra est ratio, quia vtraq̃ est paritas; est in vtraque notoria disparitas. Disparitas primæ est: nam ideò non potest homo Deo cōdignas agere gratias pro beneficijs, quia ipsa gratiarum actio est etiam nobum beneficium, pro quo tunc non agimus gratias; ast satisfactio non est nobum debitum, pro quo debeat peccator de nobo satisfacere; non enim est peccatum, sed meritum. Disparitas secundę est: nam in bonis corporalibus nihil est, quod æquivaleat vitæ corporali; cœterum in bonis spiritualibus sunt actus supernaturales ab homine Iusto

procedentes, qui vitę spirituali in dignitate, & valore æquivalent.

24 *Vega respondet.* Noster Vega cum alijs ad probandum, quod purus homo non possit condignè satisfacere, hac vtitur ratione: quia offensa crescit saltim geometricè ex persona læsa, vt constat ex lege: *Aut facta, §. Persona, ff. de pœnis*, & ex Aristot. 5. *Ethic. cap. 5.* dicente, quod si Magistratus percutiat personam vulgarem, non est ipse repercutiendus, si verò vulgaris percutiat Magistratum, maiori est mulctandus, & satisfactio crescit ex persona satisfaciente, & cum Deus offensus sit infinitus, & satisfaciens creatura finita, hinc est, quod non possit Deo ad æqualitatem satisfacere.

25 *Reijcitur.* Sed licèt hæc ratio sit satis apparens, non tamen est efficax; concedo verba legis, & Aristotelis, vtpotè, vera, & à Scoto *in 3. dist. 19. §. Ad 1. principale, litt. G.* admissa, & quod præcisè ex hoc capite est impossibilis satisfactio in creatura respectu Dei, & loquimur de satisfactione iniuriæ, & honoris; nã satisfactio pecuniaria ad æqualitatem fit à persona vili, respectu Regis, ac si esset persona principalis; tamen satisfactio potest crescere ex alijs capitibus, scilicèt, ex obiecto, & circunstantijs; Nam si vilis percutiat Regem, potest tale opus facere, vt satisfaciat superabundantèr, vt si Regem liberet à morte cum periculo propriæ personæ, vel si illi Regnum ablatum ab alijs, restituat. Imò aliqui dicunt, quod in fama ad æqualitatem homo vilis restituet Regi, si coram omnibus fatearur sè fuisse mentitum. Sed quidquid sit de hoc prædicta ratio eadem est cum illa, quam tradit Suarez, de quo *infrà*.

26 *Probatio Ill. God.* Thomistæ omnes, cum quibus Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 2. num. 19.* vtuntur ratione desumpta ex infinitate simplicitèr peccati in ratione offensæ. Sed insufficiens est hæc ratio, & falsum supponens; supponit namq; peccatum in ratione offensæ esse simplicitèr Infinitum, cuius oppositum specialitèr contra Ill. God. defensavimus *tom. 1. in 3 Sent. disp. 1.* vbi falsitatem videndam relinquo.

Reijcitur.

27 *Probatio Suarij.* Ob hoc itaquè Suarez *disput. 4. sect 7.* postquam impugnavit infinitatem offensæ simplicitèr, ea ratione ducitur, vt probet, non posse puram creaturam pro peccato mortali ad æqualitatem satisfacere; nam res ordinis inferioris, quantumcumq; multitudine, perfectione, aut intensione crescant, non possunt adæquare id, quod existit in ordine superiori; quo circà iniuria in vita, vel fama, per pecunias, quæ inferioris ordinis sunt, ad æqualitatem compensari non potest, & peccata venialia, etsi in infinitum multiplicentur, adæquare nequeunt gravitatem vnius peccati mortalis; sed peccatum mortale in ratione offensę, etsi non sit gravitatis infinitæ simplicitèr; est tamen gravitatis superioris ordinis ad quamlibet satisfactionem puræ creaturæ possibilem: ergo nullius entis creati, aut creabilis satisfactio compensare potest ad æqualitatem offensam peccati mortalis.

28 *Prob. min.* Probat minorem: nam ofensa crescit in gravitate ad incrementum dignitatis personæ, cui irrogatur; satisfactio vero ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, non verò ad incrementum dignitatis personæ, cui satisfactio exhibetur, quin potiùs ex illius incremento decrescit; sed Deus per peccatum mortale gravitèr offensus superioris ordinis est ad omnem creaturam possibilem, quantacumque gratia exornatam: ergo gravitas offensæ illi factæ superioris ordinis est ad dignitatem satisfactionis omnis creaturæ possibilis. Hac ratione vtitur Suarez *citat.* vt probet, non posse puram creaturam pro peccatis alienis satisfacere condignè, ad quã etiam se remittit *sect. 9.* vbi tractat de satisfactione pro peccatis proprijs puræ creaturæ possibilis.

29 *Impugnat Ill. God.* Hanc Suarij rationem impugnat Ill. Godoy *tom. & disp. citat. à num. 10. vsquè ad num. 17.* Sed vellit, nollit, suam doctrinam impugnat, rationem Suarij impugnando. Quod demonstro: nam Ill. Godoy *tom. & disp. citat. num. 77.* infert ex dictis in disputatione, quod etiam si esset dabilis gratia infinitę intensionis, & actus ab illa eliciti infinita intensione gaudentes, adhuc per tales actus non posse pro offensa mortali satisfieri cõdignè. Quod patet: nam etsi illi actus essent infiniti intensivè; illorum tamen infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ mortalis: ergo illius gravitatem non adæquarent in morali æstimatione, & consequentèr pro illa satisfactio condigna non essent. Proba-

tur

tur antecedens: nam infinitas offensę mortalis est ordinis per communicationem Divini, vtpotè, ab ipsa Dei Maiestate præstita immediatè formaliter; sed infinitas intensiva, quam in gratia habituali, & in actibus ab illa procedentibus, disputationis gratia, supponimus, illius ordinis non est; non enim est per communicationem Divinitatis Divina, sed tantum per participationem illius: ergo talis infinitas esset inferioris ordinis ad infinitudinem offensæ mortalis.

30 *Explicatio Ill.Godoy.*

Hoc explicat *num.*78: quia etsi gratia infinitæ intensionis per impossibile in anima Christi residens, illam infinitè sanctam redderet; non tamen æquè sanctam constitueret, ac est sancta per gratiam substantialē vnionis; eo, quod infinitas à gratia vnionis proveniens, est Divina per communicationem, quia ab ipsa Deitate, vel ab alio prædicato Divino; tanquā à forma, præstatur; quæ tamen à gratia habituali infinitè intensa daretur, non esset per communicationem Divinam, sed tantum per participationem: at infinitas offensæ est ordinis Divini communicativè, scilicèt, per communicationem immediatam Divinitatis, se ipsa, vt forma, offensam gravificantis: infinitas autem illis actibus permissa non est Divini ordinis per communicationem, sed tantū per participationem: ergo huiusce modi infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ: ex quo vlteriùs fit, vt gravitatem offensæ non adæquaret, ac proindè tales actus, quamvis infinitè intensi, pro mortali offensa condigna satisfactio non essent.

31 *Impugnatio Ill.God. est contra ipsum.*

Ex hac igitur Ill.Godoy doctrina evidenter, & absquè dubio sequitur: quod etsi peccatum esset in ratione offensæ simplicitèr finitum, adhuc in illius opinione purus homo non posset condignè, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere; eo, quod actus satisfactorius esset inferioris ordinis ad gravitatem peccati mortalis. Hoc itaquè legitimè ex doctrina illius deducto, argumentum desumo contra Ill.Godoy.

32 *Ratio proponitur.*

Data per impossibile infinitate intensiva in gratia, & actibus ab ea elicitis, adhuc per tales actus non posset homo pro offensa mortali condignè satisfacere, quia illi actus essent inferioris ordinis ad infinitatem offensæ mortalis: ergo dato, quod peccatum in ratione offensæ non esset simplicitèr infinitum, dummodo esset superioris ordinis ad actus à puro homine eliciendos, non posset purus homo pro offensa mortali condignè satisfacere. Consequentia est iuxtà Ill.God. legitima. Atqui hæc est ratio Suarij, & quam impugnat Ill. God: ergo suam doctrinam impugnat, dum Suarij doctrinam impugnat.

Nos autem sine nota aliqua inconsequentiæ, quam patitur Ill.God. in impugnatione rationis Suarij, facilitèr per multa reijcimus, de quibus *tom.citat.disp.*2.§.8. vbi argumento de superioritate ordinis plures dedimus solutiones, quarum quælibet est prædictæ rationis impugnatio.

33 *Ratio Suarij impugnata manet*

§. III.

Reijcitur ratio Vasquij.

34 *Ratio Vasquij proponitur.*

BAzquez verò *disp.* 2. postquam per tria capita varias retulit, & reffellit rationes, rationem assignat *cap.* 5. quæ ad hanc formam reducitur: Satisfactio illa, quæ non compensat totum debitum, sed partem debiti gratis condonatam supponit, satisfactio perfecta non est; at satisfactio quælibet puro homini possibilis talis conditionis est, vt necessariò partem debiti gratis condonatam supponat: ergo omnis satisfactio possibilis puro homini deficit a ratione perfectæ satisfactionis. Maiorem non probat, sed vt notam relinquit.

35 *Prob. min.*

Minorem autem ostendit ex doctrina Cœlestini *in Epist.cap.*4 Prosperi ad Capitula Gallorum *Responsione* 8 & ad excepta Genuensium *Repons.*3. Fulgentij *lib. de Incarnatione, & Gratia, cap.*12. Et Bernard *lib.de Libero arbitrio circà medium.* Qui patres docent: per peccatum primi Parentis omnes nos contraxisse debitum carendi perpetuò omni sancta cogitatione; ac proindè idem dicendum est de quolibet peccato mortali, scilicèt, peccatorem ratione illius contrahere debitum carendi perpetuò omni auxilio ad resurgendum, & ad conversionem in Deum. Sed omnis actus satisfactorius noster hoc debitum extinctum supponit, cum per collationem auxilij debitum illo carendi tollatur: talis autem collatio necessariò omnem nostrum actum præcedat: ergo omnis satisfactio puro homini pro pec-

caro proprio posibilis, partem debiti gratis condonatam necessario supponit, & consequenter satisfactio perfecta non est. Hanc Vasquij rationem amplexi sunt plures ex Societate, præcipue Hurtado *disp.* 1. *diffic.* 10. 11. & 12. quāvis ab illo in aliquibus differat.

36 *Reijcitur* 1

Hæc tamen ratio Bazquez latè, & doctè reijcitur à Lorca *disp.* 4. displiceq̄ communitèr Theologis, & non solum rationibus, verum etiam ad hominem à nobis est reijcienda. Reijcitur primò: nam Authores disputantes: an pura creatura possit pro peccato mortali æqualitèr, & condignè satisfacere? Non locuntur de omni pœna peccato mortali debita, sed de peccato mortali secundum rationem culpæ, & offensæ; at ratio istius Authoris non probat impotentiam puri hominis ad satisfaciendum perfectè pro culpa, sed solum ad satisfaciendū pro aliqua pœna, peccato mortali debita, nempè, pro carentia auxilij, quæ per auxilij exhibitionem ablata, gratisque remissa supponitur: ergo in sensu, in quo præsens difficultas communitèr controvertitur, nihil ratio ista convincit, sed totum intentum contrariæ sententiæ concedit. Vndè meritò adiungi poterit Bazquez Authoribus sententiæ contrariæ.

37 *Prob. min.*

Probo minorem: carentia Divini auxilij iuvantis ad contritionem, non est culpa, nec pars culpæ, sed solum obtinet rationem pœnæ, cum adhuc, huiusmodi carentia ablata per collationem auxilij, tota essentia peccati mortalis integra perseveret; at quidquid est in peccato mortali præter carentiam prædictam, sufficienter tollitur per actum contritionis, vt per cōdignam, & æqualem satisfactionem in sententia istius Authoris: ergo illius ratio non probat insufficientiam purę creaturæ ad satisfaciendum perfectè pro peccato mortali secundum rationem culpæ, sed solum impotentiam ad satisfaciendum perfectè pro pœna, peccato mortali debita.

38 *Reijcitur* 2

Reijcitur secundò: ideò iuxtà Bazquez nequit homo perfectè satisfacere, quia illi gratis condonatur auxiliū, cuius carentia erat illi debita per peccatum: ergo Christus Dominus non exhibuit perfectam satisfactionē pro peccatis nostris. Hæc consequentia probatur: nam homines per peccatū contraxerunt debitum carendi omni beneficio gratuito in ordine ad supernaturalem finem; sed Incarnatio fuit verum beneficium hominibus collatum, & præcipuè in sententia Vasquij dicentis, totale motivum Incarnationis fuisse Redemptionem à peccatis: ergo in collatione Incarnationis dimissum est à Deo debitum carendi tali beneficio, quod debitum contractum erat per peccatum; sed Christus non potuit satisfacere pro hoc debito, quia Christus non meruit suam Incarnationem ex dictis *tom.* 1. *in* 3. *Sent. disp.* 3. *num.* 66: ergo non satisfecit perfectè pro peccatis.

39 *Respondent Sectatores Vasquij.*

Respondent Sectatores Vasquij: quod homo per peccatum solum cōtraxit debitum carendi effectibus prędestinationis, scilicèt, gratia, & gloria, &c. vel carendi omni illo, quod redit illum formalitèr dignum amicitiæ Dei, non tamen carendi Mysterio Incarnationis. Sed contra: quia ideò peccator contraxit debitum carendi auxilio, quia per peccatum est indignus amicitia Dei: ergo consequenter est indignus omni illo, quod cum tali amicitia habet connexionem ad illam reparandam; sed Incarnatio, cum sit principium omnis meriti, habet talem connexionem: ergo contraxit debitum carendi Incarnatione.

Contra.

40 *Reijcitur* 3 *ad hom. cōtra Bazquez.*

Reijcitur tertiò ad hominem contra Bazquez: semel collato gratis auxilio, homo per contritionē ad æqualitatem satisfacit pro toto peccato: ergo condignè etiam satisfacit pro debito carendi auxilio. Antecedens est doctrina Vasquij 1. 2. *disput.* 203. *cap.* 10. dicentis: Contritionem nativa virtute esse incompossibilem cū peccato, etsi de facto formalitèr illud nō expellit, est, quia gratia habitualis præcedit contritionem, tanquam causa efficiens illius, & ita contritio invenit peccatum expulsum per gratiam. Consequentia verò probatur: debitū carendi auxilio oritur ex peccato; sed iuxtà Bazquez semel collato gratis auxilio, homo per contritionem ad æqualitatem satisfacit pro toto peccato: ergo condignè etiam satisfacit pro debito carendi auxilio.

41 *Dices pro ipso.*

Dices pro Vasquio: falsam esse consequentiam, & malè illatam ex præmissis; nam in minori supponitur auxilium gratis collatum ad actum contritionis, consequenter debitum carendi auxilio ablatum est, seu re-

missum, ideòque non est locus, vt fiat pro illo satisfactio. Ast in consequentia non supponitur debitū ablatum, & cum per contritionem auferri nequeat, quia contritio ablatum debet supponere per collationem auxilij, per contritionem nequit pro illo satisfieri. Contra: nam post collationem auxilij adhuc homo manet indignus illo, donec per gratiam auferatur culpa, in qua fundatur debitum: ergo adhuc retinet debitum carendi auxilio.

42 *Respondent aliqui pro Vasquio.* Respondent aliqui pro Vasquio: verum esse, per collationem auxilij non auferri ab homine indignitatem carendi auxilio radicalem, quia hæc est macula, quæ per collationem auxilij non auffertur; auferi tamen indignitatem formalem carendi auxilio, quia hæc non potest stare nisi cum carentia auxilij. *Contra.* Sed contra: vel hæc indignitas formalis est ipsa carentia auxilij, vel est proprietas, quæ necessariò sequitur ex macula peccati? Non carentia auxilij; alias homo in puris naturalibus, non habens auxilium, diceretur habere debitum formale, & indignitatem carendi auxilio, quod est contra omnes. Si est proprietas orta ex macula: ergo dum macula non auffertur, manebit talis indignitas, etiam si homo habeat auxilium; nam optimè stat auxilium cum indignitate carendi illo.

43 *Respondet Hurtado.* Respondet Hurtado *difficult.* 12: quod peccator satisfacit pro debito subiectivo carendi auxilio, quod non remittitur à Deo gratis, non tamen satisfacit pro ipsa carentia auxilij, quæ est debita, & vocatur debitum obiectivum, quia est obiectum debiti subiectivi, quod debitum hominem denominat debitorem. *Contra* 1. Sed contra primò: quia talis carentia est pœna debita, vt ipse etiam fatetur: ergo etiam si homo pro illa carentia auxilij non satisfaciat, pro toto peccato ad æqualitatem satisfacit. *Contra* 2. Contra secundò contritio secundum ipsum est satisfactio pro debito carendi auxilio: ergo etiam erit satisfactio pro carentia auxilij; nam qui satisfacit pro debito pecuniæ, etiam satisfacit pro pecunia.

44 *Dices.* Dices: quod ipsa carentia auxilij per condonationē auxilij præsupponitur ablata, & ita non potest pro illa satisfacere. Sed contra: quia secundū Hurtado *citat. & diffic.* 10. *num.* 45. & etiam secundum Bazquez à nobis *cit. num.* 30. etiam si peccatum præsupponatur remissum per habitum charitatis, adhuc contritio est perfecta satisfactio pro peccato, quia de se habet talem virtutem, & per accidens non expellit: ergo similiter: etiam si carentia auxilij præsupponatur ablata, sufficit, quod contritio sit ex natura sua satisfactiva pro illa, vt dicatur, quod pro illa satisfacit. *Contra.*

45 *Respondent Bazquez, & Hurtado.* Respondent Bazquez, & Hurtado: esse diversam rationem; nam contritio necessariò, & quasi essentialiter procedit ab auxilio, & ita contritio nequit esse satisfactio pro carentia auxilij. At verò contritio à gratia procedit per accidens; nam potetat non procedere ab illa, & ita poterit satisfacere pro culpa, quam gratia remittit, non verò pro carentia auxilij.

46 *Contra* 1. Sed contra primo: quia nihil refert, quod contritio potuerit non procedere à gratia, si de facto ab illa procedit, & hoc non obstante, est satisfactio pro peccato: ergo & pro carentia auxilij. *Contra* 2. Contra secundò: quia etiam per accidens est, quod contritio procedat ab auxilio, cum potuerit Deus contritionem naturalem acceptare pro remissione peccati, vt diximus *num.* 5. cum Scoto. *Contra* 3. Tertiò: quia contingere potest, quod in eodē instanti, in quo confertur auxilium, eliciatur contritio, & tunc nulla fiet remissio debiti obiectivi, quia tunc auxilium non datur indigno, cum in eodem instanti sit homo sanctus, tùm per gratiam habitualem, tùm per contritionem secundum ipsos: ergo tunc contritio erit perfecta satisfactio pro toto peccato, & pro toto debito.

47 Iam ex his apparet: rationem Vasquij inefficacem esse ad probandam nostram, & communem opinionem: restat tamen impugnare id, quod asserit, scilicèt, contritionem esse satisfactionem perfectam pro peccatis, supposita condonatione auxilij. *Impugn.* 1. Hoc itaquè impugnatur primo: ideo iuxtà Bazquez contritio est perfecta pro peccatis satisfactio, quia est forma sanctificans; sed hoc est falsum, vt dicitur *tract. de Iustificatione*: ergo contritio non est perfecta pro peccatis satisfactio. *Secundò.* Impugnatur secundò: nam dato, quod cōtritio esset forma sanctificans, contritio expellet peccatum in genere causæ formalis, & non effi-

cientis: ergo non est perfecta pro illo satisfactio. Probatur consequentia: satisfactio fit in genere causæ efficientis, & non formalis; sed dato, quod contritio esset forma sanctificans, cõtritio per te expellet peccatum in genere causę formalis, & non efficientis: ergo non est perfecta pro illo satisfactio.

48 *Tertiò.* Impugnatur tertiò ad hominem contra Bazquez: nam iuxtà ipsum *disp. 2. cap. 6. num. 60.* contritio non est meritoria condignè gratiæ habitualis: ergo nec est satisfactio condigna pro offensa. Probatur consequentia: ideò namque asserit: contritionẽ non mereri de condigno infusionem gratiæ habitualis, quia illam infussam supponit ex parte causæ efficientis; sed etiam præsupponit culpam remissam, vt expræsse idem Author fatetur loco citato: ergo non est satisfactoria pro offensa, quæ iam remissa supponitur.

49 *Respondet Bazquez.* Respondet Bazquez: de ratione satisfactionis non esse, quod virtute illius debitum remittatur, sed potest post debiti remissionem exhiberi, & ideò satisfactio dicitur, quia ex parte exhibentis illam satis est factum pro debito, estò remissum præsupponatur; de ratione autem meriti est, non subsequi, sed antevertere exhibitionẽ præmij: ideòque potest dici contritio satisfactio sufficiens pro culpa, quę remissa præsupponitur, non autem meritum gratiæ habitualis præcedentis ex parte causæ efficientis.

50 *Reijcitur 1* Hæc tamen Vasquij solutio reijcitur primò: nam ideò meritum petit non subsequi, sed antecedere præmium, quia meritum est via, per quã itur ad mercedem; sed etiam satisfactio est via, per quam itur ad extinguẽdum debitum: ergo petit antevertere remissionem illius, & eiusdem extinctionem.

51 *Reijcitur 2* Reijcitur secundò: nam vel Bazquez loquitur de satisfactione quoad exercitium, vel solum quoad sufficientiam. Si primum: falsum est, posse supponere extinctionẽ debiti; nam remissa offensa, non est locus exercitio satisfactionis, sicut neque exercitio solutionis est locus, debito iam remisso, vel soluto, aliàs prætio semel exhibito, posset quis dici actualitèr debitum solvens, si quantitatem similem iterum daret. Si secundum dicatur: nullum est discrimen inter satisfactionem, & meritum quoad hoc, quod est subsequi, vel antecedere; sicut enim actus adęquans offensam dici potest satisfactio per modum actus primi, & quoad sufficientiam pro offensa iam condonata, eo, quod illi in morali æstimatione adæquatur; ita actus ex se adæquans pręmium in morali æstimatione dici potest meritum condignũ quoad sufficientiam illius, & per modum actus primi, estò præmium exhibitum iam supponatur: ergo non subsistit discrimen inter meritum, & satisfactionem, à prędicto Authore statutum.

§. IV.

Nostra conclusio duplici ratione ostenditur.

His igitur rationibus, vt insufficientibus, relictis, communis Theologorum sententia suadenda est primo hac ratione: si purus homo posset satisfacere de condigno pro suo peccato mortali, satisfaceret actu contritionis, qui est perfectior satisfactio, quæ ab homine exhiberi potest; sed nequit purus homo actu cõtritionis pro suo peccato mortali cõdignè satisfacere: ergo pura creatura, quantacumque gratia exhornata, nequit condignè satisfacere pro suo peccato mortali. Probatur minor: vel contritio fit ab homine peccatore, vel ab homine Iusto? Sed quomodocumque sit, nequit purus homo actu contritionis pro suo peccato mortali cõdignè satisfacere: ergo nequit purus homo actu contritionis pro suo peccato mortali condignè satisfacere. Consequentia est legitima. Maior indubitabilis. 52 *1. ratio.*

Minor autem probatur de homine peccatore: valor satisfactionis prę-cipuè sumitur ex dignitate personæ satisfacientis, sicut gravitas offensæ ex dignitate personæ offensæ, sed homo peccator nullam habet dignitatẽ apud Deum in ordine ad supernaturalia, qualis est remissio offensæ: ergo si contritio fiat ab homine peccatore, nequit purus homo actu contritionis pro suo peccato mortali condignè satisfacere. 53 *1. pars minoris probatur.*

De homine Iusto probatur eadem minor: nam actus contritionis elicitus ab homine Iusto supponit culpam remissam; sed actus consequens remissionem culpæ nequit esse condig- 54 *2. pars probat.*

na

na satisfactio pro culpa iam remissa: ergo si contritio fiat ab homine iusto, nequit actu contritionis satisfacere condignè pro suo peccato mortali. Probatur minor: satisfactio pro culpa est causa efficiens moralis remissionis culpæ: ergo debet antecedere remissionem culpæ: ergo actus consequens remissionem culpæ nequit esse condigna satisfactio pro culpa iam remissa.

55 *Dices cum Mastrio.* Dices cum Mastrio *citat. num.* 239. falsum esse: actum contritionis, elicitum ab homine iusto, supponere culpam remissam; nam actus contritionis procedens à gratia, est prior natura, quam remissio peccati. *Contra.* Contra: vel actus contritionis procedit à gratia, vt iustificante, vel auxiliante? Si primum: ergo actus contritionis supponit culpam remissam in eliciente talem actum; quia repugnat gratiam, vt iustificantem, esse in subiecto, & nō reddere subiectum sanctum. Si secundum: ergo est peccator, consequentèrque stat vis nostræ probationis.

56 *2. ratio.* Probatur secundo conclusio: vel actus contritionis supponit culpam remissam, vel non? Si primum: ergo remissionem culpæ consequitur: ergo nequit esse condigna illius satisfactio ex dictis *num.* 54. Si non: ergo sequeretur, quod actus contritionis, quo impius ad iustificationem extrà Sacramentum disponitur, esset de facto condigna satisfactio pro peccato mortali; sed hoc est falsum: ergo nullo modo potest purus homo actu contitionis pro suo pecato mortali condignè satisfacere. Maior, & consequentia tenent.

57 Falsitas autem consequentis probatur: nam remissio culpæ fit gratis à Deo, vt diffinit Concilium Trident. *Sess. 6. de Iustificat. cap. 7. 8. & 9:* *Ideò* (inquit) *nos dici gratis Iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sivè fides, sivè opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Ex quibus Concilij verbis inferunt communitèr Theologi, opera iustificationem antecedentia, sivè tempora, sivè natura, non esse merita condigna gratiæ remissivæ peccatorum; quia alias gratia remissiva peccati, non esset gratia, sed corona iustitiæ; sed non minus opponitur conditioni gratiæ satisfactio condigna, quam meritū condignum, cùm non minus ex iustitia extinguatur debitum condigna satisfactione, quam tribuatur præmium merito condigno: ergo actus contritionis à peccatore extrà Sacramentum elicitus, non est condigna satisfactio pro offensa mortali propria; alias remissio offensæ mortalis non fieret gratis à Deo, quod est contra Concilium Tridentinum.

§. V.

Argumenta Mastrij, & aliorum solvuntur.

58 *Arguit 1. ex Scoto.* ARguit primò Mastrius *citat. numer.* 235. Scotus *in 3. dist.* 20. *§ Contra istud.* Et *in 4. dist.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 2. *§ Quantum ad istum*, stat pro sententia oppositā nostræ conclusioni: ergo nequit à nobis defendi. Antecedens debebat Mastrius probare verbis Scoti, quod non facit, quia Scotum citat, & verba non adducit. *Respondeo.* Respondeo itaquè: Scotum his in locis nihil habere contra nostram conclusionem, quia potiùs illi omninò fabet; ideòque Scotum *in 4. citat.* pro nostra sententia retulimus *num.* 15. ex ibique dictis manifestè apparet, quod Scotus à Mastrio in suum faborem adductus, solum vult: contritionem esse satisfactionem condignam quantum est ex se, & in actu primo; non verò esse condignam satisfactionem in actu secundo respectivè ad propriū peccatum, quod est valdè diversum, vt notavimus *num.* 12. Et hoc modo intelligendus est Magister vbicumq̄ de hoc loquatur, in quo ab illo non discedimus, sed mentem ipsius tuemur potiùs.

59 *Arguit 2.* Arguit secundò idem Mastrius *citat. num.* 236. In actu contritionis potest adesse tanta bonitas moralis, & Theologica, vt non solum æquet, sed etiam superet malitiam moralem, & Theologicam peccati originalis, & cuiuscumque actualis: ergo potest esse condigna satisfactio pro illo. *Respondeo.* Respondeo ad argumentum concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo actus contritionis potest esse condigna satisfactio pro quocumq̄ peccato, quantum est ex se, & in actu primo, concedo consequentiam; in actu secundo respectivè ad proprium peccatum, nego consequentiam. Solutio claret ex *num.* 12. & ratio manifesta videtur, eamque contra Mastrium repetere liceat.

Nam

60 *Ratio solutionis.*

Nam ille actus contritionis, vel elicitur ab homine peccatore, vel ab homine Iusto? Si à peccatore; non est condignè satisfactorius, nec pro peccato proprio, nec alieno, quia licèt in bonitate morali adæquet malitiam peccati, vt docet Scotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. non tamen in valore, & dignitate ex dictis *num.* 53. Si autem eliciatur ab homine Iusto; non est condigna satisfactio pro peccato proprio, quia licèt adæquet malitiam peccati in bonitate, valore, & dignitate, quantum est de se, & in actu primo; non tamen in actu secundo respectivè ad proprium peccatum, quia supponit culpam remissam, quod obest, vt sit illius satisfactio, ex dictis *num.* 54.

61 *Arguit.* 3.

Arguitur tertiò: homo faciens totum, quod potest, condignè satisfacit; sed homo virtute gratiæ eliciens actum contritionis fatit totum, quod potest ad satisfaciendum pro peccato: ergo pro illo condignè satisfacit. Hoc argumentum sibi obiecit Ill. Godoy *num.* 27. quod sua doctrina solvit; melius tamen iuxtà nostram respondetur, distinguendo maiorem: homo faciens totum, quod potest, condignè satisfacit, condigna satisfactione quàtum est de se, & in actu primo, concedo maiorem; in actu secundo respectivè ad proprium peccatū, nego maiorem, concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Claret solutio ex proximè dictis.

Respondeo.

62 *Arguit.* 4.

Arguitur quartò: reddens personæ offensæ totum, quod abstulit per offensam, præstat condignam satisfactionem; sed eliciens actum contritionis raddit Deo totum, quod ab illo abstulit per peccatum; nam reddit illi rationem vltimi finis effectivè: ergo eliciens actum contritionis condignè satisfacit pro offensa. Respondeo distinguendo maiorē: reddens personæ offensæ totum, quod abstulit per offensam, præstat condignam satisfactionem, quantum est ex se, & in actu primo, concedo maiorem; in actu secundo respectivè ad proprium peccatum, nego maiorem, & cōcessa minori, distinguo similitèr consequens. Et certè hanc solutionem, quam omnibus argumentis assignamus, clarissimè indicavit Ill. Godoy *citat. num.* 8. in secunda impugnatione cuiusdam responsionis P. Bazquez.

Respondeo.

63 *Arguit.* 5.

Arguitur quintò, & est replica contra allatā solutionem: quod peccatum sit remissum, non tollit, quod actus contritionis elicitus ab homine Iusto sit condigna pro illo satisfactio: ergo ruit nostra solutio. Probatur antecedens: potest quis peccata semel confessa iterum confiteri, & ab illis iterum Sacramentalitèr absolvi: ergo & pro peccato iam remisso potest quis per contritionem satisfacere: ergo quod peccatum sit remissum, non tollit, quod actus contritionis elicitus ab homine Iusto sit condigna pro illo satisfactio. Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam in illo casu illa verba: *Ego te absolvo*, faciunt hunc sensum: *Quantum est ex me, & ex parte Clavium, & Sacramentum absolutionis tibi impendo*, qui sensus verus est; at satisfactio actualis pro macula, & offensa non dicitur, nisi quando de facto, & effectivè moralitèr attingit remissionem illius.

Respondeo.

64 *Arguit.* 6

Arguitur sextò: non requiritur status gratiæ ad satisfactionem condignam: ergo contritio elicita ab homine peccatore est condigna satisfactio. Probatur antecedens: in humanis non requiritur ad satisfactionem, quod satisfaciens sit persona grata, quin potiùs ipsa satisfactio est mediū ad gratiam: ergo neque in supernaturalibus: ergo non requiritur status gratiæ ad satisfactionem condignam. Respondeo negando antecedens, & ad illius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam valor satisfactionis humanæ non dependet ab hac circunstantia; benè verò valor satisfactionis Divinæ, vt diximus *num.* 53. & est commune Theologorum proloquium. Ratio est: nam alioquin homo simul esset dignus pœna æterna, quia peccator, & dignus vita æterna, quia condignè satisfaceret, quod est inconvens in humanis non repertum.

Respondeo.

)(§)(

QUÆSTIO VIGESIMAQUARTA.

Quomodo actiones sint suppositorum?

TOmo primò *in 3. Sent. disp. 3. num. 98. & tom. 3. disp. 41. numer. 215.* promissi, hanc quæstionem in hoc tomo disputare, quod libentèr adimpleo, non solum quia est ibi promissum; sed quia in omni ferè tractatu vociferant Thomistæ hoc proloquium, in ipsoque absquè alio fundamento innixi, plures opiniones tenacitèr defendunt, in quibus sententiam mutarent, si benè proloquium intelligere vellent. Sit ergo.

§. I.

Referuntur sententiæ, & declarantur.

Num. 1

TRes sunt in hac controversia sententiæ. Prima docet: subsistentiam esse comprincipium per se, & formale simul cum natura activè concurrens ad omnes actiones suppositi, ideoque consequentèr docet: actiones esse suppositorum, non tantum denominativè, quod nullus negat, sed etiam elicitivè. Sic Blasius à Conceptione Carmelita Discalceatus *disp. 8. Methaphisicæ quæst. 6.* dicens: esse communè sententiam omnium Thomistarum *3. part. quæst. 15. artic. 1. & quæst. 1. artic. 2.* Et inter alios citat Nazarium *controvers. 3.* Asturicens. *in relectione de gratia Christi, quæst. 5. dub. 3.* Alvarez *disp. 5.* Et Fland. *in Methaphis. lib. 1. quæst. 5. artic. 2.*

1. *Sentent.*

Blasius à Conceptione.

Nazar. Asturiens. Alvarez. Fland.

2

Fallitur tamen Blasius in eo, quod dicit, hanc esse communem Thomistarum opinionem; nam Ioannes à S. Thoma, Magister certè in eius Schola, non ita rigurosè actiones tribuit subsistentiæ, vt hæc influat, vt principium operandi, sed tantum, vt terminans, seu vt modificans principium *quo*, illudque reddens operativum, vt *quod*. Ita habet *quæst. 7. Phisicæ, art. 2.* Hoc etiam modo loquitur cum Div. Thoma Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disp. 72. num. 38. 48. & 64.* vbi per triplicem conclusionem ad principium *quo* sivè remotum, sivè proximum Divinarum processionum, adiungit relationem, tanquam connotatum, vel conditionem requisitam ad rationem principij *quo* productivi. Et licèt per hoc operationes tribuant suppositis elicitivè, diversimodè tamen à modo, & opinione Blasij.

Motivum autem Thomistarum, ad tribuendas actiones suppositis elicitivè hoc, vel illo modo, fuit, (notavit Suarius *disp. 34. Methaph. sect. 7.*) vt defenderent: actiones Christi, ab humanitate procedentes, esse aliquomodo Divinas, seu Dei operationes; ad has enim propositiones verificandas putant, necessarium esse, vt ab ipsa subsistentia Verbi, quæ vices subsistentiæ creatæ supplet in Christo, per se, ac proximè profluant, qua de causa dixit Blasius à Conceptione, immerito certè, ne dicam, temerariè, oppositam sententiam defendi non posse absquè maxima Christi iniuria, & piarum aurium offensione. 3

Secunda sententia ex diametro opposita docet: subsistentiam nullo modo esse principium agendi, nec per se requiri ad actiones, sed merè concomitantèr, & per accidens ad illas concurrere, consequentèrque docet: actiones esse suppositorum denominativè tantum. Ita Bazquez *3. part. disp. 8. cap. 2. & disp. 21. cap. 3.* dicens: subsistentiam propriam, vel alienam, nec esse quidem conditionem requisitam ex parte principij ad agendum; sed ipsi naturæ, v.g. humanitati, posse tribui actionem, nedum, tanquam principio agendi *quo*, sed etiam, vt *quod*. Hanc sententiam amplectuntur etiam Alvert. *de prædicam. Substantiæ, disp. 3. quæst. 1. num. 17.* Arriaga *disp. 4. Methaph. sect. 3. subsect. 5.* Oviedo *controvers. 6. Methaph punct. 3. à num. 14.* 4

2. *Sentent.*

Bazquez.

Alvert. Arriaga. Oviedo.

Tertia sententia inter vtramque media, negat: subsistentiam esse principium operandi, sivè adæquatum, sivè inadæquatum; concedit tamen concurrere, vt conditionem requisitam necessariò, & in hunc modum 5

3. *Sentent.*

constituere naturam in potentia proxima ad agendum, consequentèrque docet: actiones esse suppositorum, non elicitivè, vt prima tenet sententia, sed denominativè tantum, non denominatione per accidens, & concomitantèr, vt secunda sententia affirmat, sed denominatione per se præcedenti. Sic Scotus locis *infrà citandis*, quem omnes sui secuntur discipuli, vltrà quos hanc sententiam defendunt Aversa *quæst.* 18. *Philosoph sect.* 9. Cardin. de Lugo *disp.* 12. *de Incarnat. sect.* 7. *num.* 100. Suarez *disp.* 34. *Methaph. sect* 7. Caietanus 3. *part. quæst.* 2. *artic.* 11. & alij quam plures.

Scotus.
Scotistæ.
Aversa.
Lugo.
Suarez.
Caietan.

6 Sed quia inter conditiones ad exercitium causæ necessarias, quædam sunt simplicitèr, & indispensabilitèr necessariæ in ordine ad quamcumq; potentiam; quædam verò tantum secundum quid, & secundum communem naturæ cursum; adhuc sunt diuisi inter se Authores huius tertiæ, & mediæ opinionis, Aversa, & Cardin. de Lugo *citat.* quos concomitatur Faber noster *Theorem.* 87. *cap.* 2. in fine, asserunt: esse conditionem simplicitèr, & absolutè necessariam ad agẽdum ita, vt neque à Deo fit suplevilis, quia est conditio completis naturam in esse substantiali, sine qua conditione esset proximè impotens ad agendum.

7 Cœteri verò dicunt: subsistentiam esse conditionem necessariam secundum quid duntaxat, & secundum cõmunem naturæ cursum, quia iuxtà naturalem ordinem subsistentia præsupponitur per se in natura, & prærequiritur ad operationes exercendas; potest tamen natura absquè subsistentia de potentia Dei absoluta suas operationes exercere. Ita Caietan. *citat.* & ita Suarez *citat.* nam licèt pro priori modo citari soleat, eo, quod *num.* 10. dicat: subsistentiam non merè concomitantèr se habere ad actiones, sed esse conditionem per se necessariò requisitam ex parte agentis; addit tamen *num* 15. quod si per possibile, vel impossibile conservaretur natura absquè vlla substantia, sivè propria, sivè aliena, posset adhuc natura illa operari, illique deberetur concursus generalis ad suas operationes, eo, quod natura habeat in se totam virtutem requisitam ex parte principij ad operandum.

§. 11.

Quæ certa sunt, supponuntur.

8 PRimò certum est: quod non ita actiones sunt suppositorum, vt nullæ prorsus possint dari actiones, quæ à supposito non procedant, vel ad quas suppositalitas non concurrat; nam anima separata intelligit, & amat, quin sit suppositum. Item: Essentia Diuina intelligit, & amat, antequam tria suppositata intelligatur. Item: accidens in Eucharistia non est suppositum, & suas exercet actiones, scilicèt, disgregat visum, calefacit, vel frigefacit sensum. Vndè solum est dubium de actionibus, quæ procedunt à naturis suppositatis.

Certum est 1.

9 Certum est secundò: quod principium est *quo*, & *quod*. Primum est principium formale, quo agens agit. Secundum est principium, quod per principium formale agit. Vtrumque autem est denominativum, & elicitivum. Elicitivum *quo* est virtus contentiva, & productiva effectus. Elicitivum *quod* est quod per talem virtutem producit effectum. Denominativum *quo* est ratione cuius denominatur principium *quod* productivum effectus. Denominativum *quod* est quod denominatur à tali principio. Exemplum in Divinis est: nam Omnipotentia respectu creaturarum est principium *quo* elicitivum. Principium *quod* elicitivum est hic Deus. Principium *quo* denominativum personarũ est Deitas, & quælibet persona est principium *quod* denominativum, vel potiùs denominatum.

Certum est 2.

10 Exemplum in creatis est: nam respectu intellectionis principium *quo* elicitivum est intellectus. Principium *quod* elicitivum est anima. Principium *quo* denominativum est ipsa anima, vt denominans ipsum hominem intelligentem, & principium *quod* denominativum, est ipse homo, qui ab actione suæ formæ denominatur intelligens. Item: in accidente, scilicèt, albedine. Principium *quo* elicitivum disgregans visum, est abedeneitas, seu ratio formalis albedinis. Principiũ *quod* elicitivum est ipsa albedo, vt patet in Eucharistia, vbi se sola sine subiecto disgregat visum. Principium *quo* denominativum est ipsa albedo, quia informando subiectum, denominat ipsum disgregans visum. Deniquè prin-

ci-

cipium *quod* denominativum eſt ipſum ſubiectum ab actione albedinis denominatum.

11 *Certum eſt 3.* Tertio certum eſt apud omnes: quod quando actiones procedunt à naturis ſuppoſitatis, tunc actiones ſunt ſuppoſitorum denominativè. Et ratio eſt Scoti *in 1. diſt. 12. quæſt 1. numer. 16: Nam omnis forma exiſtens in alio, vt forma, ſicut dat eſſe, ita dat illi aliquomodo denominari à ſua actione*, (nam ſicut non eſt, niſi in illo, ita non agit, niſi in illo, ac proindè ſi propter primum denominat quoad eſſe, propter ſecundum debet denominare quo ad agere) atqui omnis natura reſpectu ſuppoſiti ſe habet vt forma totius, dans illi eſſe ſimplicitèr ex Scoto *quodlib. 19. num. 22.* & patet diſcurrendo per ſingulas: ergo ſicut dat eſſe ſuppoſitio, ita dat illi aliquomodo denominari ab actione ſua: ergo actio eſt ſuppoſiti ſaltim denominativè. Reſtat tamen, vtrùm ſit illius etiam elicitivè?

12 *Certum eſt 4.* Certum eſt quartò: quod dupliciter poteſt concipi, quod ſuppoſitum ſit principium elicitivum actionum naturæ. Primò: ita, vt ipſa ſuppoſitalitas ſit partiale comprincipium cum natura, ad ipſius actiones activè concurrens, vt aſſerit Blaſius *citat.* Secundò: ita, vt natura ſit tota ratio agendi, & ſuppoſitalitas conditio intrinſeca ex ratione actionis eſſentialitèr petita, ſeu requiſita ad rationem principij *quo* productivi, vt locuntur Ioann. à S. Thoma, & Ill. Godoy quorum vtrumque traditur ab Authoribus primæ ſententiæ. Exemplum eſt in Schola, tàm Scotica, quàm Thomiſtica; nam complexum ex lumine, & intellectu eſt principium elicitivum viſionis, cum hoc diſcrimine, quod ſecundum Thomiſtas lumen eſt tota ratio agendi, media qua intellectus elicit viſionem; aſt ſecundum Scotiſtas intellectus eſt comprincipiũ partiale cum lumine ad elicientiam viſionis; vndè nõ ſufficit probare, quod ſuppoſitalitas non concurrat, vt probetur, quod ſuppoſitum non ſit principium elicitivum; eſſet enim, etſi natura eſſet tota ratio agendi, ſicut iuxtà Scotum *in 1. diſt. 4. quæſt. 2. num. 3.* ſingulare eſt principium *quod* elicitivum, etſi natura ſit tota ratio agendi, & ſingularitas mera conditio.

13 Certum eſt quintò: quod dupliciter etiam poteſt concipi, quod ſuppoſitum ſit principium denominativum Primo: ita, vt ſuppoſitalitas ſe habeat merè per accidens, & concomitanter ad actiones naturæ, vti ſe habet muſica ad ædificium in muſico ædificante, vt aſſerit ſecunda opinio. Secundò ita, vt ſe habeat per ſe præcedentèr, quatenus petat, eſſe priùs in natura, quam ab ipſa egrediatur actio, ſicut communitèr dicitur, quod emanatio intellectus ſe habet per ſe præcedentèr ad emanationem voluntatis, quia priùs debet eſſe in natura intellectus, quam voluntas, quomodo loquitur tertia ſententia. Primò modo ſuppoſitalitas erit conditio per accidens. Secundò modo erit conditio per ſe. Et hoc, vel neceſſariò indiſpenſabilitèr, vel tantum connaturalitèr ex dictis *num. 6. & 7.* His itaquè, vt certis, notatis, de creatis, & Divinis ſuppoſitis eſt reſolvenda quæſtio. *Certum eſt 5.*

§. III.

Reſolvitur quæſtio de ſuppoſitis creatis.

14 *1. Concluſ.* PRima concluſio: *Suppoſitalitas non eſt comprincipium ſimul cum natura ad huius actiones activè concurrens.* Hæc eſt contra Blaſium, & quos ipſe citat; eſt tamen communis, tàm apud Thomiſtas, & Jeſuitas, quàm apud Scotiſtas, & iuxtà probabiliorẽ Scoti ſententiam, quam cum ipſo docuimus *tom. 3. in 1. Sent. diſp. 80. §. 3. & 4.* evidenti probatur ratione: mera, ſola, & nuda negatio nequit eſſe comprincipiũ partiale, ad actiones activè poſitivas concurrens (cum negatio nequeat continere poſitivum, quod eſt ipſa negatione perfectius) atqui ſuppoſitalitas creata (de hac ſolum in hoc §. loquimur) eſt mera, ſola, & nuda negatio communicationis alteri, vt actui illius per ſe ſubſtantialitèr completivo: ergo nequit eſſe comprincipium ad actiones naturæ activè concurrens; ſed quia adhuc in ſententia de poſitivo ſubſiſtentiæ eſt veriſsima concluſio, ideò adhuc ipſa ſuppoſita. *Probatur ratione 1.*

15 *Probat. 2. concluſio.* Probatur ſecundò concluſio: natura eſt tota ratio agendi: ergo nec ſuppoſitalitas, imò nec ſingularitas, activè concurrit ad actiones naturæ. Antecedens probatur primò: tota ratio aſsimilandi ſibi effectum productum eſt tota ratio agendi, ſeu produ- *Prob. antecedens 1.*

cen-

cendi effectum; sed natura est tota ratio assimilandi sibi effectum productum, quia singularitas, & personalitas potius est ratio distinguendi, & diversificandi, cum producens, & productum creatum, tàm in singularitate, quàm in suppositalitate sint dissimilia: ergo natura est tota ratio producendi. Maior patet ex illo axiomate: *Agens intendit assimilare sibi passum, & ex illo generans generat sibi simile*: ergo cum ratio agendi sit ratio assimilandi, tota ratio assimilandi erit tota ratio agendi. Hæc ratio est Div. Thomæ 1 *part. quæst.* 41. *artic.* 5. Et tanquam ipsius eam allegat Scotus *in* 1. *dist.* 7 *quæst. vnica, num.* 2.

16 *Secundò.* Probatur idem antecedens secundò: vnica, & adæquata radix proprietatum, & operationum est tota ratio agendi; atqui natura est vnica, & adæquata radix proprietatum, & operationum: ergo, &c. Probatur minor: tota essentia est vna, & adæquata radix proprietatum, & operationum (imò à Philosopho per nihil aliud definitur essentia, nisi per radicem proprietatum, & operationum) atqui natura specifica est tota essentia, ideòq; dicitur à Porphirio, quod species prædicatur adæquatè; genus verò inadæquatè, quia natura specifica est tota essentia, & singularitas non est de essentia naturæ: ergo sola ipsa est vnica, & adæquata radix operationum, & proprietatum: ergo sola ipsa est tota ratio agendi.

17 *Confirmat.* Confirmatur: in hominibus, v. g. proprietates, scilicèt, risibilitas, & admirativitas; item: facultates vegetandi, generandi, & sentiendi per sensus sivè internos, sivè externos; item: effectus ab his producti, scilicèt, risus, admiratio, nutritio, homo genitus, & actus sensuum, & potentiarum, in omnibus hominibus sunt adæquatè similes, & eiusdem rationis: ergo conveniunt singulis ratione illius, quod est omnibus commune, & eiusdem rationis; atqui quod est omnibus cõmune, est sola natura specifica; nam singularitas, & suppositalitas potius sunt in singulis singulæ distinctæ: ergo sola natura specifica est adæquata ratio proprietatum, facultatum, & effectuum in omnibus hominibus: ergo similitèr: sola ipsa est tota ratio agẽdi.

18 Probatur tertiò conclusio: nullus modus adveniens naturæ confert illi nobam vim in ordine ad operationes sibi connaturales; sed subsistentia creata positiva est modus adveniens naturæ secundum adversarios: ergo nullam vim activam confert naturæ in ordine ad eius operationes connaturales. Probatur maior: omnis modus adveniens naturæ, ideo est modus naturæ, quia ipsam, & eius activitatẽ modificat: ergo nullus modus adveniens naturæ confert illi nobam vim in ordine ad operationes sibi connaturales. Patet cõsequentia: quia quod tantum modificat naturam, & eius activitatem, non est vis activa addita, sed tantum modificatio naturæ, & eius activitatis præhabitæ. *Probat. 3. concluſ.*

19 Probatur quartò conclusio: anima separata eadem operationes, & intellectiones operatur, ac corpore coniuncta, dum est in supposito humano (imò animæ Beatorum eadem numero visiones, & fruitiones beatificas, quas nunc habent, habebunt post resurrectionem suorum corporum, & nunc sunt sine suppositis: tunc autem cum illis, & piè credo cum Venerabili Maria de Jesu, quod Beatissima Virgo eundem numero amorem, quem à primo instanti sui esse habuit, continuavit in morte, & continuat in æternum) sed anima separata se sola ipsa est principium elicitivum suarum operationum: ergo etiam quando est corpori coniuncta: ergo est adæquata causa suarum operationum, nullatenus petens, vt comprincipium, suppositalitatem; nam si hanc, vt comprincipium partiale, essentialitèr peteret, sine ipsa eas habere nequiret, vti visus sine specie, neque intellectus sine obiecto, neque in Patria sine lumine. *Probat. 4. concluſ.*

20 Item albedo in Eucharistia eandem numero disgregationem visus, quam incæpit ante consecrationem, continuat post consecrationem, quãdo iam sine supposito, & subiecto est existens: ergo eodem modo est principium talis operationis ante, ac post consecrationem; sed post consecrationem se sola albedo sine eo, quod accipiat aliquam vim activam à subiecto, vel supposito panis, quod tunc iam non est, est causa talis operationis: ergo etiam quando est in supposito panis, & ante consecrationem. Nec dicas cum Blasio: albedinem agere in virtute panis existentis: nam hoc est prorsus ridiculum, & penitus repug-

nat,

nat, vt quod non est, operetur; imò est contra ipsum dicentem cum Philosopho: *Vnumquodque agit secundum quod est in actu.*

21 *Probat. 5. conclus.* Probatur quintò conclusio, evertendo præcipuum fundamentum; nempè, quod suppositalitas Verbi activè concurrat ad actiones humanas Christi Domini, ob quod Blasius *citat.* malè censuram dedit contra nostrā opinionem, dicendo, esse contra Fidem. Probatur, inquam: opera ad extra sunt indivisa toti Trinitati, vt tenet communis Theologorum proloquium: ergo nulla activitas convenit Verbo ratione suæ personalitatis in ordine ad operationes ad extrà; alioquim aliqua opera essent ab activitate Verbi, quæ non essent indivisa toti Trinitati contra commune proloquium.

22 *Prob. denique evidenter.* Ex dictis in hac prima conclusione sequitur necessariò contra Blasium à Concept. *Actiones non esse suppositorum elicitivè*, quod evidentissimè probatur: ideò iuxtà Blasium actiones sunt suppositorum elicitivè, quia subsistentia, vel suppositalitas est comprincipium per se, & formale simul cum natura activè concurrens ad omnes actiones suppositi, vt claret ex dictis *num.* 1. atqui iuxtà dicta in hac prima conclusione subsistentia, vel suppositalitas non est comprincipiū per se, & formale simul cum natura activè concurrens ad actiones suppositi: ergo actiones non sunt suppositorum elicitivè.

23 *2. Conclus.* Secunda conclusio: *Subsistentia, vel suppositalitas non est conditio requisita ad rationem principij quod productivi, seu modificans principium quo productivum. Imò nec requisita ex parte principij quod.* Hæc conclusio est contra Ioannem à S. Thoma, Ill. Godoy, & omnes ferè Thomistas *citat. num.* 2. Est tamen Scoti, tàm *in* 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. *num.* 16. quàm *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *num.* 34. & alibi sæpè. Prima pars probatur: Subsistentia creata (de hac solū loquimur, vt dixi in hoc §.) non requiritur, vt principium *quo* cōpleatur in ratione virtutis productivæ; cum ex se habeat omnem virtutem ad producendum necessariam: ergo subsistentia creata non est conditio requisita ad rationem principij *quo* productivi. Antecedens patet: nam iuxtà Authores, contra quos in hac conclusione procedimus, natura est tota ratio agendi, & subsistenti[a] requiritur tantum, vt conditio. Consequentia ita certa est, vt adhuc de personalitate Divina, quæ vt conditio, requiritur ad processiones Divinas, negamus, requiri ex parte principij *quo*, vt probavimus *tom.* 3. *in* 1. *Sent. disp.* 72. *num.* 108.

1. pars probat.

24 *2. pars probat.* Probatur secunda pars conclusionis: vt in creatis detur realis distinctio inter producens, & productum, non requiritur subsistentia, seu suppositalitas: ergo creata subsistentia non est conditio requisita ex parte principij *quod.* Consequentia est legitima: ideo enim in Divinis processionibus relatio requiritur, vt conditio ex parte principij *quod*, quia in Divinis solum vi relationis habetur distinctio realis, quæ debet esse inter producens, & productum, vt diximus *tom. & disp. citat num.* 109. Antecedens autem, in quo poterat esse difficultas, nullam habet in nostra sententia; in qua singularitas, & non subsistentia, est in creatis conditio requisita ex parte principij *quod*, quia singularitas, & non subsistentia, est ratio adæquata realiter distinguendi, per quod probatum manet antecedens, & ex dicendis ampliùs constabit.

25 Ex dictis in hac secunda conclusione sequitur contra Thomistas *cit. num.* 2. *Actiones non esse suppositorum elicitivè in creatis.* Probatur primo: ideò iuxtà Authores prædictos actiones in creatis essent suppositorum elicitivè, quia subsistentia, vel suppositalitas, esset conditio requisita ad rationem principij *quo* productivi, seu modificans principium *quo* productivū; atqui ex dictis in hac secunda conclusione subsistentia creata, vel suppositalitas non est conditio requisita ad rationem principij *quo* productivi; imò nec requisita ex parte principij *quod*: ergo in creatis actiones non sunt suppositorum elicitivè.

26 *Probat. 2.* Probatur secundò, & dicta confirmantur: principium *quod* adæquatè correspondens naturæ, quæ est principium *quo* adæquatum elicitivum, est, quod primo, & per se constituitur per ipsam naturam, nam cuicumque entitati formali correspondet adæquatè aliquod ens, quod est tale per talem entitatem ex Scoto *in* 1. *dist.* 4. *quæst.* 1. *num* 2. atqui quod primo, & per se constituitur per naturam speci-

ficam, est singulare, & non suppositū: ergo non suppositum, sed singulare est principium *quod* elicitivum adæquatè correspondens naturæ. Minor est certissima. Primò: quia natura priùs est singularis, quam suppositata. Secundò: quia intimior est singularitas, vtpotè, cum natura realitèr identificata, quam suppositalitas, vtpotè, à natura realitèr distincta.

27 *Probat. 3.* Probatur tertiò: cum enim simplicitèr producentis sit assimilare sibi productum quoad potest, & realitèr ab ipso distingui, quia idem nequit producere se ipsum; ad rationem simplicitèr producentis præcisè requiritur, & ratio adæquata assimilandi, & ratio adæquata distinguendi; atqui singulare, v.g. Petrus, per naturam habet rationem adæquatam assimilandi sibi productum, & per singularitatem habet rationem adæquatam realitèr distinguendi à producto, quia quæ numero distinguntur, realitèr distinguntur: ergo singulare habet omnem rationem, quæ præcisè requiritur ad rationem simplicitèr producentis: ergo singulare est simplicitèr producens: ergo est principium simplicitèr *quod* actionum naturæ; atqui singulare datur ante suppositum: ergo ante suppositum iam datur principium elicitivum *quod* actionum naturæ: ergo suppositum non est tale principium.

28 *Probat. 4.* Probatur quartò: Anima separata easdem operationes habet, ac corpori coniuncta, & dum est in suppositò humano. Item: albedo eandem numero disgregationem visus habet post, ac ante consecrationem, & dum est in supposito panis ex suprà dictis; atqui quando anima non est in supposito humano, & albedo non est in subiecto panis, est principium *quod* adæquatū elicitivum suarum actionum: ergo etiam quando anima est in supposito, & albedo in subiecto: ergo nec subiectum panis, nec suppositum hominis, est principium elicitivum *quod* actionum naturæ. Patet consequentia: quia per vnionem ad subiectum, vel suppositum nihil intrinsecum tollitur ab ipsis: ergo si per sua intrinseca erat principium *quod* elicitivū ante vnionem, post vnionem erit etiam principium *quod* elicitivum.

29 *Alia probatio concluſ.* Probari solet conclusio ex eo, quod si Christus Dominus generaret alium hominem, Verbo hypostaticè vnitū, vel si Beatissima Virgo, hypostaticè vnita Verbo, generaret Christum Dominum, tunc suppositum non esset principium *quod* elicitivum, alioquin idem produceret se ipsum: ergo nec nunc. Sed contrarij non admitent casus, respondebuntque: casus repugnare ex illa ipsa ratione, quæ in præfato argumento assignatur, nempè, quia iam idem produceret se ipsum: ergo cum hoc repugnet, repugnat etiam, quod Christus Dominus generet aliū hominem, hypostaticè Verbo vnitum. Item: si Beatissima Virgo esset hypostaticè vnita Verbo, repugnaret, quod generaret Christum Dominum. Si autem admitterent casus, probatio est evidens, & potest inferri in augmentatione Christi Domini.

Tertia conclusio: *In suppositis, seu naturis suppositatis suppositalitas est conditio ac actiones naturæ per se præcedens, præcedentia non causalitatis, nec conditionis requisita ex parte principij quo; nec merè concomitanter, seu per accidens, sed naturalis præsuppositionis; non solum connaturalis, sed inevitabilis.* Hæc conclusio est contra Authores primæ, & secundæ sententiæ, & etiam contra relatos pro tertia *num.* 7. Probatur prima pars, scilicèt, *quod sit conditio ad actione naturæ per se præcedens*: quia cum priùs sit esse, quam operari, priùs est etiam quod pertinet ad esse, quam quod pertinet ad operari; atqui suppositalitas pertinet ad esse, siquidē est eius formale subsistentiale complementum, actio autem pertinet ad operari: ergo sicut esse per se præcedit operari, ita suppositalitas pertinens ad esse, per se præcedit actiones naturæ, pertinentes ad operari: ergo suppositalitas est conditio ad actiones naturæ per se præcedens.

30 *3. Concluſ.* *1. pars probat.*

Probatur secunda pars, scilicèt, *quod non præcedat præcedentia causalitatis*, quia ex dictis nec suppositalitas est comprincipium activum ad actiones naturæ, nec suppositum est principium elicitivum *quod* illarum, & sic nullam causalitatem exercet in actiones naturæ: ergo etsi sit conditio præcedens, non præcedit causalitate. Tertia pars, scilicèt, *quod non præcedat, vt conditio requisita ex parte principij quo*, probatur per dicta *num.* 23. *Quod non sit conditio merè concomitanter, seu per accidens*, quod est quarta pars conclusionis probatur: nam suppositalitas

31 *2. pars probat.* *3. & 4. probat.*

per-

pertinet ad eſſe ex dictis; ſed eſſe non præcedit actionem merè concomitantèr; ſeu per accidens, ſed naturali præſuppoſitione, ex eo, quod eſſe ſupponatur ad operari: ergo ſuppoſitalitas non eſt conditio ad actiones naturæ præcedens merè concomitantèr, ſeu per accidens, ſed naturali præſuppoſitione, quod eſt quarta pars concluſionis, & per quod manet probata.

32 *Vltim. pars probat.* Vltima denique pars concluſionis, nempè, quod ſuppoſitalitas *ſit conditio actiones naturæ præcedens, præcedentia non ſolum connaturali, ſed inevitabili*, facilitèr probatur ex noſtra ſententia cum Scoto *in 3. diſt. 1. quæſt. 1.* ſuppoſitalitatem in negatione conſtituente: nam ſuppoſitalitas ita præcedit actiones naturæ, vt repugnet, non præcedere: ergo ſuppoſitalitas eſt cõditio actiones naturæ præcedens, præcedentia, non ſolum connaturali, ſed inevitabili. Probatur antecedens: inter habere negationem communicationis, & habere ipſam communicationem, non eſt medium, quia negatio communicationis, & ipſa communicatio, ſunt extrema contradictoria, inter quæ non datur medium: ergo natura neceſſariò debet habere, vel negationem communicationis, vel ipſam communicationem. Si primum: eſt cum propria ſubſiſtentia. Si ſecundum: eſt cum ſubſiſtentia aliena, quia eſſet communicata ad alienum ſuppoſitum: ergo natura neceſſariò debet habere propriam, vel alienam ſubſiſtentiam. Sumo nunc: atqui ſubſiſtentia præcedit actiones naturę: ergo ita præcedit, vt repugnet, non præcedere: ergo præcedentia inevitabili præcedit actiones naturæ. Si autem in ſententia de poſitivo concedatur, quod natura poſsit eſſe ſine omni ſubſiſtentia, tunc ſubſiſtentia præcedet connaturalitèr, quatenus connaturalitèr exigitur priùs, quam actio ponatur, vti & nos dicimus de præcedentia accidentis in ſubiecto priùs, quam operetur.

33 Ex quibus ſequitur, quod in naturis completis ſuppoſitatis actiones ſunt ſuppoſitorum denominativè, vt probavimus *num.* 11. non denominatione per accidens, & concomitantèr; alioquim ita per accidens eſſet hæc propoſitio: *Petrus operatur*, ac iſta: *Muſicus ædificat*, quod eſt falſiſsimum; ſed denominatione per ſe præcedenti, ſiquidem ſuppoſitalitas eſt conditio ad actiones naturæ ex dictis *numer.* 30. Advertè: me ſemper loqui de natura completa ſuppoſitata, nam reſpectu animę ſeparatę verum eſt, quod habere ſuppoſitum non eſt conditio per ſe præcedens, ſed ſufficit, quod anima ſeparata habeat modum ſuppoſiti, quatenus ſolitariè per ſe exiſtit. Sic Scotus *in 2. diſt. 12. q. 1. n. 16.*

§. IV.

Reſolvitur quæſtio de ſuppoſitis Divinis.

IN Deo eſt triplex diverſitas operationum. 34 Primò, ſunt operationes eſſentiales, intellectio, & dilectio. Secundò, productiones ad intrà, ſcilicèt, proceſsio Verbi, & Spiritu Sancti. Tertiò, ſunt actiones ad extra, ſcilicèt, productio, & gubernatio creaturarum. Ideo quando quærimus: quomodo in Divinis actiones ſint ſuppoſitorum? De ſingulis prædictis ponenda eſt reſolutio, vt plenè, & planè diſcutiatur quæſtio, & primo de operationibus eſſentialibus, pro quibus ſit.

35 *1. Concluſ.* Prima concluſio: *Divinæ operationes eſſentiales ſunt ſuppoſitorum denominativè, & non elicitivè.* Concluſio eſt Scoti pluribus in locis, ſufficiat Autoritas *in Report. in 1. diſt. 26. quæſt. 5. num. 7. Dicendum: quod actio eſt ſuppoſiti, vt vltimatè denominati, & ideò actio eſſentialis convenit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, vt vltimatè denominatis; eſt tamen Dei adæquatè.* In hac concluſione omnes conveniunt. *Probatur.* Probatur brevitèr: eſſentialia in Divinis ſunt priora notionalibus ſecundum omnes, & ex Scoto *quodlib. 1*: ergo notionalia non ſunt principium elicitivum operationum eſſentialium; nam principium potiùs debet præcedere principiatum; atqui ſuppoſita Divina ſunt notionalia: ergo non ſunt principia elicitiva operationum eſſentialium; hæc tamen ſunt ſuppoſitorum denominativè: quia cum communicetur tribus Divinis perſonis, tres Divinas perſonas denominat intelligentes, & amantes. Poſt eſſentiales operationes ſecuntur productiones ad intrà, de quibus.

36 Certum eſt, quod ſuppoſitum, v. g. Pater, non eſt principium elicitivum *quod* generationis activæ. Hoc habent omnes, & docuit Scotus *quodlib. 4.*

num.3. dicens: *Cum ergo accipitur, quod actio non potest esse nisi suppositi existentis, si intelligatur hoc de esse hypostatico, potest intelligi vel suppositi existentis aliqua entitate priori ipsa actione, vel suppositi existentis ipsa actione formaliter: & sic dupliciter potest intelligi: primo modo est falsa, quia non est ibi entitas hypostatica: quia nec incommunicabile ante actionem. Secundo modo est vera, quia ipsa actione est ens hypostaticè, quia incommunicabiliter.* Vndè cum Pater constituatur per ipsam generationem activam, nequit esse principium *quod* elicitivum illius, cum principium debeat esse prius actione.

37 Probatur itaquè ratione Scoti in *Report. in 1. dist. 28. quæst. 2.* vbi non datur principium *quod* productivum, nec datur principium *quo*, quod sit ratio producendi; sed generationis activæ non datur principium *quod* productivum: ergo nec principium *quo*. Probatur minor: nec ipse Deus, nec Pater est principium *quod* productivum generationis activæ: ergo nullum datur principiū *quo* productivum respectu illius. Probatur antecedens: principium *quod* productivū distinguitur realiter à producto; sed nec ipse Deus, nec Pater distinguitur realiter à generatione activa, cum hęc sit proprietas naturæ, & constitutivū Patris, & sic cum vtroque identificata: ergo nec ipse Deus, nec Pater est principium *quod* productivum generationis activæ.

38 Ratio autem, ob quam generatio activa sit constitutiva, & identificata cum Patre, desumitur ex Scoto *quod. lib. 4. num. 26.* nimirum, quia principium essentialiter determinatum ad producendum vnum numero terminum, identificat secum productionem activam (quippè actio distincta solum requiritur, vt auferat indifferentiam principij; cum namque actio sit de se vltima determinatio, & actualitas ad agendum; ad quid vltima determinatio, nisi ad tollendam indifferentiam requiri potest?) Atqui Pater Æternus est essentialiter necessariò determinatus ad producendum vnum numero Filium, vti, & ipse Filius est determinatus, vt producatur ab vno numero Patre: ergo Pater identificat secum generationem activam productivam Filij; nunquam ergo Pater potest esse eius principium productivum *quod*.

Secunda conclusio: *Suppositalitas est mera conditio, & natura Divina est principium quo elicitivum productivum ad intrà.* Hæc conclusio est contra Blasium. Illam tamen docet Scotus *in 1. dist. 7. quæst. vnica per totam.* Sic etiam omnes Scotistæ de quo fusè *tom. 3. in 1. Sent. disp. 72.* tractavimus, & probatur primo: tota ratio assimilandi est tota ratio producendi; atqui sola essentia est tota ratio assimilandi, siquidem producens, & productum, v.g. Pater, & Filius in relativis subsistentijs potiùs sunt dissimiles: ergo natura est tota ratio producendi: ergo est principium *quo* elicitivum adæquatum ad intrà. 39 2. *Concluſ.* *Probat.* 1.

Probatur secundò conclusio: cum principio *quo* sit virtus contentiva, principium *quo* elicitivum adæquatū erit illud, quod continet quidquid relucet in producto; sed sola Essentia Divina continet, quidquid relucet in producto, v.g. Filio: ergo sola ipsa est virtus adæquata, & principium *quo* elicitivum adæquatum productionis ad intrà. Probatur minor: in Filio producto relucent prædicata absoluta, & relativa; atqui sola essentia, vtpotè, sola ipsa infinita in omni genere, continet *formaliter* omnia prædicata absoluta, & *virtualiter* prædicatū relationis Filiationis: ergo sola Essentia Divina continet, quidquid relucet in producto, v.g. Filio. Est tamen Paternitas, v.g. conditio, quia inter producens, & productum requiritur distinctio realis, quæ solum habetur per relativa, vt diximus *tom. & disp. citat.* 40 *Probat.* 2.

Tertia conclusio: *Principium quod elicitivum productionis ad intrà, passivè sumptæ, est suppositum, & non natura Divina.* Hæc conclusio videtur de Fide, eamque docet Scotus *in 1. dist. 5. quæst. 1.* Et probatur ex Concilijs Lateran. & Florentino: principium elicitivum *quod* est principium simpliciter producens; atqui non natura, sed suppositū Divinum simpliciter producit: ergo principium *quod* elicitivū productionis ad intrà, passivè sumptę, est suppositum, & non natura Divina. Minor est Concilij Lateran. diffinientis: *Quod Essentia nec generat, nec generatur.* Astipulatur Concilium Florent, *Sess. 18.* addens: *Quod Pater est producens, & generat, & essentia principium* 41 3. *Concluſ.* *Probat.* 1. *ex Cōcilijs.*

ge-

Probat. 2. ratione.

generativum, quo Pater generat. Probatur etiam ratione: simplicitèr producens distinguitur realitèr à producto; atqui non Divina natura, sed Pater distinguitur realitèr à Filio producto: ergo idem, quod anteà. Post productiones ad intrà secuntur productiones ad extrà.

42 *4. Conclus.*

Quarta conclusio: *Suppositalitas Divina non est comprincipium simul cum Divina natura ad actiones ad extrà concurrens, sed ipsa Divina natura est totale principium quo elicitivum.* Conclusio ab omni Theologo est communitèr recepta ex communi proloquio: *Opera ad extra toti Trinitati sunt indivisa*, & consequentèr dicitur, creaturas dependere à Deo, vt Vno, non vt Trino. Nescio, an Blasius à Concept. huic conclusioni opponatur, asserendo generaliter, vt asserit, subsistentiam esse comprincipium per se, & formale simul cum natura activè concurrens ad omnes actiones suppositi? Quod scio est, quod si ita asserit, communi Theologorum consensui adversatur, ob quod nota temeritatis immunis non erit, nec fortè altiori censura, Scriptura, & Patribus attentis. Cæterum quidquid sit de hoc, de quo non curo, & à quo semper abstinui, & abstinere conabor.

43 *Probat. 1. concluſ. Scotus ex Div. Auguſt.*

Conclusionem prædictam docuit cum Theologis Scotus *quodlib. 8. art. 1.* illamque multipliciter probat, & primo ex D. Augustino *5. de Trinitat. cap. 14.* dicente: Ad creaturam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnum principium sicut vnus *Creator, & vnus Deus. Ex hoc videtur* (prosequitur Scotus) *quod sicut est in eis vna formalis Deitas, per quam dicuntur vnus Deus: sic est vna ratio formalis causandi, & principiandi, per quam dicuntur vnus creator, & vnum principium.* Hoc idem vult Dionisius *de Divinis nominibus*, dicens: *Communia toti Trinitati sunt causabilia omnia.*

44 *Probat. 2. ex Script.*

Probat secundò conclusionem ratione à posteriori, quæ sumitur ab actu causandi, de quo actu, ait Salvator *Ioann. 5: Quæcumque ille* (scilicèt Pater) *fecerit, hæc & Filius similitèr facit*, per quæ verba excluduntur plurimæ differentiæ, & imperfectiones, quas creaturæ habent in causando: his ergo differentijs, & imperfectionibus exclusis, intellexit Christus, quod Pater, & Filius (& à pari similiter Spiritus Sanctus) quæcumque causata simul causant, & hoc æquè perfectè, & completè: ergo in omnibus personis est vna ratio causandi, & non triplex in tribus.

45 *Probat. 3. concluſ. ratione à priori.*

Probat conclusionem tertio ratione à priori per medium proprium sic: formalis ratio causandi, & proxima in Deo, est intellectus, vel voluntas, vel aliquis actus intellectus, vel voluntatis, vel Omnipotentia secundum diversas opiniones; sed trium personarum est idem intellectus, & eadem voluntas, earumque idem actus intelligendi, & volendi, & idem obiectum sivè primarium, sivè secundarium, & deniquè eadem Omnipotentia: ergo & eadem ratio formalis causandi; quæ probatio desumpta est ex D. Augustino à Scoto *vbi supr. cit.*

46 *Vrgeo cõtra Blasium.*

Sed audiat Blasius Discalceatus Carmelita Doctricem illam Seraphicam Matrem suam, Cœlitus edoctam in hoc puncto cum D. Augustino, & Scoto sentientem *tract.* cui titulus: *Camino de perfection, cap. 33.* vbi loquens de Christo, & Patre Æterno, ait: *Porque aunque son vna misma cosa, y sabìa, que lo que èl hiziesse en la Tierra, lo haria Dios en el Cielo, y lo tenia por bueno, pues su voluntad, y la del Padre eran vna, &c.* En quomodo non aliam rationem faciendi assignat, nisi quia Patris, & Filij erat voluntas vna, vti vna erat eorũ essentia.

47 *Prob. vltimo concluſ*

Probat vltimo conclusionem per medium commune à priori sic: omne causatum per se dependet à causa prima, sicut imperfectum, & possibile, à perfecto simpliciter, & necessario: ergo ratio formalis essendi perfectum, & necessarium, erit ratio formalis causandi, & formalis ratio terminandi istam dependentiam causati; atqui necessitas, & perfectio, quæ est ratio formalis essendi perfectum, & necessarium, est eadem communis tribus personis: ergo & ratio terminandi dependentiam causati erit communis ipsis, ac per consequens communis etiam erit ratio formalis agendi. Sumpta est D. Athanasij in Symbolo, dicente: *Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

48 *5. Concluſ.*

Quinta conclusio: *Nec etiam suppositum Divinum est principium* quod *elicitivum productivum ad extrà.* Hæc conclusio est contra omnes Authores primæ sententiæ, eam tamen habet Sco

Probat. ex Scoto 1.

tus *in* 1. *dist.* 4. *quæst.* 2. *num.* 5. ex quo probatur sic conclusio: principium *quod* adæquatè elicitivum correspondens naturæ, quæ est principium *quo* adæquatum elicitivum, est, quod primo, & per se constituitur per naturā; atqui quod primo, & per se constituitur per hanc naturam Divinam, adæquatè creatricem, est hic numero Deus, non tria suppositā, ac proindè dicitur vnus creator, non tres creatores, vt est de Fide: ergo hic numero Deus est principium *quod* adæquatum elicitivum productivum creaturarum, & non tria suppositā Divina.

49 *Probat. 2.*

Probatur secundò conclusio: hic numero Deus, vt est prior personis, habet; tum virtutem adæquatā creatricem; tum singularitatem, per quam adæquatè realitèr distinguitur à creaturis: ergo habet quidquid requiritur ad rationem simplicitèr producentis creaturas: ergo est producens eas simplicitèr: ergo suppositum Divinum non est principium *quod* elicitivum productivum ad extrà. *Confirmat.* Confirmatur: ideò hic Deus, etsi sit principium *quo* adæquatū productivum ad intrà, non est principium *quod* productivum ad intrà, quia vt prior est personis, non habet rationem, per quam realitèr distinguatur à termino producto; atqui, vt prior est personis, præter virtutem creaticem adæquatam, habet etiam singularitatem, per quam realitèr distinguatur à creaturis: ergo hic Deus, vt prior est personis, est principium *quod* elicitivum productivū ad extrà.

50 *Probat. 3.*

Probatur tertio ab inconvenienti: si suppositum Divinum, v. g. Pater, esset principium *quod* elicitivum productionis ad extrà, qua Pater, & non qua Deus est, hæc propositio esset vera: *Ideò Pater est principium quod elicitivum producens ad extrà, quia est Pater, non quia est Deus*; sed hoc est falsum: ergo & illud. Probatur minor: si Pater esset principium *quod* elicitivum producens ad extrà, non quia Deus, sed quia Pater, sequeretur, quod cum Filius non sit Pater, non esset principium elicitivum producens ad extrà, & è contra: si Filius esset principium *quod* elicitivum producens ad extrà, non quia Deus, sed quia Filius est, sequeretur, quod cum Pater non sit Filius, non esset principium elicitivum productuctivum ad extrà, & cōsequentèr simul esset, & nō esset principiū *quod* producens ad extrà, quod est falsum: ergo falsum est, quod Pater sit principium *quod* elicitivum producens ad extrà, quia Pater est, & non quia Deus est.

51 *6. Concluſ.*

Sexta conclusio: *Quodlibet suppositum Divinum est principium* quod *denominativum productionum ad extrà, denominatione per se ex ratione naturæ præcedente, imò & intimiori, quam in creatis.* Conclusio est omnium iuxtà dicta *num.* 4. & solum indiget explicatione: *Suppositum Divinum* dicitur, quod sit principium *quod* denominativum, quia cum hæc numero Deitas communicetur ipsi, tanquam tota essentia essendi simplicitèr, denominatur ab actione suæ formæ, & ideò totum suppositū Divinum dicitur creator, sanctificās, &c. *Explicatur* Dicitur quod *præcedat ex ratione naturæ*, quia secundum Scotū *in* 2 *dist.* 1. *quæst.* 1. *num.* 8. prior est productio necessaria, qualis est ad intrà, quam cōtingens, qualis est productio ad extrà. Dicitur *intimiori denominatione, quam in creatis*, quia suppositā Divina identificantur perfectissimè cum ratione creandi; at suppositā creata distinguntur realitèr à ratione formali agendi.

52 *1. Corolar.*

Ex quibus omnibus sequitur primò: quod *Actiones esse suppositorum elicitivè* solum est verum de suppositis Divinis, præcisè quoad productiones ad intrà, & hoc cum duplici moderatione. Prima, quod productiones sumantur non activè, sed passivè. Secunda, quod sint principium *quod* elicitivum, & non *quo* elicitivū, quod sumatim est dicere: suppositum Dividum est principium *quod* elicitivum egressionis termini producti ad intrà. Cœterum *Actiones esse suppositorum denominativè*, est vniversalitèr verum de omnibus suppositis, tàm creatis, quàm increatis ob rationem assignatam *num.* 11. Sequitur secundò: quod *Secundum.* præcisis Divinis suppositis quoad productiones ad intrà, hæc propositio: *Actiones sunt suppositorum*, est vera denominativè duntaxat, quidquid Thomistæ clament, & quidquid vociferet Blasius, quorum argumenta solvere aggredior.

o)(o)(o

*** *** ***

§. V.

Solvitur commune argumentum ex Philosopho, & Concilio deductum.

53 Obijcies primò axioma tritum: *Actiones sunt suppositorum*, quod Thomistę asserunt, esse Aristot. 1. *Methaphisicæ*, *cap.* 1. Verum quia Subtilis Doctor *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *num.* 34. talem propositionem apud Philosophum detexit, non reperiri, sed hanc: *Actiones, & generationes sunt circà singularia*, in qua primo non loquitur de principio elicitivo actionum, sed de termino; secundò: terminum adhuc non dicit esse suppositum, sed singulare, ideò allegant ex Concilio Florentino *Sess* 19. assertum Ioan. Theologi, qui dicit: *Actiones sunt suppositorum*, sicut in humanis vniversa clamat Philosophia.

Obijcies 1.

54 Hoc assertum sic à Thomistis ponderatur. Primo: quod licèt propositio non sit evidens, assumpta tamen est à Concilio ad difiniendam hanc veritatem: quod essentia nec generat, nec generatur. Secundo: quia talis propositio expræsis verbis habetur in Concilio. Tertio: quod Patres, cum alijs talem audierunt propositionem, & non reclamarunt, imo communi consensu approbarunt. Omitto censuras Thomistarum, & earum redarguationes iam descriptas ob nobum decretum, id prohibens, ab Innocentio XI. novissimè expeditum, quod maximè Minores tenentur obedire.

55 Respondeo itaquè primò: quod hæc propositio: *Actiones sunt suppositorum*, si præcisè de principio elicitivo intelligatur, adhuc in eorum sententia includit plurimas difficultates, & falsitates, & in aliorum extrà Scholam Scoti intolerabiles, quas iam declaro. Primo: quia non est vera de omnibus, siquidem adhuc in Thomistarum sententia dantur actiones, quæ non sunt elicitivè à suppositis, vt patet in actionibus animæ separatæ, & accidentis Eucharistici, & in Deo respectu operationum essentialium, scilicèt, intelligere, & velle, de quibus *num.* 28. & 35. Secunda: quia etiam respectu actionum ad intrà est falsa in opinione Thomistarum, quia iuxtà Thomistas, cum quibus Ill. Godoy *tom.* 3. *in* 1. *part. disp.* 71. actus essentiales, nempè, intelligere, & velle, sunt productiones ad intrà; atqui actus essentiales non eliciuntur à personis, sed tantum per relationes modificantur, vt ipsi fatentur: ergo etiam apud Thomistas falsum est, quod actiones sint suppositorum elicitivè.

Respond. 1.

56 Sed quia quando Thomistæ dicunt, quod actiones sunt suppositorum, locuntur de actionibus, quæ procedunt à natura suppositata, ob quod exempla posita de anima separata, accidentibus Eucharisticis, & etiam de actibus essentialibus non cõvincunt. Probatur tertiò nostrum assumptum hac ratione ad hominem contra ipsos: actiones ad extrà procedentes à Deo non sunt suppositorum elicitivè iuxtà fidem, secundũ quam tres Divinæ personæ non sunt tria principia elicitiva, nec tres creatores, sed vnus creator, & vnum principium, vti nos tres Dij, sed vnus Deus: ergo dantur actiones à natura personata procedentes, quæ in Thomistarum opinione non sunt elicitivè à suppositis.

57 Respondeo secundò instando manifestè: in Concilio Niceno 2. seu 5. Synodo generali Ioannes quidam Thelalonicensis Episcopus cõtra Philosophum Gentilem disputans asseruit: Sanctos Dei Angelos, Sanctorumque Animas posse depingi, eo, quod Catholica Ecclesia corporeas substantias vtrisque attribuat. Expendo similiter locum sic: En vbi alterius Ioannis ore, hæc propositio: *Angeli, & Animæ sunt corporeæ substantiæ*, habetur expræsis verbis in Concilio. Secundò hac ratione vtitur Conciliũ ad difiniendam fidei veritatem, scilicèt, Angelos, & Animas posse depingi. Tertio: omnes PP. audierunt, nec reclamarunt, sed communi approbarunt consensu. Quartò: si Ioannes Theologus de sua propositione dixit, sicut in humanis vniversa clamat Philosophia, similitèr ille Ioannes Episcopus de sua testatus est; eo, quod vtrisque Catholica Ecclesia corporeas substantias tribuat. Sed quid indè? Nonnè licet inferre: ergo falsa est omnium Catholicorũ sententia, oppositum asserens? Minimè. Similitèr ergo.

Respond. 2.

58 Respondeo tertiò, quod si hæc propositio: *Actiones sunt suppositorum*, præcisè intelligatur elicitivè, eius se-

Respond. 3.

cun-

cunda pars, nempè, *quod hoc in humanis vniversa clamat Philosophia*, est evidenter falsa, siquidem cum Subtilis Doctor mortuus sit *anno Domini* 1308 & Concilium Florentinum sit celebratum *anno Domini* 1439. iam per integrum sæculum, & vltrà, Schola florebat Scotica, in qua præcesserant tot Doctores, & tot tum temporis extabant, vt in solo Capitulo generali Salmanticæ celebrato 600. sint congregati Doctores in diversis Europæ Vniversitatibus laureati, qui omnes oppositum clamabant: ergo cum tunc temporis Schola Scotistica, tam celebris, & plausibilis in Dei Ecclesia non sic clamaret, falsum est, quod hoc in humanis vniversa clamet Philosophia, si intelligatur, vt dixi, præcisè elicitivè.

59 *Respond. 4.* Respondeo quartò directè: actiones esse suppositorum vel elicitivè, vel denominativè, quo pacto, tum est vera in vniversa Philosophia; tum est convincens principium, vt demonstretur veritas illa, ad quam assumitur à Concilio, scilicèt, *Quod Essentia nec generet, nec generetur*, quod quidem sic ostendo: actiones sunt suppositorum, vel elicitivè, vel denominativè; sed generatio Divina non est ab Essentia Divina, vt à priacipio *quod* elicitivo, vel denominativo, (alioquim esset simplicitèr producens, & consequentèr realitèr distingueretur à Filio producto) ergo est à supposito Patris, vt à principio *quod* elicitivo, vel denominativo (siquidem præter Essentiam non est nisi Pater in priori ad generationem) ergo Pater, & non Essentia, generat: ergo à pari Filius, & non Essentia, generatur: ergo Essentia nec generat, nec generatur.

60 Diximus *num.* 41. respectu productionis ad intrà suppositum esse principium elicitivum *quod*, & consequentèr etiam denominativũ *quod*, quod cum proximè dictis conformatur; aft his productionibus ad intrà exceptis, cœteræ actiones sunt suppositorum denominativè tantum, vt sigillatim in præiactis probavi conclusionibus. Ex quibus omnibus sequitur, quod hæc propositio: *Actiones sunt suppositorum*, debet intelligi, nec præcisè elicitivè, nec præcisè denominativè, sed disiunctim, scilicèt, vel elicitivè, vel denominativè, quo pacto est vniversalitèr vera in omni Schola; falsò tamen à Thomistis intellecta.

§. VI.

Argumenta ex Misterio Incarnationis, & Trinitatis solvuntur.

61 *Objicies 2.* VLtrà argumentum ex Philosopho, & Concilio deductum, arguit secundò Blasius *citat.* ex Misterio Incarnationis: nam si suppositalitas ipsa vim activam aliquam, per quam ad actiones naturæ concurrat, non haberet; suppositalitas Verbi respectu actionum naturæ humanæ vim aliquam activam non haberet, & consequentèr Christus Dominus nullo modo nos redemit, aut pro nobis satisfecit, quod sic probat: eo modo Christus nos redemit, & pro nobis satisfecit, quo influxit in opera, quibus redempti sumus: ergo si suppositum Christi, vt tale, nullum influxum præbuit in illa opera satisfactionis, & redemptionis, iam nec nos redemit, nec pro nobis satisfecit, quod est erroneũ in fide; cum non humanitas, sed Christus homo, dicatur mediator Dei, & hominum, traditus, Crucifixus, & pro nobis mortuus. Ob hoc, & præcedens argumentum, iste censurabit Author, quod nostra sententia est cum ingenti rerum fidei detrimento, nec non iniuria Christi Domini. Sed ab hoc pręscindendo, quia adauctèr prolato.

62 *Respond. 1.* Respondeo primò: quod tribuere aliquam activitatem phisicam suppositalitati Verbi propriam, & toti non communem Trinitati in ordine ad opera ad extra; primò: non solum est contra rationem, tàm à priori, quàm a posteriori, & contra August. & Dionisium, & alios Ecclesiæ Patres, simul cum Doctrice Matre sua Seraphica, vt diximus *num.* 42. *cum seqq.* sed etiã contra communem Authorum consensum iuxtà eorum dictum proloquium: *Quod opera ad extrà toti Trinitati sunt indivisa*, quod Catholicorũ nemo negare est ausus, sed nec ipse Blasius patentèr, & manifestèr; cum postea obiectionibus præsius asserat, quod Deus per personam Verbi suppleat in Christo activitatem personalitatis creatæ; ex quo sequitur, quod activitas Dei, non aliqua propria Verbi, ad humanas actiones, concurrat.

63 Secundò: non solum esse contra celebriores Thomistas cum Ioanne à S. Thoma sentientes, personalitatem

crea-

creatam eſſe conditionem; non autem comprincipium activum; ſed etiam eſt contra Angelicum Præceptorem 1. *part. quæſt.* 31. *artic.* 5. aſſerentem, quod ſingularitas creata ſolum eſt conditio, ex quo deducitur, quod perſonalitas Divina, quę in ordine ad productiones ad intra ſe habet, ſicut ſingularitas, tantum eſt conditio, & non comprincipium, ac perindè ſola natura hic, & ibi eſt tota, & adæquata virtus. Si ergo ſingularitati creatæ, quæ eſt intimior, vtpotè, cum natura identificata, & eſt ex vi actionis petita, Angelicus Præceptor negat activitatem; quanto potiori iure activitatem negabit ſuppoſitalitati, quæ nec eſt cum natura identificata, & conſequentèr non ita intima, nec eſt ex vi actionis, ſed ex indigentia naturæ petita.

64 Tertiò falſum eſt, quod vt alicui ſuppoſito verè attribuantur actiones, requiratur, quod eius ſuppoſitalitas habeat aliquam activitatem in ipſas: Tùm: quia Æterno Patri verè attribuitur productio Verbi, & tamen perſonalitas Patris, tàm in ſententia Doctoris Angelici, quàm Doctoris Subtilis, eſt conditio, & non comprincipium activum productionis Verbi: Tum, quia ſingulari verè attribuuntur actiones naturæ, & tamen ſingularitas ſecundum D. Thomam eſt tantum conditio: Tùm, quia tribus perſonis Divinis verè attribuuntur, tàm operationes eſſentiales intelligendi, & amandi, quàm operationes ad extra creandi, & regendi creaturas, quin adhuc ſecundum omnes Theologos ſuppoſitalitas habeat aliquam activitatem, ſivè in operationes eſſentiales, ſivè in actiones ad extrà. Omitto alia.

65 *Reſpond. 2.* Reſpondeo ſecundo propriùs accedendo, inſtando argumentum: Chriſtus nos redemit, & pro nobis ſatisfecit, non ſolum agendo, ſed etiam patiendo, *Crucifixus etiam pro nobis, paſſus eſt*: ergo ſuppoſitalitas Verbi aliquam habuit potentialem paſſivam, in qua pateretur triſtitiam, dolorem, & tormenta, quo quid abſurdius? Ergo qua ratione pro nobis paſſus eſt ex eo ſolum, quod ſibi erat vnita humana natura, quæ habuit adæquatam potentiam patiendi omnia, & paſſiones formæ toti verè attribuuntur ſuppoſito; ita etiam dicendum de actionibus.

Reſpondeo tertiò in forma: nego aſſumpti ſequelam, & eius probationem, quia Chriſtus nos redemit, & pro nobis ſatisfecit, tàm agendo, quàm patiendo, tùm *phiſicè*, tùm *moraliter*. *Phiſicè*, quia habens humanitatem ſibi vnitam, habebat in ſe principium *quo* & *quod* adæquatum agendi, & patiendi, & actiones, & paſſiones talis naturæ verè phiſicè attribuuntur eius ſuppoſito; non quia hoc aliquam habeat activitatem; ſed quia completionem ſubſtantialem præbet naturæ, qua natura indiget, vt agat, & patiatur, cùm natura nequeat agere, & pati, quin priùs ſit completa in eſſe ſuo, ex eo, quod priùs eſt eſſe, quam operari.

66 *Reſpond. 3.* *Chriſtus nos redemit phiſicè.*

Et quia hoc eſt, quod Thomiſtæ intelligere nolunt, ſæpèque à nobis quærunt: quomodo actiones verè, & propriè attribuantur ſuppoſito, ſi tàtum ſunt denominative ab illo? Reſpondeo: actiones attribui verè, & propriè ſuppoſito, non tanquam in principium, *quo*, vel *quod* phiſicè influens in actiones, ſed tanquam in principiū, quod vltimatè denominatur agere, ſeu habere actiones naturæ, à qua phiſicè procedunt. Ratio huius eſt, quam aſſignat Scotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *ad* 2: quia omnis forma exiſtens in alio, vt forma, ſicut dat eſſe, ita dat illi aliquomodo denominari à ſua actione (nam ſicut non eſt, niſi in illo, ita non agit, niſi in illo, ac perindè ſi propter primum denominat quoad eſſe, propter ſecundū debet denominare quoad agere) atqui omnis natura reſpectu ſuppoſiti ſe habet, vt forma totius, dans illi eſſe ſimpliciter ex Scoto *quodlib.* 19. & patet diſcurrendo per ſingulas: ergo ſicut dat eſſe ſuppoſito, ita dat illi aliquomodo denominari à ſua actione: ergo optimè actiones attribuuntur ſuppoſito, tanquam in principium *quod* vltimo denominatum.

67 *Quomodo actiones attribuantur ſuppoſitis.*

Quod primò hoc declaratur exemplo: nam intellectus eſt principium *quo* elicitivum intellectionis, & anima eſt principium *quod* elicitivum illius. Principium *quo* denominativum eſt ipſa anima, vt denominat hominem, vel ſuppoſitum intelligentem, & principium *quod* denominativum eſt homo, vel ſuppoſitum, quod ab actione ſuæ formæ, ſcilicet, anima, denominatur intelligens. Non ergo actiones

68 *Declaratur 1. exemplo.*

attri-

attribuuntur ſuppoſito, tanquam in principium *quo*, vel *quod* elicitivum, ſed tantum tanquam in principium *quod* denominativum. Secundò declaratur hac notoria retorſione: ſuppoſitum Verbi phiſicè in ſe non recepit paſsiones, ſcilicèt, triſtitiam, dolorem, tormenta, &c: ergo ſolum denominativè dicitur paſſus, Crucifixus, &c. Quæro nunc à Thomiſtis, quod ipſi quærunt à nobis: quomodo paſsiones verè, & propriè attribuuntur ſuppoſito, ſi tantum ſunt denominativè ab illo? Reſpondeant, & reſpondebimus.

Declaratur 2. retorſione.

69 *Nos redemit moralitèr.*

Nos redemit, & pro nobis ſatisfecit *moralitèr*, quia tanquam cauſa moralis præſtat operibus humanitatis valorem, & prætium; & nos redemit Chriſtus, & pro nobis ſatisfecit per prætium, & valorem operum, & paſſionis, cumque etiam ferè totus valor, & totum prætium paſsionis, & operum, ſit à perſona Divina, talem valorem, & prætium moralitèr influente; ideò ob hunc maximum influxum moralem, à perſona Chriſti deribatum, dicitur, quod ſuppoſitum Chriſti redemit nos, & pro nobis ſatisfecit, non verò ob aliquem influxum phiſicum, quem, ſivè actionibus, ſivè naturæ paſsionibus, Verbum Divinum præbuerit. His itaque ſolutionibus ad argumentum aſsignatis, plurima alia vide *tom. 3. in 3. Sent. diſp. 41. §. 11.* vbi latè ſatisfecimus Ill. Godoy, ex hoc capite arguenti.

70 *Notta.*

Attamen advertè pro locutione, quod Chriſtus eſt totum ex Verbo, & humana natura conſtitutum, ita, vt ex vtroque intrinſicè, & eſſentialitèr conſtituatur, & quodlibet extremum ſit intrinſicè conſtitutivum Chriſti, quarè actiones, & paſsiones naturæ conveniunt Chriſto intrinſicè, & eſſentialitèr, & conſequentèr Chriſtus verè, propriè, & formalitèr mortuus eſt, ſepultus, flagellatus, &c. Aſt ipſe Deus ſolum per communicationem idiomatum; ipſum verò ſuppoſitum non intrinſicè, & eſſentialitèr, quia natura humana non eſt pars intrinſeca, & eſſentialis Verbi, ſed ſolum contingentèr ſibi vnita, ideò actiones, & paſsiones ſolum denominativè conveniunt ſuppoſito; ſicut dicitur: (ſervatis ſervandis) quod materia eſt tantum denominativè animata; at ipſum totum per animam eſt intrinſicè, & eſſentialitèr animatum, eò, quod anima pars eſſentialis, & intrinſeca eſt totius; non verò materiæ.

71 *Arguit. 3.*

Arguit tertiò ex Miſterio Santiſſimæ Trinitatis: ſi enim natura Divina, & non ſuppoſitum, activè influeret in Divinas proceſsiones, totum rueret Miſterium Trinitatis; ſed hoc eſt contra fidem: ergo dicendum eſt, quod actiones ſunt ſuppoſitorum elicitivè. Probat maiorem triplicitèr. Primò: nam ſi natura Divina, & non ſuppoſitum, activè influeret in Divinas proceſsiones, perſonæ Divinæ non eſſent inter ſe realitèr diſtinctæ, quod fuit hæreſis Sabelij; ſed ablata reali diſtinctione inter Divinas perſonas, totum ruit Miſterium Trinitatis: ergo ſi natura Divina, & non ſuppoſitū, activè influeret in Divinas proceſsiones, totum rueret Miſterium Trinitatis. Probatur maior: diſtinctio realis inter Divinas perſonas fundatur in proceſsione vnius ab alia: ergo ſi natura Divina, & non ſuppoſitum, activè influeret in Divinas proceſsiones, perſonæ Divinæ non eſſent inter ſe realitèr diſtinctæ.

Probat. 1. maiorem.

72 *Secundò.*

Probat ſecundò ſupradictam maiorem: ſi Divina natura, & non ſuppoſitum, eliceret actiones notionales, natura eſſet in tribus Divinis perſonis multiplicata, quod fuit hæreſis Trinitariorum; ſed natura in tribus Divinis perſonis multiplicata, ruit totum Trinitatis Miſterium: ergo idem, quod antea. Maior patet ex eo, quod inter producens, & productum debet dari diſtinctio realis. Tertiò: nam Concil. Lateranenſ. *cap. Damnamus de ſumma Trinit.* ſub Innocentio III. decernit: veram eſſe ſententiam Magiſtri Sentent. aſſerentis: Eſſentiam Divinam non generare, & contrariam Abbatis Ioachim damnat, quia rueret Trinitatis Miſterium: ergo ſi natura Divina, & non ſuppoſitum, activè influeret in Divinas proceſsiones, totum rueret Miſterium Trinitatis.

Tertiò.

73 *Reſpondeo ad argum.*

Hoc Blaſij argumentum nullius eſt momenti, & Scoti opinionem non comprehendere, potuit illum movere, ad talem argumentum conficiendum; ſi enim legiſſet Scotum *in 1. diſt. 5. quæſt. 1.* ſciret, Scotum docere: in productionibus ad intra non naturam, ſed ſuppoſitum, eſſe principium *quod* elicitivum, & ad rationem perveniendo, eodem argumento, quo

ip-

ſiple vtitur, & nos ad Scoti ſententiam formandam, vtimur etiam, vt claret ex dictis *num.* 41. Ad quid ergo tam magnum argumenti apparatum, & talibus vocibus ornatum, vt aures pias offendat, & terreat?

74 *In forma reſpondeo.* Reſpondeo itaquè in forma ad argumentum Blaſij, diſtinguendo maiorem: ſi natura Divina, & non ſuppoſitum, activè, vt *quod* influeret in Divinas proceſsiones, totum rueret Miſterium Trinitatis, concedo maiorem; ſi natura Divina, & non ſuppoſitum, activè, vt *quo* influeret in Divinas proceſsiones, totum rueret Miſterium Trinitatis, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens: actiones ſunt ſuppoſitorum elicitivè in Divinis reſpectu productionum ad intra, concedo conſequentiam; his productionibus ad intrà exceptionis, nego conſequentiam. Ad triplicem maioris probationem eadem diſtinctione de activè vt *quod*, & vt *quo* ſine alterius indigentia reſpondetur.

75 Itaquè: vel Blaſius hoc argumento intendit, quod Divina perſonalitas ſit principium *quo* ſimul cum natura Divina concurrens ad Divinas proceſsiones; vel quod perſona Divina ſit principium *quod* elicitivum Divinarum proceſsionum? Si ſecundum. Argumentum non eſt contra nos; quia id Catholicè fatemur ex dictis *num* 41. Si primum, & ex illo ſequitur, totum Miſterium Trinitatis rueret, argumentum formet, non ſolum contra Scotum, Catholiciſsimè in omnibus loquentem, ſed contra omnes Scholaſticos Doctores, cuiuſcumque ſint Scholæ, & præcipuè contra ſuum Magiſtrum Angelicum, qui textibus Ioanne à S. Thoma, III. Godoy, & omnibus ferè Thomiſtis, ſentit, & docet: Divinam perſonalitatem non eſſe principium *quo* ſimul cùm Divina natura concurrens ad Divinas proceſsiones, ſed tantum vt connotatum, vel conditionem requiri, vt dictum manet *num.* 2. Nullum ergo eſt argumentum Blaſij.

§. VII.

Solvitur argumentum ex axiomate Philoſophico deductum.

76 *Obijcies 4.* QVartò arguit idem Blaſius ex hoc Philoſophico axiomate: *Vnumquodque agit ſecundum quod eſt in actu*; ſed nihil eſt, per quod res ſit magis in actu, quam per actum conſtitutivum ſuppoſiti: ergo nihil eſt, per quod res ſit magis activa, quā per actum ſuppoſiti conſtitutivum: ergo ſuppoſitum, vt ſuppoſitum, activè concurrit ad actionem. Vtraque conſequentia patet. Maior eſt axioma Philoſophicum, & inter Philoſophos cōmune. Minor probatur: nam actus, per quem conſtituitur ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti, eſt exiſtentia per ſe, vnita cum natura totali, & completa; ſed hæc eſt actus perfectiſsimus actuans, & perficiens quæcumque alia: ergo nihil eſt, per quod res ſit magis in actu, quam per actum conſtitutivum ſuppoſiti. Ad hoc argumentum roborandum plures adducit confirmationes, quas omitto, quia eodem falſo fundamento nituntur.

77 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primò negando minorem, ad cuius probationem, nego maiorem, quia falſum eſt, quod exiſtentia per ſe ſit conſtitutiva ſuppoſiti. Primò quia alioquin Philoſophi, qui exiſtentiam per ſe in ſubſtantia optimè cognoverunt, ſubſiſtentiam etiam cognoviſſent quod eſt falſum. Secundò: quia ſi exiſtentia per ſe eſſet conſtitutiva ſuppoſiti, in eſſe ſuppoſiti, humanitas Chriſti Domini antequam Verbi ſubſiſtentia terminaretur, eſſet ſubſiſtens, quia erat per ſe exiſtens, quod etiam eſt falſum. Tertio: quia ſuppoſitum in eſſe ſuppoſiti conſtituitur per incommunicabilitatem, & conſequenter ſuppoſitalitas non reddit naturam exiſtentem, quin potiùs eam ſupponit exiſtentem, & eius exiſtentiam modificat duntaxat. Falſum ergo eſt fundamentum Blaſij. Sed pro clariori falſitatis notitia.

78 *Ratio ſolutionis.* Rationem tribuo, vt ſuppoſitum nequeat conſtitui per exiſtentiam per ſe: nam loquendo de exiſtentia, cum hæc non diſtinguatur realiter ab Eſſentia actuali; benè verò ſuppoſitum, nequit ſuppoſitum per exiſtentiam conſtitui. Loquendo verò de perfectate, diſtinguendum eſt, nam cum eſſe per ſe opponatur cum eſſe in alio, tot modis dicitur eſſe per ſe, quot dicitur eſſe in alio. Cum ergo triplex ſit eſſe in alio. Primò: tanquam in ſubiecto inhæſionis, vt accidens eſt in ſubiecto. Secundò: tanquam in ſubiecto informationis, quo modo forma partis eſt in materia. Tertiò: tanquam in ſup-

po-

positò, quomodo natura humana Christi Domini est in Verbo Divino. Triplex est etiam esse per se. Primò: esse incommunicabile alteri, tanquam subiecto inhæsionis. Secundò: tanquã subiecto informationis. Tertiò denique: tanquam supposito.

79 Perseitas, seu esse per se, prout est incommunicabilitas alteri, vt subiecto inhæsionis, non est constitutiva suppositi, quia non ex ratione suppositi, sed præcisè ex ratione substantiæ natura suppositata est ens per se incõmunicabile alteri, vt subiecto inhæsionis. Perseitas, seu esse per se, prout est incommunicabilitas per modum formæ partis alteri, vt subiecto informationis, similitèr non est constitutiva suppositi, quia non ex ratione suppositi, sed ex ratione substantiæ completæ natura suppositata est incommunicabilis, vt forma partis materiæ primæ, quæ est subiectum informationis. Perseitas, seu esse per se, prout est incommunicabilitas per modum formæ totius alteri, vt supposito, omitto, quod sit constitutiva suppositi, licèt committatur circulus vitiosus, ponendo præcisè *alteri vt supposito*, ad quem evitandum dixit Scotus, quod natura suppositata est ens per se, prout ens per se est incommunicabile per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo.

80 Ex his autem tribus modis quæro à Blasio: in quo ponit constitutivũ suppositi? Si in primò, vel secundò, falsum est, vt constat ex dictis. Si in tertiò, vltra hoc, quod circulum committit vitiosum, ratio suppositi supponit existentiam in natura, cũ priùs sit existere, quam hoc, vel illo modo existere, & consequentèr priùs, quam incommunicabilitèr existere.

81 *Respond. 2.* Vltrà hæc tamen respondeo secundò ad prædictum argumentum, distinguendo maiorem: vnumquodq̃ agit secundum quod est in actu, ita, vt esse in actu, vel existentia sit conditio ad agendum, concedo maiorem; ita, vt esse in actu, vel existentia sit aliqua activitas, vel ratio, aut virtus producendi, nego maiorem, & iuxtà hanc distinctionem, distinguo minorem, quomodocumque loquatur in illa Blasius, & nego consequentiam. quia etsi concedatur, quod subsistentia esset existentia, adhuc suum non assequebatur intentum; nam existentia secundum omnes, qui eam ab essentia distingunt, vt nos distinctam docuimus *quæstione* 2. tantum est conditio, & non ratio producendi, quatenus nihil potest operari, quin priùs sit in actu, scilicèt, existentiæ, ex quo solum sequeretur, quod suppositalitas esset conditio, non verò quod esset aliqua activitas, seu virtus producendi, quod est intentum prædicti Authoris.

§. VIII.

Duo solvuntur argumenta.

82 *Obijcies 5.* ARguit adhuc quintò Blasius: si suppositum non influit activè in actiones naturæ, sed tantum natura sola, sequeretur, quod suppositata non erunt beata, sed eorum naturæ, & sic non S. Petrus, non Beatissima Virgo, &c. sed eorum naturæ erunt beatæ. Probat sequelam: actio, vt actio, non denominat, nisi agens; atqui visio beata est formalissimè actio: ergo si suppositum non influit activè in actiones naturæ, sed tantum natura sola, sequeretur, quod suppositata non erunt beata, sed eorum naturæ.

Respond. 1. Respondeo primò instando: ergo nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sãctus est beatus, sed eorum natura, siquidem eorum suppositalitas non influit activè in visionem, & fruitionem infinitam; cum hi actus personas præcedant, vt est apud omnes certum.

83 *Secundò.* Respondeo secundò negando sequelam, ad probationem distinguo maiorem: actio, vt actio, non denominat *primo*, nisi agens, concedo maiorem; *vltimo*, nego maiorem; transeat minor, ne disputemus de actione grammaticali, & vera, & nego consequentiam. Responsio est Scoti totiès *citat.* dicentis: quod actio est suppositi, tanquam vltimo denominati; nam actio *primo* denominat principium elicitivum *quod*, & *vltimo* suppositum: quia cum in hoc natura sit, & agat, hoc denominat, quoad esse, & quoad agere.

84 Imò exemplum de visione, & fruitione mihi est convincens, vt nec suppositalitas concurrat activè; nec adhuc suppositum sit principium elicitivum *quod* illius. Ratio est: quia cum visio, & fruitio beatifica sit æterna, eadem numero perseveravit in Ævũ: ergo quod nunc est principium *quod* adæquatè elicitivum illarum, idem

erit

erit in æternum ; atqui reſpectu animarum, quæ adhuc non ſunt ſuis reunitæ corporibus, nunc animæ medio lumine, & intellectu, mediaque Charitate, & voluntate, ſunt principia *quo*, & *quod* viſionis, & fruitionis beatæ: ergo etiam ipſę erunt principia *quo*, & *quod* poſt reunionem, ſeu poſt reſurrectionem corporum. Patet conſequentia: quia ſi eadem ante, & poſt perſeverat, niſi ab alio reproducatur, quod implicat, ab elicitivo eodem principio procedet.

85 *Retorqueo argum.* Retorqueo deniquè argumentum Blaſij: nam cum iuxtà Angelicum Præceptorem, & eius ſequaces, lumē, Charitas, & quicumque habitus ſupernaturalis ſit tota ratio agendi; non admittet concurſum partialem ſuppoſitalitatis, alioquin non eſſet tota, ſed partialis ratio agendi: ergo in eorum ſententia, nec S. Petrus, nec Beatiſsima Virgo, nec Chriſtus Dominus erunt beati, ſi huius ratio tenet Authoris. Qua propter fateor: eum in ſuis ratiocinationibus, cum maximè Thomiſtam ſe profiteatur, contra omnia D. Thomæ, & diſcipulorum principia procedere, & non ſolum Philoſophiam, ſed etiam Theologiam tranſmutare.

86 *Obijcies 6.* Arguitur ſextò: etſi ſingularitas ſit conditio, tamen per nos ſingulare eſt principium elicitivum *quod*: ergo etſi ſuppoſitalitas ſit conditio, ſuppoſitum tamen erit principium elicitivum *quod*. *Reſpondeo.* Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Diſparitas eſt: quia ſingularitas eſt conditio ex vi actionis petita, cum enim agentis ſit aſsimilare ex primo intento virtutis, & ex conſequenti realitèr diſtinguere, quia idem nequit producere ſeipſum; ideò actio, vt aſsimilativa, petit naturam, quæ eſt tota ratio aſsimilandi; & vt diſtinctiva, petit ſingularitatem, per quam producens realitèr diſtinguatur à producto. Aſt ſuppoſitalitas ſolum petitur ex indigentia naturæ quoad ſuum eſſe: quia petit priùs eſſe in ſuo eſſe completa, quam operetur, eo, quod priùs ſit eſſe, quam operari.

87 *Differentia inter creatum, & Divinum ſuppoſitum.* Vndè infertur differentia inter creatum, & Divinum ſuppoſitum; nam cum diſtinctio realis à termino producto non habeatur in Divinis ante ſuppoſitalitatem, v.g. Patris, ideò generatio ex vi talis petit Patris ſuppoſitalitatem, vt adæquatam rationem diſtinguendi realitèr, & conſequentèr conſtitutum ex natura, & ſuppoſitalitate, nempè, Pater, eſt principium *quod* productivum ad intrà (ſecus eſt ob oppoſitam rationem reſpectu productionis ad extrà, vt *num.* 48. 49. & 50. diximus) Cæterum cum ante ſuppoſitum creatum detur iam ſingulare, quod per ſuam ſingularitatem realitèr diſtinguitur à ſuo termino producto, ideò non ſuppoſitum, ſed ſingulare eſt principium *quod* elicitivum; quia ſingulare, non verò ſuppoſitum, ex vi actionis exigitur.

)(o)(

Et hæc circa Tomum de Quæſtionibus Selectis, & Octavum noſtri operis, dicta ſufficiant, Eccleſiæ correctioni ſubiecta, in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis Matris ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, & ſolitudinis, qua gaudeo, & ſub cuius præſidium confugio; Petri Apoſtolorum Principis, Parentum Auguſtini, & Franciſci, nec non Præceptoris Subtilis, à quo ſi quid debium à me aſſertum inveniatur, libentiſsimè retracto, & omnia in Octo Tomis à me dicta, & hoc Tomo completa, Sapientium emendationi ſubijcio.

FINIS.

INDEX LOCVPLENTISSIMVS RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC TOMO OCTAVO CONTINENTUR.

Q. vel Quæst. *Quæstionem significat.* N. *vel* Num. *Numerum marginalem designat.*

A

ACTIO. AGENS.

AGens naturale est in triplici differentia, *quæst. 7. num. 11.*

Agens naturale potest agere in distans, nihil agendo in medio, *ibid. num. 13. 41. & seqq.*

Actio transiens est extrinseca agenti, & intrinseca passo, *ibid. num. 53.*

Actiones in creatis non sunt suppositorum elicitivè, *quæst. 24. num. 22. & 25.*

Actiones, seu operationes essentiales Dei sunt suppositorum denominativè; non verò elicitivè, *ibid.*

Actiones sunt suppositorum elicitivè in productionibus ad intra, *quæst. 24. num. 52.*

Actiones sunt suppositorum denominativè est vniversalitèr verum, *ibid.*

Actiones tribuuntur supposito, & quare, *ibid. num. 67. & 68.*

ACCIDENS.

Accidens dicit ordinem naturalem ad subiectum, quomodo intelligatur, *quæst. 8. num. 43.*

Accidens secundum rationem supernaturalitatis est nobilior omni substantia creata, & creabili, *quæst. 10. num. 14.*

ÆTERNITAS.

Æternitas variè accipitur, *quæst. 6. num. 1.*

Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, *ibid.*

Æternitas est ipsa Dei duratio, *ibid.*

Æternitas est modus intrinsecus Dei, *ibid. num. 2.*

Æternitas est perfectio simplicitèr simplex, *ibid.*

Æternitas est quid positivum, *ibid.*

Æternitas affert triplicem negationem, scilicèt, termini, successionis, & dependentiæ, *ibid.*

Æternitas distinguitur ab ævo, & tempore, *ibid.*

Æternitas stricte accepta repugnat creaturæ, *ibid. num. 3.*

Æternitas, prout præcisè dicit carentiam principij, & finis in duratione, nequit communicari creaturæ, *ibid. num. 5.*

AXIOMATA.

Quodlibet est, vel non est, quæst. 1. num. 4. & 27. & quæst. 15. num. 22.

Totum est maius sua parte, quæst 1. num. 4. & 12.

Quidquid reperitur in superiori debet reperiri in inferiori, ibid. num. 63. & quæst. 17. num. 17.

Enti dignissimo debetur cultus, quæst. 1. num. 94.

A superiori ad inferius affirmativè non valet consequentia, ibid. num. 72.

Quando aliqua conveniunt in aliquo prædicato communi, si illud prædicatum est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius, quæst. 2. num. 17. & seqq.

Argumentum petitum ex vno ad aliud propter similitudinem est legitimum argumentum, quæst. 4. num. 10.

Nihil repugnat simplicitèr alicui, nisi ratione alicuius positivi, quæst. 5. num. 2.

Illa est bona diffinitio, quæ habet aliquid per modum generis, & aliquid per modum differentiæ, ibid. num. 11.

Movens, & motum debent esse simul, quomodo intelligitur, quæst. 7. num. 71.

Omne accidens dicit ordinem naturalem ad subiectum, quomodo intelligatur, quæst. 8. num. 43.

Ab obiecto, & potentia paritur notitia, ibid. num. 55.

Substantia est nobilior accidente, explicatur, quæst. 10. num. 14.

Cuicumque actui correspondet potentia sui ordinis, quomodo intelligatur, ibid. num. 25.

Omnis causa per accidens potest reduci ad causam per se, ibid. num. 32. 35. & 36.

Sicut se habet simplicitèr ad simplicitèr, ita magis ad magis, quæst. 11. num. 53.

Vnius actus per se vna est potentia per se, quæst. 12. num. 34.

Ab actu ad potentiam est bona consequentia, quæst. 13. num. 12.
Oppositorum eadem est ratio, quæst. 14. num. 17.
Propter quod vnumquodque est tale, & illud magis, ibid. num. 21.
Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, ibid. num. 59.
Ordinatè volens prius vult finem, quam media ad illum finem conducentia, quæst. 19. num. 117. 215 & seqq.
Posteriora in executione sunt priora in intentione, ibid. num. 117.
Essentialia sunt priora notionalibus, quæst. 21. numer. 108. & quæst. 24 num. 35.
Sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci, quæst. 21. num. 139.
Opera ad extra sunt indivisa toti Trinitati, ibid. num. 148. & quæst. 24. num. 42.
In Divinis omnia sunt vnum, vbi non obviat relationis oppositio, quomodo intelligatur, quæst. 22. num. 99.
Agens intendit assimilare sibi passum, & ex illo generans generat sibi simile, quæst. 24. num. 15.
Vnumquodque agit secundum quod est in actu, ibid. num. 20.
Idem nequit producere se ipsum, ibid. num. 27.
Actiones sunt suppositorum, quomodo intelligatur, ibid. num. 52. 59. & 60.

C

COMPOSITIO.

AD compositionem requiritur potentia, dicens imperfectionem, *quæst. 2. num. 76.*

CONTRITIO.

Contritio est satisfactio perfectior, quæ ab homine iusto exhiberi valet, *quæst 23. n. 11. & 52.*
Contritio quantum est de se, & in actu primo, est condigna satisfactio, *ibid. num. 12.*

CREATVRA.

Datur in creatura rationali libertas contrarietatis, & contradictionis, *quæst. 17. num. 3.*
Si Deus ad extra operaretur ex necessitate naturæ, creatura rationalis non operaretur liberè, *ibid. num. 14.*

D

DECRETVM.

DEcretum, aliud absolutum, & aliud conditionatum, eorumque explicationes, *quæst. 15. num. 10.*
Decretum concomitans nullum, & falsum est, *quæst. 16. per totam.*

DEVS.

Deus est, ly est explicans existentiam Dei, non est propositio per se nota, *quæst. 1. numer. 17 & seqq.*
Deus est non est propositio per se nota nobis, nec beatis, nec ipsi Deo, *ibid. num. 33.*
Deum esse est hominibus naturaliter inditum, *ibid num. 35.*
Deus est colendus non est propositio per se nota, *ibid. num. 64.*
Deus est colendus resolvitur in hanc moralem: *Enti dignissimo debetur cultus*, & in hanc speculativam: *An Deus sit ens dignissimum, & quare? ibid.*
Deus est colendus, non est primum principium absolutè primum, sed secundum quid tantum, & comparativè, *ibid. num. 66.*
Deus non est creatura, non est propositio per se nota, *ibid. num. 64.*
Deus non est creatura, non est primum principium absolutè primum, sed secundum quid, & comparativè, *ibid.*
Deus significat id, quo maius excogitari non potest, *ibid. num. 69.*
Deus significat qui est, *ibid. num. 87.*
In Deo reperitur formaliter omnis perfectio simpliciter simplex, *quæst 2. num. 1.*
Deo conveniunt essentialiter prædicata transcendentalia; non vero attributa, *ibid. num. 2.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per existentiam, *quæst. 4. num. 8.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per existentiam à se, & ex se, *ib. num. 13.*
Deus non constituitur vltimo metaphisicè per intellectualitem à se, *ibid. num. 20.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per ens à se, *ibid. num. 39.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per intelligere actuale sub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ & per se subsistentis in genere intellectuali, *ibid. num. 46.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per intellectionem radicalem, nec per intellectivum radicale, *ibid. num. 51. & 52.*
Deus non constituitur vltimò metaphisicè per collectionem omnium perfectionũ, quę sunt simpliciter simplices, *ibid. num 80.*
Deus vltimò metaphisicè constituitur per infinitatem radicalem, *ibid. num. 102.*
Deus est æternus, æternitate stricta, *quæst. 6. n. 3.*
Deus est immensus secundum essentiam, potentiam, & præsentiam, *quæst. 7. num. 5.*
Deus est in iustis per gratiam, in beatis per gloriam, & in Christo per vnionem hypostaticam, *ibid. num 6.*
Deum non est positivè actu præsens per essentiam spatijs immaginarijs; benè verò per potentiam, & præsentiam, *ibid. num 7.*
Deum esse vbique non demonstratur à priori per eius operationem, *ibid. num. 19.*
Deum esse vbique non demonstratur à posteriori per eius operationem, *ibid. num 41*
Deus est in rebus, non solum vt causa efficiens, sed etiam vt causa exemplaris, *ibid num. 86.*
Deum esse vbique non est aliqua ratione demonstrabile, *ibid. num. 120.*

Datur in Deo facultas intellectiva proximè formaliter à natura Dei, & ab actuali intellectione distincta, *quæst.13. num.9.*
Datur in Deo potentia realis realiter proximè intellectiva, *ibid. num.12.*
Datur in Deo vera ratio speciei intelligibilis ad intellectionem essentialem, *ib.num.39.*
In Deo non datur ratio habitus, *ibid.num.46.*
Deus non cognoscit futura conditionata contingentia ante decretum liberum suæ voluntatis, *quæst.15. per totam.*
Deus non cognoscit conditionata contingentia in decreto suæ voluntatis concomitante voluntatem creatam, *quæst.16. per totam.*
Deus est liber ad extra, libertate contrarietatis, & contradictionis, *quæst.17. num.4.*
Deus ita est liber libertate contradictionis, vt eius voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa, *ibid. per totam.*

DOMINIVM.

Dominium perfectissimum Dei consistit in hoc, quod Deus possit vti creaturis, prout vult, *quæst.7.num.98.*

E

EXEMPLVM.

EXemplum est argumentatio petita ex alio propter similitudinem, *quæst.4.num.10.*

EXISTENTIA.

Existentia non est prædicatum quidditativum Dei, *quæst.2. per totam.*
Existentia est modus intrinsicus Dei, *ibid. numer.17. & 44.*
Existentia est saltim conditio necessaria ad agendum, *ibid.num.84.*
Existentia non est Dei metaphisicè constitutiva, *quæst.4.num.8. & seqq.*
Existentia est id, ratione cuius res dicitur esse extra causas, vel extra nihil, *ibid.num.13.*

F

FINIS.

FInis alius est strictè sumptus, & alius largè acceptus, *quæst.19. num.224. & seqq.*

H

HABITVS.

HAbitus naturalis datur solum ad faciliùs, & intensiùs agendum; supernaturalis verò ad simpliciter, ideſt, supernaturaliter agendum, *quæst.12.num.85.*
Habitus non dantur in naturaliter inclinatis, *quæst.13. num.46.*
Habitus superfluit, vbi nulla est difficultas, *ibid. num.47.*
Habitus deservit ad tollendam difficultatē, *ibid.*
Habitus ex sua ratione formali dicit imperfectionem in potentia, *ibid.num.49.*
Habitus adquisitus supplet in potentia difficultatem in eliciendo actum, *ibid.*
Habitus infusus supplet in potentia improportionem ad eliciendum actum, *ibid.*
Habitus se tenet ex parte potentiæ, *ibid.num.51.*
Habitus supponit potentiam incompletam, *ibid. num.54.*

I

INFINITAS.

INfinitas identificat secum omne secum compossibile, *quæst.2.num.108.*
Infinitas affert triplicem negationem, actualem, aptitudinalem, & potentialem termini, & limitis perfectionis, *quæst.5.num.3.*
Infinitas est ratio probans immensitatē, *q.7. n.3.*

IMMENSITAS.

Immensitas est, ratione cuius Deus est præsens omnibus rebus realiter existentibus, *q.7.n.1.*
Immensitas Deo convenit, *ibid.*
Immensitas est modus intrinsicus Dei, *ibid.*
Immensitas explicatur quidditativè per aptitudinem intimæ præsentialitatis substantialis in omnibus rebus, tàm existentibus, quam potentibus existere, *ibid.*
Immensitas dicit triplicem negationem ad distandum à quocumque loco existente, nempè, actualem, aptitudinalem, & potentialem, *ibid.*
Immensitas distinguitur ab vbiquitate, *ibid. n.2.*
Immensitas, vt distincta ab vbiquitate, probatur rectè ex infinitate, *ibid.num.3.*
Immensitas secundum essentiam, potentiam, & præsentiam explicatur, *ibid.num.5.*
Immensitas est ratio fundamentalis essendi in omnibus rebus, *ibid.num.79.*
Immensitas dicitur quantitas virtualis, vi cuius potest Deus, & debet necessario coexistere omnibus rebus creatis, & creabilibus, quando ponuntur in esse, *ibid.*

IMMVTABILITAS.

Immutabilitas affert triplicem negationem actualem, aptitudinalem, & potentialem, ad recipiendum, quod non habet; ad deperdendum, quod habet, & ad deficiendum, *quæst.5.num.3.*

INTELLECTVS. INTELLECTIO.

Intellectus creatus nequit naturaliter videre Deum, *quæst.9. num 1.*
Intellectus creabilis non posset Deum naturaliter videre; *ibid.*
Intellectus creatus supernaturaliter elevatus potest Deum videre, & de facto illum vident beati, *ibid.*
Intellectio Dei alia est notionalis, & essentialis alia, & vtraque explicatur, *quæst.13.num.2.*
Intellectus est principium vniversale, *ibid. numer.52.*

L

LIBERTAS.

Libertas dividitur in libertatem contrarietatis, & contradictionis, earumque diffinitiones, *quæst.17.num.2.*

Vtraque libertas reperitur in creatura, *ibid.n.3.*

Vtraque libertas datur in Deo, *ibid.num.4.*

Libertas creata non esset, si Deus ad extra ex necessitate naturæ operaretur, *ibid.num. 4.*

Libertas est perfectio simpliciter simplex, *ib.n.16*

LVMEN GLORIÆ.

Lumen gloriæ est supernaturale absolutè, & simpliciter, *quæst.8. num.33.*

Lumini gloriæ est connaturalis visio Dei, *ib.n.40.*

Lumen gloriæ est naturalissimum principium, productivum visionis, *quæst.9. num.5.*

Lumen gloriæ est quid creatum, *quæst.11.num.1.*

Lumen gloriæ distinguitur à charitate, & gratia, *ibid. num.2.*

Lumen gloriæ distinguitur à visione, *ibid num.3.*

Lumen gloriæ est quid intrinsicum intellectui, *ibid. num. 4.*

Lumen gloriæ in patria correspondet fidei in via, *ibid.*

Lumen in visione corporali est tantum conditio, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ, *ibid. num.24.*

Lumen gloriæ est habitus supernaturalis elevans intellectum, vt connaturaliori modo producat beatam visionem, *ibid.num.30.*

Lumen gloriæ est supernaturale quoad substantiam, *ibid.num.42.*

Lumen ex vi nominis solam elevationem significat, *ibid.num.65.*

Lumen gloriæ non est species impressa, *q.12.n 7.*

Lumen gloriæ non requiritur vt dispositio ad visionem recipiendam, *ibid num.30.*

Lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio, ad vnionem, sivè formalem, sivè obiectivam Essentiæ Divinæ cum intellectu creato, *ibid.n.64.*

Lumen gloriæ non requiritur, vt præsentia Dei obiectiva sit in potestate videntis, *ibid.num.76.*

Lumen gloriæ non requiritur duntaxat ad producendam visionem intensiorem, & perfectiorem, *ibid. num.85.*

Lumen gloriæ est habitus supernaturalis, quo intellectus redditur simpliciter potens ad visionem supernaturalem producendam, *ibid. numer. 87.*

M

MODVS.

Modus intrinsecus est determinata rei perfectio, qua vnum commensuratum cum alio, vel excedit, vel exceditur, *quæst.5.num.1.*

Modus intrinsicus est quid positivum, licèt per negationem explicetur, *ibid. num.2.*

Modus intrinsecus non variat rationem formalem rei, cuius est modus, *ibid. num.5.*

Modus intrinsicus non diffinitur per hoc, quod non variet rationem formalem rei, cuius est modus, *ibid.num.6.*

Modus intrinsicus est perfectio simplicitèr simplex, formalitèr existens in Deo, significata, & concepta per modum formæ adiacentis essentiæ, attinens intensivè ad statum perfectionis rei, *ibid. num.9.*

Modi intrinsici Dei non sunt numero infiniti, *ibid.num.12.*

Modi intrinsici Dei declarantur, *ibid.num.14.*

Modus intrinsicus non est de quidditate rei, cuius est modus, *ibid.num.15.*

Modus intrinsicus est posterior quidditate rei, ab eaque distinguitur, *ibid.*

Modus intrinsicus distinguitur formalitèr modaliter à re, cuius est modus, *ibid.num.47.*

Modus est conceptus in quale, *ibid.*

Modus intrinsicus est per se coceptibilis, *ib.n.23.*

Modus intrinsicus dimanat à re, cuius est modus, *ibid.num.26.*

N

NATVRA.

Natura communis duo requirit. Primum, quod de se non sit incommunicabilis. Secundum, quod sint saltim potentialia alia individua illius naturæ, *quæst.3.num.46.*

Natura creata est communis ratione vtriusque conditionis; Divina verò defectu vtriusque non est communis, *ibid.*

Natura est principium motus, & quietis à se distincti, *quæst.10.num.2.*

NOTIO.

Notio ex se se extendit ad omnia, quæ sunt propria Dei, tam respectivè ad creaturas, quàm ad personas Divinas, *quæst.20.num.1.*

Notio à Theologis limitatur ad ea solum, quæ sunt propria Dei respectivè ad Divinas tantum personas, *ibid.*

Notiones in Divinis à parte rei dantur, *ibid. n.2.*

Notio est specialis ratio, per quã nobis innotescit vna Divina persona, vt distincta ab alia, *ib.n.5.*

Notio significat dignitatem, *ibid.num.7.*

Ad rationem notionis, quinque conditiones requiruntur, & enumerantur, *ibid.num.8.*

Quinq̃ notiones dantur in Deo, *ibid n.10. & seqq.*

Stando ad vsum Scholasticorum quinque tantũ sunt notiones in Divinis; asserere autem plures admitti posse, nulla censura est dignum, quin imò, nec asserere absolutè, plures esse, est contra sententiam Patrum, *ibid.num 20.*

Stando ad rationem, nulla est ratio, quæ nos cogat ad asserendum, in Divinis quinque tantum esse, notiones & non plures, *ibid. n.45.*

O

OFFENSA.

Offensæ gravitas præcipuè sumitur ex dignitate personæ offensæ, *quæst.23.num.53.*

OMNI-

OMNIPOTENTIA.

Omipotentia dupliciter capitur, scilicèt, in actu signato, primo, seu quod sufficientiam, & in actu exercito, secundo, seu quoad efficientiam, *quæst.14. num.6.*

Omnipotentia in actu primo est ipsa intrinsica entitas Omnipotentiæ sine actuali continentia alterius extrà se, & cum non repugnantia ad continendum actu, quidquid extra se existere non repugnat, *ibid.*

Omnipotentia in actu secundo dicit continentiam actualem alterius extra se, *ibid.*

Omnipotentia in actu secundo est relatio rationis, *ibid.num.7.*

Omnipotentia non est essentialitèr connexa cum possibilitate rerum, *ibid.num.9.*

Omnipotentia in actu primo non connectitur cum possibilibus, *ibid. per totam.*

Omnipotentia nullam realem relationem dicit ad possibilia, *ibid.num.25.*

Omnipotentia dicit relationē rationis ad possibilia, sub conditione, quod possibilia sint, *ib.n.31*

Omnipotentia essentialitèr est non repugnantia ex se ad continendum, & producendum omne possibile sub conditione quod sit possibile, *ibid. num.32. & seqq.*

OPERATIO.

Operatio Dei in rebus non infert à priori vbiquitatem illius, *quæst.7.num.19.*

Operatio Dei in rebus non infert à posteriori vbiquitatem illius, *ibid.num.41.*

Operatio Dei in rebus est conditio ad præsentiam Dei in rebus, *ibid. num.80.*

OPPOSITIO.

Oppositio dividitur in quatuor species, nempè, relativam, contrariam, contradictoriā, & privativam, *q.22.n.117.*

P

PATERNITAS.

PAternitas Divina, & est actio, & est conditio ad agendum, *quæ.4 num.75.*

PECCATVM.

Peccatū pro formali nequit esse à Deo, *q.18.n.1.*

Peccatum pro formali nequit esse effectus prædestinationis. *ibid.*

PERMISSIO.

Permissio peccati est duplex. Activa, quæ in actione Dei permittentis consistit. Passiva, quæ consistit in carentia gratiæ efficacis, *q.18.n.1.*

Permissio peccati in electis est effectus prædestinationis illorum. *ibid. per totam.*

PRÆDESTINATIO.

Prædestinatio ad gloriam quoad substantiam est ante præviſſa merita, *quæst.19.num.33.*

Prædestinatio ad gloriam per modum coronæ est post præviſſa merita, *ibid.num.142.*

Prædestinatio est duplex. Vna, præmissō examine, quæ dicitur electio lustitiæ. Altera, nullo præmissō examine, quæ dicitur electio gratuita, *ibid.num.230. & seqq.*

PRIORITAS. POSTERIORITAS.

QVÆ DE PRIORITATE, ET POSTERIORITATE POSITA SVNT IN INDICE TOMI 3 IN 1. SENTENT. HIC SVNT VIDENDA, ET NON IBI.

Prioritas, & posterioritas est multiplex, scilicèt, dignitatis, tēporis, naturæ, & originis, *q.21.n.1.*

Prioritas, & posterioritas dignitatis, & durationis non dantur in Divinis, *ibid.*

Prioritas originis apud Philosophum coincidit cum prioritate causalitatis; apud Theologos, autem, distincta est, quidque sit, *ibid.num.2.*

Prioritas originis, vt prescindens à causalitate, est tantum prioritas *à quo*, *ibid.num.3.*

Prioritas originis, vt coincidit cum causalitate, est prioritas *à quo*, & *in quo*, *ibid.num 5.*

Prioritas naturæ variè accipitur, & eius acceptiones explicantur, *ibid.num.6. 7 & 8*

Prioritas naturę adęquatè dividitur in prioritatē naturæ in essendo, & in intelligendo, *ibid.n.8.*

Prioritas naturæ in essendo versatur inter extrema realitèr distincta, *ibid.*

Prioritas naturæ in intelligendo explicatur per habitudinem *in quo* intelligendi, & versatur inter extrema formalitèr distincta, *ibid.num.9.*

Prioritas naturæ, & originis sunt à parte rei, *ibid. num. 10.*

Prioritas naturæ est maior prioritate originis, *ibid. num.13.*

Prioritas naturæ est minor prioritate temporis, *ibid.num.14.*

Prioritas originis datur inter Divinas personas, *ibid. num. 15.*

Prioritas essendi non datur inter Divina prædicata, *ibid. num.27.*

Prioritas inconvertibilitatis secundum se est tantum logica, *ibid. num.28.*

Prioritas inconvertibilitatis ratione materiæ est talis, qua sunt extrema, inter quæ datur, *ibid.*

Prioritas naturæ intelligendi datur inter Divina prędicata, & quę hęc sint, declaratur, *ibid.n.29.*

Triplex differentia inter prioritatem originis, & naturæ declaratur, *ibid.num.31.*

POSSIBILE. POSSIBILITAS.

Possibilitas rerum est, cui convenit non repugnatia ad esse ab alio, *quæst.14.num.1.*

Possibilitas rerum non est ipsa Omnipotentia, vel aliquod Divinum prædicatum, *ibid.*

Possibilitas rerum non est aliquid conditionatum extra Deum, *ibid.num.3.*

Possibilitas rerum non connectitur essentialitèr cum Omnipotentia, *ibid. num 9.*

Possibilia non connectuntur cum Omnipotentia in actu primo, *ibid. per totam.*

Possibilia habent esse ex se ipsis formalitèr, & principiativè ab intellectu Divino, *ibid. n. 40.*

POTENTIA.

Potentia alia est logica; & alia phisica, de quibus, *quæst.13.num.3.*

Po-

Potentia phisica dividitur in activam, & passivam, & vtraque subdividitur, *ibid. num.4.*

PROPOSITIO.

Propositio per se nota ortum habuit ex primitate, & immediatione requisita in præmissis demonstrationis *propter quid*, *quæst.1. num.2.*

Propositio per se nota est a priori indemonstrabilis, *ibid.*

Propositio per se nota est illa, quæ ex termiais propriis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem evidentem, *ibid. num.3.*

Propositio per se nota est illa sola, quæ est à priori indemonstrabilis, cuius triplex tantum est genus, *ibid. num.4.*

Propositio, quæ indiget probatione à priori, per se nota non est, *ibid. num.5.*

Propositio, in qua prædicatum accidentaliter, vel contingenter prædicatur de subiecto, per se nota non est, etiam si intuitivè per experientiam sensuum cognoscatur, *ibid. num. 6.*

Propositio, in qua prima passio prædicatur de subiecto, per se nota non est, *ibid. num.7.*

Propositio, in qua pars diffinitionis generica prædicatur confusè de subiecto, per se nota non est, *ibid. num.8.*

Propositio, in qua prædicatum commune, vel, transcendens prædicatur de aliquo, vt commune tantum, non est per se nota, nisi illud prædicatum sit notum secundum se, *ibid. n. 9.*

Vt propositio sit per se nota, non requiritur, quod clarè cognoscatur secundum omnes suas conceptibilitates, sed solum secundum illam, secundum quam causat per se notitiam evidentem in illa propositione, *ibid. num 10.*

Propositio habens subiectum complexum non est per se nota, nisi sit per se notum, partes vniri necessario complexo, *ibid. num.75.*

Ad propositionem per se notam non sufficit, quod oppositum prædicati repugnet subiecto, sed requiritur, quod sit per se notum, dari tale subiectum, *ibid. num.77.*

Propositio æternæ veritatis habet à se necessariam veritatem, *quæst.15. num.2.*

Q

QVANTITAS.

QVantitas est ratio fundamentalis essendi in loco circunscriptivè, *quæst.7. num.79.*

R

RELATIO.

RElatio prædicamentalis est forma accidentalis, compositionem faciens cum illo, in quo est, *quæst.14 num.25.*

Relatio transcendentalis identificatur cum illius fundamento, *ibid. num.26.*

Relatio secundum dici importat primariò aliquid absolutum, & secundariò connotationem ad aliud, *ibid. num.30.*

Relatio omnimodæ æquiparantiæ nequit esse inter extrema disquiparantiæ, *quæst.21. n.19.*

Relatio habet munus constituendi, & differendi, *ibid. num.24.*

S

SATISFACTIO.

SAtisfactio significat compensationem debiti, *quæst. 23. num.1.*

Satisfactio convenire potest compensationi gratitudinis, & iustitiæ, *ibid.*

Satisfactio est redditio voluntaria æquivalentis, alias indebiti *ibid.*

Satisfactionis diffinitio explicatur, *ibid. num.2.*

Satisfactio est triplex, *ibid. num.3.*

Purus homo actu naturali elicito, sivè sine auxilio ordinis naturalis, sivè cum auxilio naturalis ordinis, neque perfectè, neque imperfectè potest de potentia ordinaria satisfacere pro suo, vel alieno peccato, *ibid. num.4.*

De potentia Dei absoluta potest purus homo actu merè naturali imperfectè satisfacere, pro suo peccato; non verò perfectè, *ibid. n.5.6. & 7.*

Potest purus homo cum auxilio supernaturali condigne, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali *ibid. num.9.*

Potest purus homo cum auxilio supernaturali satisfacere imperfectè pro peccato mortali, *ibid. num.10.*

Satisfactio sit in genere causæ efficientis, *ibid. n.11*

Purus homo, quantacumque gratia exornatus, nequit condigne satisfacere pro suo peccato mortali, *ibid. num.52.*

Valor satisfactionis præcipuè sumitur ex dignitate personæ satisfacientis, *ibid. num.53.*

SIMPLICITAS.

Simplicitas affert triplicem negationem, actualem, aptitudinalem, & potentialem ad compositionem, & componibilitatem, *quæst 5. num.3.*

SINGVLARITAS. SINGVLARE.

Singularitas non est prædicatum quidditativum Dei, *quæst.3. per totam.*

Singularitas in Deo subsequitur infinitatem, *ibid. num.3.*

Singularitas est à priori demonstrabilis, *ibid. n.4.*

Singularitas non concurrit activè ad actiones naturæ, *quæst.24. num.15.*

Singularitas in creatis est conditio requisita ex parte principij *quod*, *ibid. num.24.*

Singulare in creatis est principium *quod* elicitivum operationum naturæ, *ibid. num.27.*

SPIRITVS SANCTVS.

Realis distinctio Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est Concilijs conformior, *quæst.22. num.2.*

Distinctio realis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est Patribus, & Scripturæ, conformior, *ibid. num.44.*

Dis-

Distinctio Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est Divo Anselmo conformior, *ibid. num.*81.
Distinctio realis Spiritus Sancti à Filio, dato, quod ab illo non procederet, est conformior communi Theologorum axiomati, *ibid.num.*99.

SVBSTANTIA.

Substantia intellectualis, ita perfecta in intelligendo vt adæquet compositum ex intellectu, & lumine gloriæ, repugnat, *quæst.*8.*num.*5.
Substantia intellectualis creata, naturaliter exigens lumen gloriæ, vt sibi debitum, repugnat, *ibid. num.*33.
Substantia creata supernaturalis est impossibilis, *quæst.*10. *per totam.*
Substantia creata ex natura sua impeccabilis repugnat, *ibid. num.*6.
Substantia est nobilior accidente secundum rationem accidentis; non verò secundum rationem supernaturalitatis, *ibid.num.*14.
Substantia per accidens supernaturalis datur, *ibid. num.*32.

SVPERNAVTRALE.

Supernaturale est, quod absolutè, & simpliciter excedit exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, *quæst.*8.*num.*33.
Supernaturale est suffragium contra peccatum, *quæst.* 10. *num.*6.
Supernaturalitas variè accipitur, *ibid. num.* 10.
Supernaturale dicitur in ordine ad agens, *ib.n.*26.
Supernaturalitas est Philosophica, & Theologica, earumque explicationes, *ibid.num.*28.

SVPPOSITVM. SVPPOSITALITAS. Subsistentia.

Suppositalitas, vel subsistentia non est comprincipium simul cum natura ad huius actiones activè concurrens. *quæst.*24. *num.*14.
Suppositalitas, vel subsistentia creata consistit in negativo, *ibid.*
Suppositalitas, vel subsistentia non est conditio requisita ad rationem principij *quo* productivi, seu modificans principium *quo* productivum; nec requisita ex parte principij *quod*, *ibid. num.*23. & 24.
Suppositalitas in naturis suppositatis creatis est conditio ad actiones naturæ per se præcedens præcedentia inevitabili, *ibid.num.*32.

V

VBIQVITAS.

VBiquitas est distincta ab immensitate, *quæst.* 7. *num.*2.
Vbiquitas convenit Deo in tempore, *ibid.*
Vbiquitas non abstrahit ab existentia creaturarum, *ibid.*
Vbiquitas non est perfectio, *ibid.*
Vbiquitas est illapsus, seu indistantia Essentiæ Divinæ à rebus existentibus, *ibid.*
Vbiquitas connotat existentiam creaturarũ, *ibid.*
Esse vbique stat dupliciter, scilicèt, intrinsicè, & extrinsicè, *ibid. num.*4.
Esse vbique intrinsicè repugnat creaturæ, non verò extrinsicè, *ibid.*
Vbiquitas Dei non demonstratur à priori per eius operationem, *ibid.num.*19.
Vbiquitas Dei non demonstratur à posteriori per eius operationem, *ibid. num.*41.
Vbiquitas est ratio formalis, ratione cuius Deus actu, & formaliter sit præsens omnibus rebus, *ibid. num.*79.
Vbiquitas est respectus rationis, *ibid.*
Vbiquitas Dei non est aliqua ratione demonstrabilis, *ibid. num.*120.

VERBVM.

Verbum Divinum per se in quarto modo, nec ex cognitione attributorum, nec ex cognitione personarum procedit, *quæst.*21. *num.*52.
Verbum Divinum procedit ex cognitione attributorum præsuppositivè, *ibid.num.*78.
Verbum Divinum non procedit præsupositivè ex cognitione personarum, *ibid. num.*80.

VISIO.

Visio Dei non est possibilis intellectui creabili, *quæst.*8. *per totam.*
Visio Dei est connaturalis lumini gloriæ, *ibid. num.* 40.
Visio Dei est connaturalis intellectui elevato, *quæst.*9. *per totam.*
Visio beata est supernaturalis quo ad substantiam, *quæst.*11. *num.*47.

VOLVNTAS.

Voluntas est principium vniversale, *quæst.*13. *num.* 52.

VNIO HYPOSTATICA.

Vnio hypostatica est accidens, *quæst.*10.*num.*19.

LAUS DEO.

1.150